
43
9 G
10

SANCTI CYRILLI ARCHIEPISCOPI ALEXANDRIAE

De adoratione in Spiritu & Veritate

LIBRI XVII.

INTERPRETE

ANTONIO AGELLIO NEAPOLITANO
Congregationis Clericorum Regularium Presbytero.



ROMAE, IN ÆDIBVS POPVLI ROMANI,
APVD GEORGIVM FERRARIVM M D LXXXVIII.
SVPERIORVM PERMISSV.

SANCTISSIMO AC BEATISSIMO PATRI SISTO V. PONT. MAXIMO

ANTONIVS AGELLIVS CONGREGATIONIS CLERICORVM REGVLARIVM PRESBYTER.



Pvs haud exiguum BEATISSIME PATER esse me aggressum intelligo, qui libros B. Cyrilli Alexandrini Præsulis sanctissimi, ac doctissimi viri, in quibus ille de adoratione in spiritu & veritate differit, susceperim interpretandos. Sed non minus illud intelligo fore, vt videar multis temere facere, qui iam versos tuæ BEATITVDINI dicare audeam. ita enim statuo, nihil esse ad istam Sedem, hoc est ad summum orbis terrarum arbitrium afferendum, nisi perfectum, nihil nisi excellenti doctrina atque iudicio excultum & expolitum: idq. eo mihi difficilius videtur, quod ad istius maiestatis dignitatem propria quædam tua sapientia, & præcipua in iudicando prudētia adiuncta est, qua scriptorum næuos, non in conspectu modo positos, sed in intimo recessu abditos, deprehēdere legendo, ac perspicere possis. Hæc me cogitatio diu suspensum tenuit; sed hanc meam verecundiam amplissimi Cardinalis ANTONII CARAFAE religiosissimi & eruditissimi viri vicit auctoritas. is enim non modo vt verterem impulit, verum etiam vt conuersos tuæ BEATITVDINI dicarem hortatus est. quod ego grauissimi & sapientissimi viri iudicium gratissimum habui, simul enim & meo pudori consuluit, & vt cuidam religioso, vt ego intepretor officio satisfacerem, aditum patefecit. Itaq; consilium auctoritatemq. tanti viri secutus, singulariq. præsertim clementia & benignitate tua confisus, non dubitaui has ingenij mei rudes primitias maiestati tuæ ipso iure debitas, pro pietate & obseruantia mea in hanc Sedem, qua maxima fieri potest reuerentis animi demissione, ad sacros pedes tuos prostratus offerre. Accipe igitur BEATISSIME PATER præclarum Cyrilli opus, Interprete licet impari latinis donatum: dignum certe si auctorē spectes, quod Sanctitati tuæ dicetur. nam si is vir fuit Cyrillus, qui B. Petri Sedē summa sit deuotione ac reuerentia prosecutus; qui eius Sedis maiestatem ac dignitatem nō verbis modo, sed etiam scripto defenderit; cui deniq. iudicio Sanctissimi Pōtificis Cælestini tantum sit tributum, vt cum in illo celeberrimo Ephesino cōcilio vellet suas partes agere ac locumtenere; eius viri opus insigne, cui magis æquum est offerri ac dicari, quam beati Petri successori, ei præsertim, qui Cyrillo sit quamsimillimus? nam & vitę genus ille seuerius amplexus est, & hæreticorum perfidiam summo studio, atque contentione insectatus, & eruditione fuit singulari, vt cum neruosiore illa & adstrictiore Theologiæ

ratione nonnunquam etiam orationem illam fusiorem, ac lætiorem coniun geret. quę omnia, vt vere dicam, neq. enim vllus est fingendi locus, in te vno sunt præstãtissima. Nam a prima ætate inter sacras grauioris instituti disciplinas es educatus, in quibus tantum profecisti, vt non modo vitæ probitate supra multos præstare iudicareris, verum etiam ad vniuersos eius instituti homines regendos atq. continendos summus atq; Generalis moderator præficereris. Iam vero Catholicæ fidei regulam, quam ardenti studio defenderis, illud indicio est, quod ad eam aduersus hæreticos tuendam euocatus, summa vigilantia, præstãti virtute, singulari fortitudine atq. constantia eo munere functus es. De eruditione nihil attinet dicere; minime enim obscurũ est quanto ad illam Theologiæ rationem, quæ breuiter adstricta argumentorum neruos intendit, vberiorem quoq. eloquentiam adieceris, vt simul & vincere scias & flectere. His tuis tantis virtutibus nixus, & non tam humana gratia quam diuino suffragio commendatus, ad totius Ecclesiæ Catholicæ gubernacula regenda summo studio, summaq. omnium lætitia collocatus es. Cum igitur hæc præclara ornamenta tibi sint cum Cyrillo communia, hæc illius viri illustria monumenta tuæ Beatitudini iure optimo dicanda erunt: in quo ille opere docet non inutilem esse, nec prorsus reijciendam veteris illius legis institutionem, non ea tantum ex parte, in qua præcepta viuendi traduntur, sed ex ea etiam in qua cultus & obseruantia diuini numinis præscribitur, si illa instituta omnia ad spiritalem sensum & intelligentiã transferantur. In quo mihi duos maximos & inter se diuersos errores ex animis fidelium euellere videtur; nam in eo quod minime legis veteris instituta damnanda aut prorsus abolenda censet, Marcionis & Manichæi superbam impiamq. opinionem iugulat, legem prorsus repudiantium & irridẽtium. In eo vero quod illam tamquam vmbram esse futurorum, & nostræ fidei velut obscuriores lineas descripsisse, Christianæq. cõuersãtionis tamquam vestigia quędam impresisse docet, Iudęos nihil sese supra litterę simplicem rudemq. sensum attollentes, & semiiudęos hęreticos, Cherinthianos inquam & Ebionitas percellit, verosq. Dei cultores eos esse asserit, qui non in carne gloriantur, quod Iudęi faciebãt, sed spiritui illi summo, spirituumq. omniũ parenti spiritu præcipue seruiunt. Tuo igitur iussu BEATISSIME PATER qui clauem scientiæ tenes, ostium hoc aperiatur; & flumẽ illud verbi doctrinæq. cælestis, quod ad hanc vsq. diem læto gurgite per Græciam inũdabat, iam per Latinorum cãpos & arua ducatur; nec modo sitim audiendi cognoscendiq. verbum Dei restinguat, sed ad veræ fidei ac pietatis fructus ferendos pingue solum ac fertile reddat. Deus omnipotens Beatitudinem tuam incolumem diu seruet, & felicibus cœptis adspiret, Sanctissime ac Beatissime Pater.

AD

AD LECTOREM.



Eati Cyrilli de adoratione in Spiritu & Veritate libros cum Lugdunū imprimendos misissem, adeo male non modo imprimentis negligentia, verum etiam corrigentis culpa accepti fuerunt, vt innumeris mendis pleni, & quod mihi molestius fuit, adnotatiūculis marginibus additis resperſi eſſent, quas neq. ego miſerā, neq. fecerā: & ita ineptæ & abſurdæ erāt, vt alicubi ne auctoris quidem ſanctiſſimi & eruditiſſimi viri nomini parcerent. Quod vbi conſpexi, totam illam Lugdunenſis impreſſionis cogitationem abieci. Sed hortantibus poſtea eruditis viris, mecumq. beneuolentia coniunctis, & præcipue illorum adhortationem Illuſtriſsimo Ampliſsimoq. Card. CARAFA, cuius iuſſu ac voluntate illos cōuerteram, approbante, vt vitia ſuperioris impreſſionis emendarem, alteram vt dicitur nauigationē ſuſcepi, & ad incudem illā impreſſionem reuocaui, curauiq. vt denuo libri emendatiores imprimerentur. Habes Lector Romanæ huius impreſſionis cauſam. Nunc mihi ratio exponenda eſt, quam in interpretando ſum ſecutus.

Ego cum viderē in externorū ſcriptis transferendis fidē interpretis requiri, atq. eam abūde præſtari, ſi quod in permutādis nūmis vſu venire ſolet, æſtimatio ſententiæ tantundē valens reddatur, non ſcrupuloſe verba numerentur; mediā quandam viā mihi ingrediendā putaui, vt ſententiā auctoris ita redderem, vt neq. illā ſolum ſpectās verba contemnerem, neq. rurſus verbis pluſquam opus eſſet adhæreſcens, obſcurus eſſem. Neq. vero Latina verba illa tantum putaui, quæ apud linguæ ſummos auctores reperiuntur; nam illa ſcribēdi anxia nimis & ſcrupuloſa ratio in iſs ſcriptis, quæ ad Religionem pertinent, non vſquequaq. ſeruari poteſt; religione enim quadam verborum adſtrictus tenetur interpres, adeo vt ſi elegantius transferre velit, neq. certis quibuſdā vti verbis atq. ſolennibus, plerumq. ſententiam obſcuret, dum Chriſtianis abiectis cultiora fortaſſe quærit; ſæpe ſimplicitatem illam Chriſtiani ſcriptoris à fucis alienam parum referat; nonnumquam etiam, quod caput eſt, decreta quædā noſtræ fides violet. Quamobrem auctoris ſenſum ita conatus ſum transferre, vt ſimplicibus verbis, & à conſuetudine Chriſtiana minime alienis vterer; curauiq. quātū potui, ne in eo legendo Chriſtianus Lector in auctoris ſententia mores auctoris deſideraret. Hactenus de meæ interpretationis ratione. Nunc de operis Auctore pauca dicenda ſunt.

Cyrilli hoc opus eſſe, qui in eius ſcriptis perlegendis ſit verſatus puto dubitaturum neminem; idq. non ex inſcriptione ſolum cognoſci poteſt, quæ in omnibus quos videre potui manuſcriptis libris prænotata eſt, verumetiam ex elocutionis genere cum ceteris eius libris quamſimillimo. Habet enim Cyrillus, vt ſcriptores omnes, ſuam quandam orationis formam ac faciem; quam vt in ipſa vultus humani ſpecie vſu venit, haud facile in alio deprehendas: eaq. in latino quoque, ſed facilius ac certius in græco perſpicitur. Accedit alterum argumentū, quod eædem ſententiæ ac dogmata, quibus in his libris vtitur, in aliſs item eius libris, de quibus nulla eſt controuerſia, leguntur. Longum vero eſſet, neq. neceſſarium, ſi eas omnes ſententias perſequi velim: ſatis erit ad eam rem demonſtrandam vnum aut alterum exemplum commemorare. Ne longius abeam, quod in primo libro poſuit, ſubſtantialiter ex Patre & Filio procedere Spiritum ſanctum, nonne Cyrillum auctorem coarguit? quo ex græcis doctoribus nemo dogma hoc apertius protulit. nam eandem ſententiā cū alibi, tum in Theſauro libro 13. legimus, capite & 2. & 3.

itemq.

itemq. lib. 14 cap. 1. & in Ioannem lib. 10. cap. 33. Insufflationem deinde spiritus sancti in hominis corpus e limo formatum, vt Geneseos secundo legimus, id effecisse Cyrillus putat, vt Spiritus sancti munere animam decoraret. Hanc sententiam in libro quoq. in Euang. B. Ioan. 2. c. 3. & lib. 12. c. 56. posuit. Cyrilli opinionē non satis probat B. Thomas in 1. par. q. 91. art. 4. & in libello quem aduersus errores Græcorū scripsit, tamquam Cyrilli propriam agnoscit. Sed vt solet Patrum sententias modestissime in rectum sensum interpretari, vt magis eos defendere quam reprehendere videatur, eam reuerentia tanti Patris permotus excusat, allegorice ab illo prolatum dicens. Excusari ac defendi aliter quoq. potest, cum Cyrillus in eam sententiā venisse videatur, vt Marcionis & Manichæi blasphemias propulsaret, qui dicebant per insufflationem illam inditum esse homini Dei spiritum, eumq. in animam hominis conuersum. Hoc Cyrillus detestatus, negat spiritum in animam conuersum; asseritq. insufflationem illam ad decorem animæ, non ad corpus animandū profecisse. non tamen negat spiritus virtute atq. efficacia corpus illud anima viuente vegetatū; sed simul fere animam vi spiritus infusam, & euestigio sancti spiritus munere decoratam. quod perspicue dixit in Euangeliū B. Ioannis lib. 2. cap. 3. Sed Cyrilli opinionis excusatio alterius operis est. nunc satis est ostendisse Cyrilli hanc esse sententiam. atqui in primo huius operis libro hæc sententia posita est; quo verum esse Cyrilli hoc opus indicatur.

Expositiones vero diuinæ scripturæ, quę in alijs eius libris afferuntur, sicubi in his libris vsus incidit, eædem positæ sunt: quod ipsum eundem esse auctorem prodit. Singulas recensere neq. breuiter possum, & otiosi hominis esset: idq. cui libitum fuerit facile est ex indice scripturæ sacræ, qui ad finem operis est positus, desumere, & illas inter se conferre. Quin etiam inter Cyrilli opera libellus quidam inuenitur, qui Collectanea inscribitur. in eo multa sunt scripturæ loca sublimiori sensu & anagogico explicata, pleraq. ex his libris pæne ad verbū desumpta, vt illud de Moyse linguę tarditatē excusante, de ætate Aaron, de virga in serpentem versa, de aquæ penuria, qua Israelitæ pauloante ex Ægypto liberati primum vexati probatiq. sunt, de pugna aduersus Amalechitas inita, Iosue Duce, Moyse spectatore.

In Gręcis catenis præterea, in Pentateuchum pręcipue, quæ in Vaticana Bibliotheca sunt, quam multa ac prope dixerim omnia ex his libris accepta sunt? ita vt pæne totos ibi insertos videas hos libros, atque Cyrilli nomine citatos.

Postremo Anastasij Patriarchæ Antiocheni sanctissimi & eruditissimi viri, quē non moueat auctoritas? is enim in suo Deductorio libro de his libris testimonium profert, Interrogatione vigesima. Locus autem quem citat aduersus vanitatem auguriorum, de libro 6. sumptus est. Ex his omnibus illud profecto liquet, proprium esse Cyrilli opus, neq. apud quemquam puto hanc rem in dubium reuocandam.

Ne vero quisquam offendatur, cū testimonia, quę de scriptura proferuntur, aliquibus locis non congruere cum latina editione viderit, admonendus is mihi est, id non in vno Cyrillo, sed in omnium Patrum tam Græcorum quam veterū latinorum libris vsu venire. hi namq. omnes veteris testamenti scripturis iuxta LXX. interpretum trāslationem vtuntur. Sed quia vetus horum interpretum editio iamdiu apud Latinos amissa est; dedi operā, vt quæ in his libris ex veteri instrumento citātur, ea cum antiquorū latinę Ecclesiæ Patrum lectione cōgruerent: in eaq. re Augustini præcipue libris adiutus sum; in cuius Quæstionibus non pauca ex illa veteri LXX. interpretatione leguntur.

In

In nouo autem testamento latinam vulgatam editionem vbiq. retinui; nisi vbi aut aliter legisset auctor, aut eam expositionem attulisset, quæ cum latina editione congruere non posset. quibus in locis ne ab Auctoris sententia dissentirem, neue illam obscuriorē redderem, coactus sum aliquantulum a vulgata discedere: sed hæc loca non multa sunt. Quod admonitum te Lector volui, ne sicubi aliter quam illa habeat transtuli, vulgatā editionem reprehendere me voluisse putes. Altera etiam accessit causa, cur id mihi facere necesse fuit, ne si aliter quam Auctor in græco posuerat, Scripturæ sacræ testimonia transtulissem, characterem ac notam haud exiguam adimerem, qua Cyrilli hoc opus esse probari posset. Etenim cum in ijs libris, qui tamdiu editi sunt, & sine dubio Cyrilli esse creduntur, nonnulla Scripturæ sanctæ loca singulari ac proprio quodam auctoris modo legātur, eodemq. modo in his libris, quos edimus reperiantur; id certe non leue indicium est hos libros eiusdem auctoris esse, eiq. tamquam certissimis notis insignitos iure optimo asserendos. Exemplo res clarior fiet. Solet Cyrillus in suis libris illum psalmi 46. versum hoc modo citare, Dei fortes, a terra vehementer eleuati sunt. *neq. solum citare, sed etiam expositionem huic lectioni congruentem apponere. hoc modo certe in eius Commentarijs in Ioannem libro 11. cap. 29. hic versus legitur. Atqui eodem modo citatur etiam in hoc opere lib. 1. pag. 16. libro etiam 3. pag. 50. Si igitur quod erat in editione latina posuissem:* Dei fortes terræ, vehementer eleuati sunt, *non modo magna ex parte Auctoris sententiam obscurassem, expositioniq. illius offecissem, sed etiam haud leue indicium quo poterat Auctor huius operis dignosci sustulissem. plura eius rei exempla hoc loco afferre non est opus, cum in calce operis adiecerim nonnulla Scripturæ loca obseruatione collecta; vnde petere potest, siquis plura desideret. In his autem libris totam fere secretioris intelligentiæ mystagogiam tradit, in qua maxime videtur excellere; adeo vt in Moysi libris nihil fere sit ad vmbram & futurorum imaginem pertinens, quod hic non explicetur; vt sicut illos libros in quibus de Theologia disseruit, Thesaurum inscripsit, ita hos libros, alterum velut Anagoges & Tropologiæ Thesaurum possis appellare.*

Quamuis autem omnium fere Moysi librorum mysteria in his libris aperiantur, non tamen eandem seriem, quam ille in scribendo tenuit, hic in explicando secutus est, sed suum quendam ordinem seruauit, ita vt prius argumenta quædam certa sibi præscribat, tum loca scripturæ varia cum illis argumentis conuenientia e diuersis scripturæ libris colligat & explicet. Itaque in Primo libro cum de lapsu hominis in peccatum disserat, & doceat qua ratione à peccatis ac vitijs ad meliorem frugem redire possit, decerptis vndiq. scripturæ sanctæ testimonijs, illisq. ad allegoriæ rationem enarratis, id quod proposuerat planum facere conatur. Eandem rationem tenet in Secundo, cum legem ad hominem iustificandum non satis habere virium ostendit. Eandem in Tertio, in quo homines in Christo iustificari, & in eius præcipue baptismo tolli peccatum docet. Nec diuersam rationem in Quarto & Quinto sequitur, in quibus fortitudinem esse necessariam non modo ad incommoda perferenda, verum etiam ad terrenos affectus voluptatesq. conculcandas declarat. Idem seruat in Sexto, in quo de caritate in Deum, & de ijs præceptis, quæ ad illius dilectionem pertinent, disputat; de ijs etiam rebus quibus eius dilectio violatur: eæ sunt peruersæ de Deo falsæque opiniones, & quæ de eiusmodi falsis opinionibus proficiscuntur; cuiusmodi sunt præstigiosæ

giosæ astrorum, ominum, auguriorum obseruationes, incantationes, manium euocationes, diuinationes, oracula, superstitiones; quę omnia idololatrię cognata sunt, & ex illa fluxerunt. ad hæc in culpa fati fortunæq. prætextus, Genethliacorum vanitas, temporum notatio. Eandem viam tenet in Septimo & Octauo, cum de alijs præceptis differit, quę proximi dilectionē attingunt. necnō in Nono ac Decimo, cum de tabernaculo eiusq. instrumentis, opificio, vsu, legibus, dedicatione, oblationibus agit. in Vndecimo vero ac Duodecimo diuersis e scripturę locis ea colligit, quæ ad Sacerdotium eiusq. leges, ad sacerdotum vestes, consecrationem, sacrificia pertinent. in Tertiodecimo expendit quæ de Leuitis, eorumq. recensione, ministerijs legibus Moyses prodidit. Quartusdecimus sequitur, in quo iam extructo tabernaculo, mundos esse oportere qui ante conspectum Domini veniant, vitiatosq. homines a sanctis arceri præfatus, eas leges commemorat, quæ de leprosis, seminifluis, immundis in anima, de collisis, exectis, spurijs, diuersis locis scriptura tradidit. His adijcit Moabitas, Ammonitas, immundos item ex impuritate studiorum ac vitæ genere parum casto, quales sunt meretrices, fornicatores, adulteri, prostituti, quos πλισχομένους scriptura vocat. Tum de mundis immundisq. animalibus differit, quidue per allegoriam horum singula significent exponit. Iam in Quintodecimo quia non satis erat immundi quinam essent dixisse, nisi adderetur qua ratione mundari possint, ea omnia colligit, quæ ad eorum purgationem, atq. mundationem veteri lege constitutum est. Quæ mundatio quia sacrificijs fiebat integris, de perfectis animalibus ad sacrificium aptis differit. porro sacrificandi ritus quia pro immunditiæ diuersitate variabatur, necesse fuit, vt quicquid lex de lepræ differentia, deq. alijs immunditiæ generibus statuerat, commemoraret. Sed quia parum est maculas culparū abluere, nisi purgationi etiam sanctitas adijciatur, per quam nos ipsos Deo consecramus, in Sextodecimo libro illa omnia digerit, quæ lex de donis & oblationibus instituerat, quæ item de censu illo sacro, qui pro ætatis ratione soluebatur, quę de magno voto, quod a Nazaræis nuncupabatur, de obseruationibus ad hoc voti genus pertinentibus, diuersis in locis veteri lege sancitum erat. Postremo libro festorum dierum celebrationem quasi mercedem quandam sanctificatis hominibus proponit. quamobrem quæcunque de varijs festiuitatibus, de ijs etiam, quæ festis diebus vt obseruarentur instituta erant, in hunc librum contulit.

Hęc omnia cum in veteris testamenti libris tamquam obscurioribus formis adumbrata essent, & ab Israel secundum carnem carnaliter obseruarentur; id in his libris efficit hic Pater, vt a nobis qui secundum Spiritum, Israel sumus, spiritualiter obseruari doceat; & vmbras illas penicillo quodam orationis ad veritatem efformat; & carnalem illum figuralemq. cultum a veris Dei adoratoribus in Spiritu ac veritate perfici posse demonstrat. quæ caussa fuit, vt huic operi hanc inscriptionem pręnotaret, De adoratione in spiritu & veritate. *Hęc habui quæ de his libris te Lector præmonerem. Tu siquid hoc meo labore adiutus fueris, mihi cumulatissime satisfactum putabo, si precibus ad Deum pro me tuis vicem retuleris. Vale.*

SANCTI




SANCTI CYRILLI ARCHIEPISCOPI ALEXANDRIAE

DE ADORATIONE ET CVLTV IN SPIRITV & veritate, & Quod Christianæ atque Euangelicæ conuersationis vmbra & figura fuerit lex, ad Palladium per interrogationem & responsionem, libri XVII.

LIBER PRIMVS.

De lapsu hominis in vitia, & de Captiuitate Peccati, ac simul de Vocatione atque Conuersione, quæ per Pænitentiam fit, & recursu ad meliorem vitam.

A 

VONAM aut vnde percontari, superuacaneum opinor fuerit: dices enim, Sat scio, nihil moratus, te domo, & ad nos. PALLADIVS. Ita est. CYRILLVS. Quis vero liber iste est, quem in manibus habes? PALLADIVS. Liber Euangelicus Matthæi, nempe & Ioannis scripta continens. CYRILL. Quo vero illum, & ad quem perferre cogitas? neque enim e foribus egressus in itinere meditationi vacas, Palladi, cum huiusmodi labores domi & in ocio sint suaues. PALLAD. Recte ais. Ceterum, vt tecum colloquerer, veni; librum porro hunc sacrum affero, quod, cum diu multumq. laborarim, nulla tamen ratione

B assequi potui, quid voluerit significare dominus noster Iesus Christus apud Matthæum, cum dicit; [Nolite putare, quoniam veni soluere legem aut Prophetas; non veni soluere, sed adimplere. Amen quippe dico vobis, donec transeat cælum & terra, iota vnum aut vnus apex non præteribit a lege, donec omnia fiant.] In Ioannis præterea volumine ad mulierem Samaritanam; [Mulier, crede mihi, quia venit hora, quando neque in monte hoc, neque Hierosolymis adorabitis Patrem. Vos adoratis, quod nescitis; nos adoramus, quod scimus; quia salus ex Iudæis est. Sed venit hora, & nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu & veritate; nam & Pater tales quærit, qui adorent eum. Spiritus est Deus, & eos, qui adorant eum, in Spiritu & veritate oportet adorare.] CYRILL. Quid vero tibi in his ver- Matth. 5. Ioan. 4.

bis esse arduum videtur, quid obscurum & ad percipiendum difficile? dic, A
rogo te. PALLAD. A veteribus enim ritibus discedere, & ab ea, quæ secundum legem est, iustitia cessare, sacræ nobis litteræ præcipiunt: ijs enim,
Galat. 5. qui in eam etiam post perceptam fidem inclinabant, Paulus dicebat, [Euacuati estis à Christo, qui in lege iustificamini, a gratia excidistis. Nos enim spiritu ex fide, spem iustitiæ expectamus.] Præterea quod ad conuersationem attinet secundum legem, quamuis magnas easq. præclaras sibi inesse gloriandi caussas ostenderet, ait tamen, [Quæ mihi fuerunt lucra, hæc arbitratus
Philip. 3. sum propter Christum detrimenta; verumetiam existimo omnia detrimentum esse propter eminentem scientiam domini mei Iesu Christi, propter quem omnium detrimentum feci, & arbitror stercora, vt Christum lucrifaciam, & inueniar in ipso, non habens meam iustitiam, quæ ex lege est, sed illam, quæ ex fide est Christi, quæ ex Deo est iustitia.] Vetus autem illud mandatum non omnino perfectum esse, manifeste confirmauit, ideoq. inquit, mandati illius B
veteris loco hoc alterum per Christum ac nouum, id est, Euangelium vtiliter
Heb. 7. esse subrogatum. Sic enim scribit, [Reprobatio quidem fit præcedentis mandati, propter infirmitatem eius & inutilitatem. Nihil enim ad perfectum adduxit lex, sed introductio melioris spei, per quam proximamus ad Deum.]
Heb. 8. Et iterum; [Si enim prius illud culpa vacasset, non vtique secundi locus inquireretur. Vituperans enim eos dicit, Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & consummabo super domum Israel, & super domum Iuda testamentum nouum, non secundum testamentum, quod feci patribus eorum in die, qua apprehendi manum eorum, vt educerem illos de terra AEgypti; quoniam ipsi non permanserunt in testamento meo, & ego neglexi eos, dicit Dominus. Quia hoc est testamentum, quod disponam domui Israel post dies illos, dicit Dominus, dans leges meas in mentem eorum, & in corde eorum inscribam eas.] Præci-
Heb. 8. pue vero cum nouitatis nomen obseruans atque declarans, [dicendo, inquit, C
nouum, veterauit illud prius: quod autem antiquatur, & senescit, prope interitum est.] Si igitur nihil perfecit lex, & reprobatio prioris mandati fuit hæc posterioris subrogatio, per quod Deo conciliamur; cur ergo Saluator
Matth. 5. ait, [Non veni soluere legem, sed adimplere?] Et illud item, [in spiritu &
Ioan. 4. veritate Deum ac Patrem oportet adorare?] Hoc enim nisi fallor, significat, a ritibus cultuq. legis esse nobis abstinendum. CYRILL. Quam vastum quæstionum pelagus ingrederis. Quæ enim mentis esse vis tanta possit, vt in adeo subtiles disputationes clarissimam aciem intendat, vt iis, quæ olim a sapientissimo viro Moyse sancita sunt, tamquam cognatam ac proximam esse, in iisdemq. versari rebus nouam scripturam ostendat, esseq. vitam in Christo, non longe a legali conuersatione disiunctam, si quæ veteribus illis præscripta sunt, ad spiritualem contemplationem traducantur: lex nam-
2. Timo. 3. que figura & vmbra est, & illa forma pietatis tamquam adhuc in vtero la- D
tentem in se speciem veritatis habet. An tu non ita se rem habere dices, vt ego dixi? PALLAD. Ita prorsus. Ceterum quanam ratione hæc declarari poterunt? aut quomodo Euangelicam conuersationem tenere quisquam potest, ita tamen vt se de veteri mandato pendere, & ea implere putet, quæ per Moysen sancita sunt? CYRILL. Non simplex ratio virtutis est, vt aliquis fortasse existimet; est enim ea res quædam, vt puto, multiplex ac varia, & Christianæ conuersationis gloria bonorum operum varietate quamplurimorum exornatur. Itaque Dauid in psalmo quadragesimoquarto, exhibet quidem Christo virginem castam, tamquam reginæ cuiusdam specie Ecclesiam: stolam porro illi deauratam atq; variegatam circumponit, ita dicens,

[Astitit

A [Aſtitit Regina à deſtris tuis in veſtitu deaurato circumamicta & variegata.] *Pſal.44.*
In deaurato quidem veſtitu virtutis honor atque nobilitas; in varietatis autem nomine multiplicitas optime ſignificatur. His enim ornamentis Eccleſia inſignis admodum eſt, cum ornatum habeat ſpiritualem, qui non carnis oculis ſpectatur, ſed intra animum & in corde poſitus eſt, & illum, qui in occulto intelligitur, Iudæum plurimis ornamentis inſignem atque conſpicuũ oſtendit. Nam vt beatus Paulus ſcribit, [Non qui in manifeſto Iudæus eſt, ne- *Rom.2.* que quæ in manifeſto in carne, eſt circuncisio, ſed qui in abſcondito, Iudæus eſt, & circuncisio cordis in ſpiritu non littera, cuius laus non ex hominibus, ſed ex Deo eſt.] PALLAD. Dic mihi igitur, ſi circuncisio in ſpiritu introducta eſt, & hoſtiæ legales ſublatæ, & nullum apud nos locum habet illa Iudaica viuendi ratio, non abſurdum eſſe quodammodo videtur, quod Chriſtus ait, [Non veni ſoluere legem, ſed adimplere?] Aut ſi aliter ſe res habet, ni- *Matth. 5.*
B hil opinor impedimento nobis erit, quominus taurorũ victimis ac ture Deum veneremur; turtures etiam & columbas ei offeramus; denique quicquid priſcis illis hominibus facere moris fuit, id nos ipſi quoque implere ſtudeamus. CYRILL. Atqui, mi Palladi, longiſſime a recto aberras: nam ita euerſam eſſe legem putas, vt nullum ex ea fructum percipere liceat, & inutilem eſſe prorſus ad quamcunque partem rerum neceſſariarum declarandam exiſtimas, non conuerſam eſſe potius ad veritatem demonſtrandam, cum præſertim ſcribat beatus Paulus, [Legem igitur deſtruimus per fidem? abſit: ſed le- *Rom.3.* gem ſtatuimus.] Pædagogus enim eſt lex, atque optime perducit ad Chri- *Galat. 3.* ſti myſterium: illa vero, quæ olim per Moyſen ſunt priſcis hominibus edicta, elementa eſſe dicimus exordij ſermonum Dei. Igitur, ſi pædagogum repulerimus, quis nos ad Chriſti myſterium perducet? & ſi refugerimus diſcere elementa initij ſermonum Dei, quomodo adhuc aut vnde peruenire ad finem po- *Heb. 5.*
C terimus? An non iuxta ſcripturas plenitudo legis & Prophetarum eſt Chriſtus? PALLAD. Etiam, Sic enim ſcriptum eſt; CYRILL. Eſſe au- *Rom.10.* tem illum legis ac Prophetarum plenitudinem ea ratione puto, quia in illum omnia prophetica & legalia oracula ſpectant, atque obuerſa ſunt. Itaque dicebat, cum Iudæis incredulitatem exprobraret, [Nolite putare, quod *Ioan. 5.* ego accuſaturus ſim vos apud Patrem; eſt qui accuſat vos Moyſes, in quo vos ſperatis; ſi enim crederetis Moyſi, crederetis forſitan & mihi: de me enim ille ſcripſit. Si autem illius litteris non creditis, quomodo verbis meis credetis?] Cum igitur ſe veniſſe dicat, non vt ſoluat legem, ſed potius vt perficiat; noli putare ſubuerſionem eorum, quæ olim ſancita ſunt, ſed veluti reformationem eſſe factam & eorum, quæ in figuris adumbrata erant, vt ita dicam, recuſionem ad expreſſiorem formam veritatis. PALLAD. Recte dicis. CYRILL. Ac tale quiddam a Chriſto fieri oportuit. Qui in tabulis
D picturiſque artificium exercent, non ſtatim atque pingere incipiunt, eam ſpeciem picturis inducunt, cui nil deſit, atque ex omni parte perfecta ſit, ſed ſimpliciori prius ac minus venuſto colore illas adumbrant, & longe obſcuriores antea figuras, quam velint, oculis exponunt. Denique vmbris illis illinunt colorem cuique decentiſſimum ac maxime congruum; ita rudiores illas figuras ad perſpicuam ac longe præſtantiorem, quam antea fuerat, ſpeciem transferunt. An non ita ſe res habet? PALLAD. Fateor equidem. CYRILL. Iam vero qui ex ære fingendi artem profitentur, ſi forte ſtatuam efficere velint, de cera prius tenuem formam educunt, deinde igni illam abſumentes, colliquefactum æs infundũt; atque ita ad abſolutam formam atque pulchritudinem opus perducunt. Igitur cum fuerit vmbris illis super-

inducta colorum varietas, atque illas e cera figuras æs abſumpſerit, videri poſ- A
ſit priores illas formas improbatas atque euerſas eſſe: id vero ſecus eſt. Nam & faber ærarius, & pictor vere dixerint, Nos quidem minime deſtruximus vmbras, neque ita rudes illas figuras abiecimus, vt inutiles omnino ſint; ſed potius impleuimus; quod enim in vmbris adhuc atque figuris obſcurius ac minus venuſtum videbatur, id ad meliorem, illuſtrioremq. formam peruenit. PALLAD. Recte dicis. CYRILL. Ac ſi quis voluerit ſerio ſacram & diuinitus inſpiratam ſcripturam perueſtigare, ſciet omnino verum eſſe, quod dixi;
Exod. 34. velamen enim ponebat Moyſes ſuper faciem ſuam, eo quod non poſſent filij Iſrael intendere in faciem ipſius, ſicut ſcriptum eſt. PALLAD. Ecquid illud eſt, quod hoc facto ſignificatur? CYRILL. Iudæorum namque mentes cum hebetiores adhuc eſſent, faciem illam legis extrinſecam facile ferebant: ea inquam, quæ per ſolam litteram ſignificabantur; iiſdem non ferenda & abiicienda omnino videbantur, quæ interius latebant, atque vt ita dicam, B
2. Cor. 3. ipſa ſenſuum veritas. Itaque beatus quoque Paulus ſcribit, [Nam vſque in hodiernum diem id ipſum velamen in lectione veteris Teſtamenti manet non reuelatum; quoniam in Chriſto euacuatur. Sed vſque in hodiernum diem, cum legitur Moyſes, velamen poſitum eſt ſuper cor eorum.] Ac de Iudæis quidem hactenus. [Nos vero omnes reuelata facie, inquit, gloriam Domini ſpeculantes, in eandem imaginem transformamur a claritate in claritatem tamquam a Domini ſpiritu. Dominus autem ſpiritus eſt.] Vt enim qui in ſpeculo contemplantur, imaginem & figuram rei vere vident, non ipſam rem; ſic qui Chriſtianæ conuerſationis pulchritudinem videre deſiderant, ſi lege tamquam ſpeculo vtantur, optime, quod cupiunt, aſſequentur: ipſam enim rerum imaginem ad veritatem transferendo, liquido perſpicient, quid Deo acceptum in primis gratumque ſit. PALLAD. Sed quæ ratio afferri poteſt, cur non ab initio veteribus illis noua & Euangelica lex daretur; figuræ vero potius atque vmbræ inſtituerentur? CYRILL. Quæ ſit accurata diſpenſationis huius ratio, & vt ſe res habeat, ſi quid veriſſimum ſit perpendatur, id quidem, pie omnia ſcienti Deo concedendum eſt: rationes autem a piis cogitationibus non alienæ, nos ad quantulamcunque cognitionem perducunt, aut eo vſque certe, vt ſcire videamur, quæ fuerit huius conſilij cauſſa. Dicimus igitur, ex AEgypto liberatis Iſraelitis, frequenti inſtitutione longa, & eſca, vt ita dicam, pueriliopus fuiſſe: rudes enim adhuc erant, & qui facile ad abſurdiſſima quæque detorqueri poſſent. Nam cum ita carnis amore laborarent, vt eius maculas eluere nullo modo poſſent; cumque animi morbis inſanabilibus tenerentur, impoſſibile quodammodo erat; minimeq. promptum ſtatim attolli ad maximam illam morum elegantiam, vt vitæ rationem ſuſciperent
Philip. 3. adeo illuſtrem & admirandam, vt, cum in terris ambularent, conuerſationem tamen in cælis haberent, ſicut ſcriptum eſt. An non perfectorum eſt ſolidus cibus? lac vero pueris adhuc magis conuenit? PALLAD. Maxime vero. D
CYRILL. Pueris igitur inſtitutione opus erat per figuras, & vt ita dicam,
Heb. 5. delicatiore victu, non eo ſermonis genere, quod ad perfectionem inſtitueret, & ad abſolutum numeris omnibus ſtatum perduceret. Ita vero leues ac ſtupidi, & ad omnia perturbationum genera faciles deprehendentur filij Iſrael, vt, ſi diligenter eorum mores ac ſtudia perpendantur, ne vmbra quidem ipſa digni æſtimentur: idque Moyſes oſtendit: Deo namque ſic præcipiente, aſcendit ille quidem in montem, legem ſuſcepturus, at hi ſtatim in apoſtaſiam lapſi ſunt. Vitulo namque conflato, dicere miſeri auſi ſunt, [Hi
Exod. 32. ſunt dij tui, Iſrael, qui te eduxerunt ex terra AEgypti.] Adeo indignam leuitatem

A tem Moyses grauissime tulit, ac tabulas confregit, in quibus lex erat descripta; cum illos ne vmbra quidem atque figuris, aut vlla certe institutione cælesti dignos esse putaret, qui eo stupore mentis essent, vt tantorum obliti miraculorum, quæ dinina vi ipsorum caussa gesta essent, vitulo rursus venerationem deferrent, & AEgyptium illum cultum memoria repeterent. Porro in tabulis illis lapideis adumbrata tum erat veteribus illis lex Dei digito, vt scriptum est. Sed illa figura erant eorum, quæ apud nos in Christo perfecta esse creduntur: describit enim quodammodo in nobis voluntatis suæ cognitionem ille omnium dominus Deus, tamqnam calamo vtens suo filio in spiritu; sic enim ipsum appellauit per Dauid dicens, [Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis:] inscripsit enim in omnium cordibus ille calamus patris, id est filius, omnis boni cognitionem, quasi digito quodam Dei, spiritu patris ac suo vsus: digitum namque vocauit spiritum Dei, nunc quidem dicens, [Si B ego in spiritu Dei eiicio dæmonia;] nunc vero, [Si autem ego in digito Dei eiicio dæmonia.] Epistolam vero nos spiritualem etiam Paulus appellauit, cum dixit, [Epistola nostra vos estis inscripta in cordibus nostris, quæ scitur & legitur ab omnibus hominibus, manifestati, quod epistola estis Christi, ministrata a nobis, & scripta non atramento, sed spiritu Dei viuentis, non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus.] PALLAD. Equidem assentior, figuras esse atque vmbras, quæ lege continentur. Sed age, subtiliter & accurate, quæ per figuras tradita sunt, animaduertamus, ac diligenter inuestigemus ipsam pulchritudinem veritatis: ita demum nemini obscurum esse mysterium cultus in spiritu poterit. CYRILL. Equidem horreo, Palladi; neque id sine caussa, & grauate admodum ad hoc munus accedo. Harum enim rerum contemplatio ita ardua est, atque sublimis, vt a mei similibus percipi nequeant: ac si quis altitudinem contemplationum earum, quæ latent in le- C ge, spectauerit, non absurde verba illa vsurpare poterit, [Quis sapiens, & intelliget hæc? & prudens, & cognoscet ipsa?] PALLAD. Magnum opus & ardnum, Cyrille. Sed [petite, inqnit Christus, & dabitur vobis; quærite, & inuenietis; pulsate, & aperietur vobis.] CYRILL. Pergendum igitur nobis est ad ea inuestiganda, quæ vtilitatem afferre possunt, ac preces præmittamus dicentes; [Reuela oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua.] Ante alia igitur dicendum nobis est de lapsu hominis in peccatum, deque seruitute atque captiuitate, qua sub omnium communi hoste tenebatur, & quonammodo hæc a nobis & in nobis fiant. His adiiciendum est, quomodo ab hoc malo emergere oporteat, & excutere seruitutis iugum, qua sub illo tenemur, atque in eum statũ quo a principio fuimus, seruante & adiuuante Deo redire possimus. Hanc enim viam si nostra oratio tenuerit, recto etiam itinere progredientur, vt opinor, & reliqua. PALLAD. Recte existimas. nãque oblationes at- D que hostias offerre Deo spirituales, nempe strenne se & laudabiliter exequendæ virtutis studio gerere, minime iis conuenit, qui se nondum a vitiorum seruitute, dominatuque liberarint, sed iis, quorum animus ad libertatem erigitur, & ad excntiendnm diabolicæ tyrannidis iugum nõ est incuriosus & negligens. CYRILL. Assentior: recte namque existimas. Dicimus igitur factum esse hominem ab initio eiusmodi, vt, quamuis animum haberet peccato, ac vitijs præstantiorem; non is tamen esset, vt in vtramcunque partem vellet, flecti non posset. Etenim illi rerum vniuersarum optimo opifici Deo rectissimum est visum, propriæ voluntatis habenas illi permittere, spontaneisq. conatibus tribuere, id vt facerent, quod libitum fuisset. Oportebat enim vt virtus voluntate suscepta, non vi necessitatis coacta videretur, aut ita naturæ lege

Psal. 44. Matth. 12. Luc. 11. 2. Cor. 3. Osee 14. Matth. 7. Psalm. 118.

munita, vt cadere omnino non posset: id enim illi supremæ omnium essentiæ A atque excellentiæ proprium est. Postea vero quam propriæ naturæ rationibus hoc animal absolutum fuit opifice Deo, statim illius similitudine præditum
Genes. 1. est. Impressa enim in illo est diuinæ imago naturæ, inspirato spiritu sancto. Ipse namque est spiritus ille vitæ, quandoquidem secundum naturam vita Deus est. PALLAD. Ergone anima homini diuinus spiritus est factus? CYRILL. Quomodo non absurdissimum sit ita sentire? Sic enim immutabilis ipsa quoque anima permansisset; nunc vero mutabilis est. Mutabilis autem nullo modo spiritus est; aut, si mutationis morbo laborat, ad ipsam Dei naturam hæc labes pertinebit; siquidem est Dei & Patris & Filij, ille qui substantialiter ex vtroque, nimirum ex patre per filium profluit spiritus. Stultum igitur fuerit putare sanctum spiritum in animam esse conuersum; & in hominis transisse naturam. Sed formata illa massa ineffabili virtute animata fuit, & euestigio spiritus sancti munere decorata: neque enim alia ratione diuina imagine ditari poteramus. PALL. Recte ais. CYRILL. Huic B igitur opificio sic exornato Paradisi sedes, in quibus versaretur, largitus est Deus. Sed quia æquum erat, hominem ita exornatum, & cælestium bonorum copia præditum, non facile in arrogantiam pertrahi sinere, non agnoscentem seruili se esse condicione, modumq. certum seruis esse constitutum. (Ille namque latus ad gloriam cursus, & immodica libertas, ad supercilium & execrabile vitium pertrahit) ideo lex illi continentiæ data est, quæ occasio illi esset dominum agnoscendi, vt per eam semper ad memoriam reuocaretur illius, qui potestatis iure præcepisset, certoq. sciret se dominatoris legibus esse subiectum. Sed impia illa Deoq. exosa bellua non quiescebat.
Luc. 10. PALLAD. Satanam opinor intelligis, qui e cælestibus orbibus fulguris instar deiectus est. Adeo enim puerili stultitia laborauit, vt Deus esse vellet; & quæ supra naturam suam erant, demens animo fingeret. CYRILL. C Optime conijcis. Nam cum inuidiæ & peccati esset inuentor, non sibi cessandum putauit, quominus circa terrenum animal, id est hominem, aliquid experiretur. Tum dolo & artibus eum aggressus, ad inobedientiam pertraxit, muliere pro instrumento suæ calliditatis vsus. Semper enim nos ad deformitatem, hoc est, ad peccatum impellunt, quæ nobiscum & in nobis existunt voluptates: mulier autem figura est voluptatis: blanditijs porro voluptatum illectus animus frequenter ad id, quod minime volebat, delabitur. Quod igitur in Adam tamquam in crassiore quadam rerum imagine etiam sensibili modo vsuuenisse conspicimus, hoc ipsum in vnoquoque nostrum spirituali modo ac latenter impleri, haud difficile est videre; prius namque exorta voluptas fascinat mentem, eoq. paulatim deducit, vt arbitremur iam nullius plane momenti esse diuinæ legis violationem: idq. confirmat ille Christi discipulus, cum dicit; [Nemo, dum tentatur, dicat quod a Deo tentatur. D
Iacobi. 1. Deus enim intentator malorum est; ipse autem neminem tentat. Vnusquisque autem tentatur a concupiscentia sua abstractus & illectus: deinde concupiscentia, cum conceperit, parit peccatum; peccatum autem, cum consummatum fuerit, generat mortem.] PALLAD. Vera oratio. CYRILL. Cum is igitur Dei gratiam amisisset, ac bonis illis, quibus ab initio donatus fuerat, essetnudatus, eiecta e paradiso deliciarum, & ad deformitatem euestigio conuersa est hominum natura, & quod in interitum ruisset, patefactum. PALLAD. Necessario sane: Dei namque donorum inopem esse, nihil est opinor aliud, quam ab omni penitus bono extorrem fieri. Facile autem hominis natura ad quæuis absurda deferetur, nisi illam Saluatoris gratia in virtute

A tute sustineat, ac bonis cælestibus, quorum est ipsa fons, augeat. CYRILL. Recte sane dicis. Iure enim optimo tibi assentior; alit enim ad spirituales vires accipiendas panis ille viuus, id est Dei verbum. Scriptum est enim; [Panis confirmat cor hominis:] seruitute quoque & prauis affectibus liberat, & aurea libertatis gloria decorat. At si manum quodammodo contraxerit Deus, horumq. bonorum nobis copiam minime suppeditarit, necesse est omnino, vt in mala etiam præter voluntatem incidamus, atque ab omni prorsus virtute delabamur, ac veluti alterius iugum subeamus, ad eaq. mala, eamq. iniuriam perueniamus, vt non multum absit, quin ipsam quoque iam intelligentiam, quæ ad omnia nobis bonorum genera adipiscenda & administra est & coniuncta, amittamus, vt appareat, sapientia quæ secundum Deum est, plane destitutam esse eius, qui in hoc malum inciderit, mentem, a satana adulteratam, & illius libidini & intemperantiæ nullo negotio prostitutam. *Psal. 103.*

B PALLAD. Demonstrabisne quo pacto id accidat, an in nudis cogitationibus nos fluctuare sines? CYRILL. Minime vero. Ostendam enim vt res patitur, pulcherrime, & ea quæ veteribus acciderunt, artificiose ad rerum spiritualium figuram expressius effingam. Nam ea, quæ veluti sensibus & aspectui corporeo sunt exposita, rerum, quæ subtili contemplatione cernuntur, imagines euidentes atque perspicuæ esse poterunt. Scriptum est enim de Patriarcha Abraham; [Et facta est fames in terra: & descendit Abraham in AEgyptum, vt peregrinaretur ibi; quia inualuerat fames in terra:] dulci enim & natali solo relicto, in aliam se regionem contulit, quam ostenderat Deus. [Exi enim inquit de terra tua, & de cognatione tua, & veni in terram, quam monstrauero tibi.] Ingrauescente autem fame, & ineuitabile damnum inferente, inuitus AEgypti regionem inuisere coactus est: in qua non vt habitator, sed vt peregrinus versaretur. PALLAD. Quorsum hoc spectat? *Iob 11.* *Genes. 12.* *Genes. 12.*

C CYRILL. Optimam nobis rerum secretiorum contemplationem informat. PALLAD. Quonammodo? CYRILL. Iudæos de incredulitate obiurgans, ait Deus; [Ecce inducam famem super terram, non famem panis, neque sitim aquæ, sed famem audiendi verbum Domini, & ab oriente vsque ad occidentem circumcursabunt quærentes verbum Domini, & non inuenient.] Num igitur, Palladi, hoc famis genere oppressos, & a subministratione illa Dei, quæ nos in virtute continet lapsos, escaq. carentes illa cælesti atque superna, non omnino necesse est inquilinum quodammodo ac velut exulem fieri animum ad deteriora iam demigrantem, & ex virtutis firmitate tamquam ex propria regione pulsum, descendere in alium habitum, atque voluntatem, non adhuc Dei imperio, sed sceptris diabolicis subiectam? parens enim opinor & rex peccati is est, qui primus illud in mundum intulit, cuius figuram atque imaginem tenere non absurde, vt opinor, intelligere possumus Pharaonem illum AEgyptiorum principem, apud quos densæ erant *Amos 8.*

D errorum tenebræ, nec vllum omnino vitiorum genus, cui non studium impenderent. PALLAD. Et quanam fuit Abraham affectus molestia, ex eo quod in AEgyptum descenderat? CYRILL. Maxima sane: propemodum enim vltra omnem malorum modum perlatus est; id autem facile disces, cum scriptura dicat, [Factum est autem, cum ingrederetur Abraham in AEgyptum, videntes AEgyptij mulierem, quod esset pulchra nimis, & viderunt eam Principes Pharaonis, & laudauerunt eam apud Pharaonem, & induxerunt eam in domum Pharaonis.] Vide igitur, Palladi, illum propemodum vxorem amisisse. PALLAD. Quam asper casus, & grauiter ferendus! CYRILL. Atqui hoc idem spiritualiter in nobis ipsis vsu venit. Quibus enim acciderit e con- *Genes. 12.*

sueta

sucta & dulcissima honestate ac virtute, tamquam e sua patria pelli, & ad deteriora descendere, & sceptris diabolicis subdi, eos vndique omnibusq. modis aggrediuntur, iisq. vehementer insidiantur illæ improbæ atque aduersariæ potestates; ac siquem ex ijs, qui sibi subiecti sint, haud mala esse viderint intelligentia, cum suo duci vendicare conantur, atque illius libidini subiiciunt, vt A

Abacuc 1. non iam amplius Deo, sed satanæ fructificet: [escæ namque illius (vt scriptum est) electæ sunt;] ac demulcere student quodammodo captiuum ac sublapsum animum, ne si acute perspiciat, ad libertatem a seruitute refugiat. Itaque conciliant illi nonnunquam in terrenis rebus voluptates, & inanibus oblectationibus augent, vt illi quoque AEgyptiorum Principes fecerunt, qui Abraham amissa coniuge, blandiendo, honoribus ac donis a maximo mærore auocare

Genes. 12. cupiebant. Scriptum est enim, [Abraham benigne vsi sunt propter illam:]

Genes. 12. haud dubium, quin propter Sarram, [& fuerunt illi oues & boues & asini & serui & ancillæ & muli & cameli.] Cum enim in præcipuis rebus iniuria nos B afficiat, & fetum fœcunditatemq. ingenuam nobis adimat Satanas, & tyrannica vi suæ libidini & intemperantiæ nobilitatem animi subijciat, terrenarum oblectamentis vicissim deuincit. In eam vero insaniam olim est progressus,

Luca 4. vt ipsum quoque Christum tentare veritus non sit: [& assumens (inquit) eum, ostendit ei omnia regna orbis terræ in momento temporis: & dixit ei diabolus, Tibi dabo potestatem hanc vniuersam, & gloriam eorum. Tu igitur, si adoraueris coram me, tua erunt omnia, quia mihi tradita sunt, & cui volo, do illa.] PALLAD. Recte habet. Ceterum dic, obsecro, ijs qui in hæc mala inciderunt, quodnam leuamen, quodue auxiliū existere possit. CYRILL. Deus, Palladi, & eius gratia, quæ non vsquequaque permittit infirmum animum sub pedibus esse Diaboli, sed protegit ac liberat eum, qui se tueri ac defendere nullo modo potest. Licet autem videre, si velis, idipsum Abraham patriarchæ contigisse: cum enim desperasset vir iustus, neque omnino aliquid efficere posset, medius interuenit Deus, qui ab AEgyptiorum intemperantia mu- C

Genes. 12. lierem liberauit. [Flagellauit namque Dominus Pharaonem flagellis magnis atque terribilibus, & domum eius propter Saram vxorem Abraham:] quo facto vix tandem iusti hominis coniugem ab intemperantia liberā dimisit. Deus igitur & quidem solus, captum animum ex diaboli manibus eripere facile potest: atque ad honestatem pristinam reuocare. PALLAD. Inopia igitur cælestium bonorum depulsi quandoque ad turpes atque execrandas actiones delabimur. CYRILL. Ita sentio. PALLAD. Attamen diuinæ benignitati congruere videtur, non permittere, vt in huiusmodi aliquid incidamus. CYRILL. Congruit & quidem maxime id Deo, atque adeo vult, Palladi: alioqui minime bonus esset, nec sane virtutis amans, nisi hoc erga nos esset animo. Sed quod hæc nobis accidunt, nostra culpa est, qui omnium dominum ad iram commouemus, quo facto, in animum infirmum parumque D virilem ille nos coniicit. An tu minime exaudis eius vocem, cum per quendam

Hierem. 6. sanctorum prophetarum clamat, [Ecce ego do super populum istum infirmitatem; & infirmabuntur in illa parentes & filij simul, vicinus & proximus eius

Rom. 1. peribunt.] Scribit etiam de quibusdam vir sapientissimus Paulus, [Et sicut non probauerunt Deum habere in notitia, tradidit illos Deus in reprobum sensum, vt faciant quæ non conueniunt.] Idipsum magis perspicuum facit Esaias, dicens tamquam ex persona filiorum Israel, aut eorum certe, qui in pec-

Esa. 64. cata lapsi essent, [Ecce tu iratus es, & nos peccauimus.] PALLAD. Num igitur, obsecro, segnitia atque inertia decedentes ab officio, ac peccatis irretiti, conijciemus culpam in Deum, & eius iras accusabimus, tamquam pro-

A pterea peccauerimus? CYRILL. Ille vero minime culpandus a nobis est; id enim esset insaniæ: sed, cum dicimus; [Tu iratus es, & nos peccauimus,] tale aliquid intelligimus, Nisi te benignum habuerimus, Domine, nihil erit, quod prohibeat, quominus a peccati tyrannide opprimamur, propter nostræ naturæ infirmitatem, atque ita denique omnibus malis implicemur. PALLAD. Intelligo quod dicis. CYRILL. Superna itaque cura ac prouidentia spoliati, cum de nimia nostra inertia atque ad nequitiam præcipiti propensione pœnæ a nobis sumuntur, infirmi tum & captu faciles & quo non eius generis malo laborare deprehendimur? In promptu autem tibi est, id aperte perspicere, legenti Hieremiæ verba. Efferata namque Iudæorum multitudo, quamuis admodum abunde luxuriaret, ac difflueret in summa Dei liberalitate, cum & hostibus omnibus dominaretur, & ad summum denique humanæ gloriæ verticem peruenisset, durissimam tamen atque peruicacissimam perfidiam est meB ditata. Itaque cum Moysi mandatis multam salutem dixissent, ac sancitas leges prorsus pro minimo haberent, præcipiti impetu in mortem atque perniciem ferebantur. Sub quercus namque & populi & arboris frondentis vmbra iuxta prophetæ vocem, aras extruxerant, & in nemoribus arborum multitudine consitis, lucis ad dæmonia colenda constitutis, illa boum victimis & ture, & alio omni cultu venerabantur, Deos & conseruatores, & omnibus eius generis nominibus opera sua appellare non erubescentes. Quinetiam in eam stultitiam peruenerunt aliquando, vt iam impias illas suorum liberorum cædes sibi gloriæ esse putarent, tantoque scelere opimam se illis victimam offerre existimarent. Neque vero intra hos fines impietas filiorum Israel stetit; sed tantis facinoribus additamenti cuiusdam vice in dies adiiciebant effrenatam ad absurdissima quæque licentiam. Itaque aduersum se benigni licet legislatoris iram haud leuiter prouocauerunt. Ergo quoniam eius seruitutem audacissiC me illi repulerant, permisit is, vt ab hostibus opprimerentur, & ad necessariam abducerentur seruitutem, qua sub ditione Chaldæorum Babyloniorumq. fuerunt. Qui cum relictis quæ domi erant, venissent, vt illos captiuos ducerent, ac sanctam illam nobilissimamque vrbem incenderent, tum vero iis, qui oppugnabantur, vix tandem animo insedit, vt Hieremiam prophetam consulerent, quis finis illius mali esset futurus. [Et dixit (inquit) Hieremias, Sic dicetis Sedeciæ, Hæc dicit dominus, Ecce ego conuerto arma bellica, in quibus vos pugnatis aduersus Chaldæos, qui concluserunt vos extra murum, in medium ciuitatis huius, & debellabo ego vos in manu extenta, & in brachio forti, cum furore, & ira magna; & percutiam omnes habitantes in ciuitate hac; homines & iumenta in morte magna, & morientur.] Deinde post nonnulla, [Et ad populum, inquit, istum dices, Hæc dicit dominus, Ecce ego dedi coram vobis viam vitæ, & viam mortis: qui manserit in ciuitate hac, morietur in glaD dio, & in fame, & qui egressus fuerit, vt transeat ad Chaldæos, qui concluserunt vos, viuet, & erit anima eius in spolia, & viuet; quia obfirmaui faciem meam aduersus vrbem hanc in mala, & non in bona; & in manus regis Babylonis tradetur, & incendet eam igni.] Intelligis igitur, si nostris malefactis Deum offenderimus, fore vt hostium potentiæ miseri obsistere non possimus, sed opprimente nos atque inuadente ira diuina, serui simus ex liberis, ignobilemque vitam, atque miserabilem ducamus. PALLAD. Recte ais. CYRILL. Etenim Dei lex facilem hominem atque obtemperantem ad perfectam viuendi ratione perducit, ac lucernæ quodammodo vsum cuique præbet ad ostendendum, quid expediat, quid ve necesse sit; quam qui reuerebitur, is opinor, non ignobilem vitam transiget, & veluti in sancta ciuitate, nimirum

Hierem. 6.

Hierem. 21.

rum in illa firmitate virtutis, ac stabilitate religionis habitabit. At vero si quis A
voluerit se in huius mundi voluptates tamquam in nemus quoddam, ac florentem, & arboribus densam siluam libentissime coniicere, & in huius vitæ oblectamentis versari, ac multiformem voluptatē tamquam idolorum quoddam examen, in cor atque in animum admittere, & alacritatis suæ fructus dæmoniis incendere, is vero iure optimo a diuino præsidio excidet, & vt paratissima præda capere volentibus proposita erit, ac veluti e sancta ciuitate pulsus, nempe a priore illa morum honestate, denique tamquam necessario seruitutis iugo ad imperantium arbitrium descendet, & longe erit a Deo affectuum genere, transferetur. Babylonem, id est, vltra terminos terræ il-
Psalm. 75 lius sanctæ, in qua [notus est Deus, & magnum nomen eius.] Itaque clamabant ij, qui tam graui ærumna premebantur, & in ditionem hostium venerant, & illam apud eos mãsionem tamquam mancipijs dignam atque seruilem
Psal. 136. non ferebant, [Super flumina Babylonis illic sedimus & fleuimus, dum recordaremur tui Sion:] huiusmodi nãque malo, nisi fallor, laborat humanus animus. B
PALLAD. Quonam tandem? CYRILL. Segnis est & supinus fere ad ea bona, quæ sunt in manu concupiscenda, neque admodum ea expetit, quæ sunt in eius potestate sita. At, si qua facta fuerit in alteram partem inclinatio, & ornamentis, quæ habebat, spoliari contigerit; tunc vix tandem in malis intelligit, quid omnibus viribus propulsandum fuisset, quamq. eius mali impetum atque incursionem prospiciendo fugiendum, ne in discrimen se coniiceret. PALLAD. Ita est. CYRILL. Necessarium est igitur, & sapientiæ plenum, & in primis vtilissimum, præcidere malorum caussas, & coactæ seruitutis aditum præcludere, & ea summo studio declinare, quæ, si experiri contigerit, in omnibus malis versabimur. PALLAD. Ita se res habet. CYRILL. Ac si diuina nobis ira necessariæ seruitutis iugum imponatur, adeo vt in reprobum sensum descendendum fit, obsistere quidem haud facile fuerit. Illud tamen dixerim, expedire vel meminisse solum, ex quibus in quæ declinauerimus, atque acerbe deflere tum nostram C
2. Cor. 7. incuriam, tum superni erga nos auxilij inopiam: [illa namque tristitia, quæ secundum Deum est, pænitentiam in salutem impænitendam operatur.] Sed si nobis diuina ira non immineat, atque liberum fit & velle, & quod visum fuerit, facere, & illam in vtramque partem propensionem, ad malum inquam & ad bonum, solutam ac liberam & ab omni penitus coactione alienam retinere liceat, cauendus est strenue ille in nequitia languor, ac repellendæ, ni fallor, eæ voluptates, quarum largitio in potestate sit hostium, vitandumq. ne in hostiũ ditione simus, qui huius mundi principes esse dicuntur; etiamsi alicui fortasse pars aliqua felicitatis adsit, felicitatis inquam illius, quæ in mundo hoc magna putatur quidem, sed turpem omnino exitum atque deformem habet. PALLAD. Quo tandem modo? CYRILL. Visne vt D
veterum exempla sumamus? PALLAD. Maxime. CYRILL. Cum fame conficerentur omnes fere homines, qui, vt in summa dicam, vbique terrarum erant, visum est filijs Iacob in AEgyptum descendere: erant autem adolescentes numero decem. Id autem, cuius gratia peregrinationem suscipiebant, erat vt coëmerent escas, præterea nihil: postea vero quam eius rei com
Genes. 45. potes facti sunt, atque agniti iam, quod fratres essent Ioseph, qui tum frumenta vendebat, & princeps erat terræ AEgypti, rem gestam auribus accepit Pharao, [& dixit, inquit, Pharao Ioseph, Dic fratribus tuis, Hoc facite; Implete saccos vestros, & abite in terram Chanaan, & accipientes patrem vestrum, & substantiam vestram, venite ad me, & dabo vobis ex omnibus bonis AEgy-

pti, &

A pti, & comedetis medullam terræ. Tu autem præcipe hæc, vt accipiant plaustra de terra AEgypti liberis vestris & vxoribus, & tollentes patrem vestrum venite, & ne parcatis oculis supellectilibus vestris, quia omnia bona AEgypti vobis erunt.] Itaque AEgyptiorũ princeps his ocium & voluptates affluentissime præbiturum se pollicebatur; plaustra quoque largiebatur, vt illos, vt puto, reformidantes ad descendendum alliceret. Hi vero cum vniuersa familia statim descenderunt, temporariorum ciborum vsum ratione nescio qua, terræ regioniq. a Deo datæ præferentes: multo namque melius atque vtilius erat ex illa sibi pastum quærere, quamuis non sine aliquo labore id effici posset. Postea vero quam in AEgyptum venerunt, putabant se fortasse iam effugisse labores, quos domi habuerant, eratq. illis præsentium voluptatum sensus periucundus. Sed interiecto tempore multitudo illa iam inde a suis maioribus ingenua ac libera, turpe seruitutis iugum subiit. Igitur mundana felicitas, cui adiunctus est ille ad turpiora lapsus, respuenda est, Palladi, si quam rationem libertatis habemus, & seruitutis & rem & sensum execramur atque auersamur.
B
PALLAD. Optime dixisti. CYRILL. Quid vero prohibet quominus illud quoque dicamus, quod, vt mihi quidem videtur, non mediocrem simul cum iis, quæ modo diximus, vtilitatem continet. PALLAD. Quidnam illud est? CYRILL. Rabsaces Babylonius Assyriorum exercitus Imperator, multitudinem militum innumeram contraxerat, veneratq. oppugnaturus, immo vero, vt ipse putabat, nullo negotio sanctam ciuitatem ex imis sedibus euersurus: deinde antequam tela coniiceret, meditatã illam, & nimium exercitatam loquacitatem aduersus Deum vibrauit. Itaque cum multa maledicta coniecisset, ad extremum illis verbis est allocutus eos, qui in sancta ciuitate habitabant, [Hæc dicit Rex Assyriorum, Si vultis benedici, egredimini ad me, & comedite vnusquisque vitem suam, & ficus suas, & bibite a- 4.Reg.19. Esai.36.
C quam de cisterna vestra, quousque veniam, & transferam vos in terram, quæ est sicut terra vestra, terra frumenti & vini, & panum & vinearum.] Vide igitur & hunc polliceri sub vite & ficu voluptatem, atque oblectationem. Illud porro adiecit, [Bibite aquam de lacu vestro.] PALLAD. Sed quidnam hæc sibi volunt, si ad spiritualem contemplationem transferantur? CYRILL. Duobus, vt arbitror, modis nequitiæ vis in nobis perficitur, aut enim extrinsecis voluptatibus, aut insitis atque in nobis hærentibus, homines ad peccandum faciles vel sua sponte, vel ab alijs ad oblectationes percipiendas persuasi, ad absurdissima quæq. lapsi esse deprehenduntur: idque verum esse, ille Saluatoris nostri discipulus ostendit his verbis, [Omne, quod est 1. Ioan.2.
in mundo, aut concupiscentia carnis est, aut concupiscentia oculorum, aut superbia vitæ:] insita namque est & in nobis ipsis infixa & hærens concupiscentia carnis, eamq. peccati legem beatus quoque Paulus appellat, habitantem Rom.7.
D in membris carnis. Externæ autem voluptates atque aduentitiæ oblectationes eæ sunt, quæ oculorum sensu percipiuntur. Diuitias enim per oculos admirantur homines, necnon vestium pompam, reliquaq. omnia, quæ si assequerentur nonnulli, maxima iucunditate fruerentur. cum illa haud mediocria putent. Ergo vitis quidem, & ficus externæ illius & aduentitiæ delectationis ac voluptatis figuram non absurde tenent, cum simul rerum, quæ in mundo sunt, breuem fluxamque naturam, & simul dulcedinem coniunctam cum ea vi, quæ caput tentet, & tenebras offundat, non ineleganter ostendant: etenim mundana voluptas omnis dulcem habet ad præsens sui perceptionem; sed eum, qui se perceperit, tenebris complet, & grauiter ebrium reddit. At vero lacus figura est insitorum in nobis motuum: neque

enim

enim aduentitij sunt hi similiter atque illi, sed in nobis velut e fonte manant, cum ex ipsa nostra carne scaturiant. Harum igitur omnium tam naturalium quam aduentitiarum voluptatum liberam nobis perceptionem affluentissimamq. oblectationem fore inquiunt illæ nequissimæ potestates, si continentia velut sancta atque firmissima ciuitate relicta, ad regem Babylonis, qui figuram Satanæ tenet, accesserimus. Itaque Rabsaces quidem indulgere illis præsentem voluptatem, eique se adiecturum pollicebatur, si ad Babylonios defecissent: at illi cum saperent, minime id sibi persuaderi passi sunt. Sequitur enim omnino, vt, qui volens mundanas voluptates amplectitur, is nolens in seruitutem incidat, & in captiuorum numero censeatur. PALLAD. Vera dicis. Sed quomodo de tantis malis eripi possimus, iucundissimum fuerit, si exposueris. CYRILL. Quonam alio modo, nisi illi priori contrario? Nam cum nostrarum voluntatum momentis ad vitam turpiter agendam propenderemus, & illam perfectæ vitæ elegantiam abiecissemus, ad ignobilem ac seruilem animum prolapsi sumus, cum sola ea, quæ super terram sunt, saperemus, atque omnibus modis carnis voluptatibus incumberemus. Itaque permisit Deus, vt in reprobum sensum delaberemur. PALLAD. Contrario igitur cursu nobis est ad virtutem remeandum. CYRILL. Et quidem nulla interposita mora, Palladi, ita vt nobis mundanam hanc vitam non esse expetendam ducamus, iuxta illud, quod est a Paulo præclare dictum, [Mortui enim estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo;] sed potius eo desiderio ardeamus, nomen vt nostrum in cælis describatur, patriamq. nostram atque ciuitatem illam supernam æstimemus, clamemusq. ad Deum, [Remitte mihi, quia aduena ego sum in terra, & peregrinus sicut omnes patres mei.] Nam qui in terris ambulat, ius autē ciuitatis præclarū in cælis habet, is demum aduena & peregrinus ex ipsis rebus plane comprobatur, Itaq; Saluatoris nostri discipulus id tamquam præclarum atque gloriosum putare nos ipsos iubet his verbis, [Fratres, obsecro, tamquam aduenas & peregrinos, abstinere vos a carnalibus desideriis, quæ militant aduersus animam. PALLAD. Num igitur, sic affectum esse, id est a carnalibus concupiscentiis cessauisse, satis est ad virtutem præstandam? CYRILL. Si quidem hæc quoque sapienter accesserint, quæ ad illam alteram morum probitatem, spiritualem nempe, spectant: scriptum est enim, [Latum mandatum tuum nimis.] Quid? nonne duplex est in nobis inquinamentum, animæ inquam ac spiritus? Igitur æquissimum esse arbitror, vt iis, quæ inquinare solent, æqualia ac paria succedant, quæ abstergendi vires habeant. PALLAD. Recte dicis. CYRILL. Vt igitur duplex est macula, animi & corporis; sic itē purgationē aliam animæ, aliā corporis esse, conuenientissimū est. Ceterum hoc ipsum, nempe præsentē vitam incolatū putare, iis qui ita sunt affecti, nō esse inutile, perfacile videri potest, si cui placuerit, in Abrahā eius rei imaginē intueri, cui dictum a Deo est, [Exi de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui, & veni in terram, quam monstrauero tibi, & faciam te in gentē magnam, & benedicā tibi, & magnificabo nomen tuū, & eris benedictus; & benedicam benedicentibus tibi, & maledicentibus tibi maledicam; & benedicentur in te omnes tribus terræ.] Intelligis igitur, quod non ex terra & domo solum, sed etiam ex cognatione, atque adeo ex domo patris discedere iussit, & venire in terram, quam ipse, qui vocabat, ostenderet. PALLAD. Sed quidnam hoc sibi vult? CYRILL. An vero, cum Deus nos ad sequendum se vocet, haud dubiū, quin spiritualiter; cumque eos, quos illi honorare placuerit, ex mundana vita, voluptuosa inquā, & carnis desideriis dedita, exire velit, negari potest, quin aperte stul-

Marginalia: A; B; Coloss. 3.; Psal. 38.; C; 1. Pet. 2.; Psal. 118.; D; Genes. 12.

A stultissimum sit, quidpiam putare huic tantæ rei esse præferendum? Immo vero pro nihilo habeatur patria, genus, domus patris, ipsa denique terrenarum rerum possessio. Itaque etiam ipse Saluator ad similem nos animi fortitudinem vocabat dicens, [Qui amat patrem aut matrem super me, non est me dignus; &, qui non accipit crucem suam, & sequitur me, non est me dignus; & qui amat filium super me, non est me dignus.] Adiecit etiam illud, [Et omnis, qui dimiserit fratres aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut vxorem, aut filios, aut agros, aut domos propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.] Quid? non summæ fortitudinis, illius inquam, quæ in Christo est, opus esse confiteris, hanc adeo præclaram, spectatamque virtutem, quæ nihili pendat hæc omnia; sequi autem Christum, plurimi faciat? PALLAD. Ego vero fateor, nam & ab illa præstantissima spe, & a iucunditate, quæ est in Christo, exciderunt, qui venire, cum ad nuptias essent B vocati, renuerunt; ex quibus vnus dixit, [Vxorem duxi, & non possum venire:] alter vero, nescio quid se coëmisse cum diceret, diuinæ vocationi temporalia prætulit. CYRILL. Præclare sane, Palladi: exhilaras enim nos, cum congruentia dicis, & ingenij alacritate præcurris ad nostræ orationis finem acriter intelligendum. Vide igitur, iis, qui integre atque perfecte Deum sequuntur, & spei, quam in illo constituerunt, res carnales, ac mundanam voluptatem posthabent, contingere omnino, vt cælestem benedictionem abunde consequantur. Quid enim ait ad Abraham? [Et faciam te in gentem magnam, & benedicam te,] & ea, quæ sequuntur. Vides ergo quantis illum spiritualibus bonis cumularit? Iam vero quemadmodum excedat e natali solo Abraham, nonne dignissimum est, vt videamus? [Accepit enim, inquit, Saram vxorem suam, & Lot filium fratris sui, & omnem substantiam ipsorum, quam possederant, & omnem animam, quam possederant in Charran, & exierunt vt ve- C nirent in terram Chanaan: & pertransiuit terram Abraham per longitudinem eius, vsque ad locum Sichem ad terram sublimem.] Excessit quidem ex Charran, nec vllas ibi rerum suarum reliquias dimisit, sed cum genere vniuerso quodammodo, vniuersaq. familia summa cum alacritate contendit in terram Chanaan, quam Deus ostenderat. Deinde pertransit terram per longitudinem eius, & in terram peruenit sublimem. Quisquis enim decreuerit diuinis obsequi præceptis, ac supernam vocationem præcipua cura excipiendam putarit, exeat is e voluptuosa vita totus omni ex parte, ac veluti cum genere vniuerso; neque vllam mentis suæ partem ibi relinquat, vbi antea versabatur. Sic enim rite proficiscetur, terramq. pertransibit, ad quam est a Deo vocatus, vt quemadmodum scribit beatus Paulus, [possit comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit latitudo, & longitudo, & sublimitas, & profundum] mysterij Christi. Tunc enim optime ad terram sublimem ascendet, id est, ad animi habitum, D qui in superiore virtutum loco situs est, nulla ex parte ad carnis voluptates proiectus atque procliuis. Is autem, qui eo peruenerit, quid boni assequatur, ex ipsis sacris litteris intelligemus. [Apparuit enim, inquit, Dominus Abraham, & dixit ei, Semini tuo dabo terram hanc. Et ædificauit ibi Abraham altare Domino, qui apparuerat ei:] nam cum adhuc in patria commoraretur, necdum ad sanctam terram se se contulisset, solum illud responsum accepit, quo in aliam regionem, omni cura patrij soli posthabita, migrare iubebatur: postea vero quam cum tota domo vniuersaq. supellectili venit in terram Chanaan, atque ad terram sanctam ascendit, tum vero illi diuinæ visionis gratia concessa est, speiq. firmitas adiecta, confirmatione pollicitationis, altarisq. extruendi iam potestas facta. Ad nos item simili ratione, quamdiu in

Matth. 10.
Matth. 22.
Genes. 12.
Genes. 12.
Ephes. 3.
Genes. 12.

mundo manemus, & in illius impurissimis voluptatibus inhærescimus, nulla A
permanabit a Deo gratia. Sed, si vocati, diuinis legibus obtemperauerimus,
& ad omnium bonorum expetitionem atque alacre studium tamquam in excel
sam terram conscenderimus; tum vero nobis immittit Deus gloriæ suæ cogni-
tionem, & spei firmitatem pollicetur, adeoq. fortem in nobis animum effi-
1.Pet. 2. cit, vt iam possimus hostias offerre spirituales, & Christi bonus odor fieri Deo
2. Cor. 2. & patri, sicut scriptum est; exhibere etiam ipsum quoque corpus hostiam vi-
Rom. 12. uentem, placentemque Deo; nempe rationalem illum & in spiritu cultum,
qui Deo est in primis acceptus: libenter enim amplectitur spiritualis illius
obsequij ritus, atque illud hostiam spiritualem putat. PALLAD. De-
cet igitur, vt a turpioribus factis digressi, ad meliorem vitam nos conferamus, supernamque vocationem libentissime amplectamur, in iisque rebus
maxime versari cupiamus, quæ a lege probantur, & a Deo optima iudicantur. Nam retrorsum abire velle, & ad ea reuerti, a quibus lædimur, id vero B
culpa minime vacat. CYRILL. Minime vero, Palladi; periculosissimum est enim in eos morbos velle rursus incidere, e quibus recreatus fueris: nam iis, qui semel Dei ope ex mundana conuersatione sint erepti, ad
eam vel respicere solum, ac memoria repetere peccata, atque ad ea adamanda animum appellere minime tutum est. Itaque admirabilis ille psal-
Psal. 118. morum auctor orabat dicens, [Auerte oculos meos, ne videant vanita-
tem.] Vanitas enim reuera est huius vitæ distentio, atque rerum temporalium inanis oblectatio, a quibus disiungi atque recedere oportere, earumq.
rerum vel solam cogitationis cum voluptate coniunctam considerationem ei,
qui recte ingredi velit, esse cauendam, hinc facile intelligi potest. PALLAD. Vndenam, quæso? CYRILL. Sodomorum habitatores, cum
ad eas voluptates, quæ præter naturam essent, immaniter velut œstro quodam stimularentur, cumq. contempta congressus lege, quam liberis procreandis natura ipsa præscripsit, masculorum specie illecti, ad libidines excitarentur, nullaq. adeo absurda res esset, a qua perpetranda abstinerent, iram Dei C
prouocarunt, & creatorem alioqui benignum, ad pœnas ab eis repetendas
descendere quodammodo coegerunt. Itaque, cum tempus luendi supplicij
instaret, absumpta iam quodammodo diuina in eis patientia, ingressi sunt So-
Genes. 19. domam, qui id perfecturi erant. Sic namque scriptum est, [Venerunt autem duo angeli Sodomam vesperi. Lot autem sedebat prope portam Sodomorum. Videns autem Lot, surrexit in occursum eorum, & adorauit pronus in terram & dixit, En domini, declinate in domum serui vestri, & diuertite, & abluite pedes vestros, & mane surgentes proficiscemini in viam vestram. Et dixerunt, Non; sed in platea manebimus. Et coegit illos, & declinauerunt ad eum, & ingressi sunt domum eius: & fecit eis conuiuium, & coxit
azyma, & comederunt antequam irent cubitum.] Lot namque cum ex genere esset Abraham, & in rectis legibus educatus, & in Deum pietati non minimam curam impendisset, habitabat in Sodomis. Erat autem apud eos adue- D
2. Cor. 6. na & hospes & genere & moribus. [Quæ enim societas luci ad tenebras? vel
quæ pars fideli cum infideli?] sicut scriptum est. Itaque cum contemneret vitia indigenarum, ac per illud iter vitæ ingrederetur, cui assuetus erat, sanctis adhærescebat studiis; atque cum hospitalitatis legem in primis coleret, in ipso vrbis aditu sedens, ingredientes benigne accipiebat: sciebat enim id esse
Deo pergratum. Cum vero venissent ij, qui hominibus libidine effrenata furentibus supplicium illaturi erant, (par id erat angelorum) occurrit alacriter,
& benignitatis suæ specimen euidentissimum illis præbet in eo, quod illos salutauit.

A lutauit. Adorauit enim pronus in terram; & vt domum eant, hortatur, caritatisque legibus perfruantur. At illi, Minime, inquiunt, sed in platea manebimus. Quibus verbis hospites quidem se & sine tecto esse significabant; simul vero hominem hospitalitatis studiosum ad maiorem, vt arbitror, studij contentionem incitabant, ac propemodum non ineleganter clam insimulabant, haud illi honestum fore, si se tectis exclusos & in triuiis abiectos dimitteret: quod ipsum cum ille vir iustus intellexisset, vehementius cogere cœpit; neque tamquam infirmo esset animo, parumque solido, illorum recusationem pro occasione rapuit. Itaque domum eos ducit, panes azymos apposuit, conuiuium instruxit. Atque hæc quidem ille vir iustus. Sodomitæ vero aperto ac turpi voluptatis morbo cum laborarent, hominis pij domunculam nefarie ambiunt, atque extremæ impudentiæ terminos egressi, permitti sibi postulant consueta flagitia suscipere. Deinde cum hospitalitatem sectari debuissent, libidine, quæ præter naturam erat, vexare malebant; ipsi Lot præ-
B terea, cum illos a tam immanibus fœdisque cœptis auertere conaretur, vim afferre volebant, patumq. abfuit, quin illi vim adferrent, nisi adfuissent illi seruatores: [extendentes enim, inquit, viri illi manus suas, pertraxerunt Lot ad se domum: & fores domus clauserunt: homines autem, qui ad fores erant domus, percusserunt cæcitate a minimo vsque ad maximum, & defatigati sunt quærentes ianuam.] Neque vero auxilium, quod illi præstabant, intra hunc modum stetit, scriptum namque est iterum, [Cum vero mane factum esset, vrgebant angeli Lot, dicentes, Accipe vxorem tuam, & duas filias tuas, quas habes, & exi, ne & tu pereas cum iniquitatibus ciuitatis. Et turbati sunt, & tenuerunt angeli manũ eius, & manũ vxoris eius, & manus filiarũ eius: eo quod Dominus parceret illi.] Id porro esse argumento euidentissimo potest, nos non verbis tantum & admonitionibus in animum immissis, incita- Genes. 19.
C ri vt a peccatis recedamus: sed etiam ad eam erga nos benignitatem descendere omnium saluatorem Deum, vt efficaci nos auxilio iuuet; iuxta illud, [Tenuisti manum dexteram meam, & in voluntate tua deduxisti me.] Nam quia hominis natura non est admodum firma, neque satis virium habet, vt emergere e vitiis possit, opem illi fert in ea re Deus. Itaque duplicem gratiam tribuere cognoscitur; cum enim monitis suadet, tum adiuuandi rationes inuenit, easque præsenti malo vimq. nobis afferente valentiores efficit. Videri autem facile potest, verum esse illud, paucos admodum esse quibus iustitia curæ sit, multamque in hac vita penuriam proborum hominum: [virum enim fidelem, vt scriptum est, difficile est inuenire:] tamen eiusmodi homo electus est, & diuina cura atque prouidentia non mediocri dignatus. Quamuis enim in hac vita sit inter ceteros mistus, nihil tamen ex ea re damni passus, vt lilium e spinis decerpitur: neque iustum hominem fas est, vt san- Psal. 72. Prouerb. 20.
D cti viri testantur, cum impiis perire. PALLAD. Ergo Dei benignitate, ac sanctorum angelorum ope, tum nequitiæ dominatum excutiemus; tum illud quoque proculdubio assequemur, vt nusquam omnino in prauorum hominum pœnis simul implicemur, Deo freti, qui aperte proclamat prophetæ cuiusdam voce, [Ego dominus Deus tuus, qui teneo dexteram tuam, qui dico tibi, Noli timere, Iacob, exiguus Israel, ego auxiliatus sum tibi; dicit Dominus, qui redemi te, Israel.] CYRILL. An vero parum ostẽditur Deum omnipotentem esse sanctorum hominum adiutorem, in eo quod Lot manu fuit angelorum apprehensus? illi enim angeli, figurã Dei non absurde tenent, cum tres prius ad Abraham accesserint ad quercum Mambre, duo rursus aduersus Sodomam venerint: neque enim Pater iudicat quenquam, iuxta Saluatoris no- Esai. 41. Ioan. 5.

stri vocem, sed omne iudiciū dedit filio: cum quo proculdubio simul adest Sanctus spiritus, & naturaliter inest. PALLAD. Recte intelligis. Sed, si placet ea, quæ sequuntur, consideremus. CYRILL. Nihil moror, atque iam dicam. [Et factum est, inquit, postquam eduxerunt eum foras, dixerunt, Salua animam tuam, ne respicias retro, neque stes in omni circa regione: in monte saluum te fac, ne forte simul comprehendaris.] In illis itaque verbis, A

1. Timo. 5. [Salua animam tuam,] illud manifeste dici arbitror, [Te ipsum castum custodi, & ne communices peccatis alienis,] ac vince ea, quæ mundus affert, impedimenta: neque enim vniuersus mundus iustum est pretium, pro quo anima commutetur. [Quid enim prodest homini, si vniuersum mundum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur?] Quod autem ait ita sibi esse ambulandum, ne se retrorsum conuertat, id fortasse significat, cauendum esse, ne dum nos ad nequitiam conuertimus, eadem cum iis denuo sentire incipiamus, qui in supplicium ignis propter intemperantiam inciderunt. [Nemo enim, inquit, mittens manum ad aratrum, & conuersus retro, aptus est regno cælorum.] Tenenda est namque salutis via, non hac illac deflectendum, neque ad vanas imagines mundanarum cupiditatum leuis atque volubilis animus est impellendus; sed integer atque vigilans, & qui semper directum iter aspicere curet, in nobis ipsis est conseruandus. Quinetiam id, quod maius est, dicam; ait enim Angelus, non modo ita illi esse ambulandum, ne retrorsum se se conuertat, sed opportune adiecit, [Ne stes in omni circa regione; in montem saluum te fac, ne forte & tu simul capiaris.] PALLAD. Quid vero illud est, [Ne stes in omni circa regione?] CYRILL. Illam, nisi fallor, inertiam atque segnitiem ad resiliendum a vitijs, lubricam esse, & periculosam significat. PALLAD. Quonammodo, dic obsecro. CYRILL. Propheticus enim

Matth. 16.

Luc. 9. B

Hiere. 48. sermo sic ait: [Væ qui facitis opus Dei negligenter. Currite etiam vt comprehendatis,] ait beatus Paulus. Nam nolle fortiter ac serio a turpiori vita refugere, quod animus ægre se a veteri consuetudine diuelli patiatur, ac veluti cum quadam molestia a singulis quibusque vitiis discedat, grauatissimeq. se ad id conferat, quod suapte natura prodest, non aliud est, quam in circumposita vitio regione desidere, vnde celeri cursu excedere oportet. Fieri namq. potest, vt priusquam vitij terminis excesserimus, dum semper cunctamur ac tergiuersamur, diuina nos vltio præueniat, antequam maculas purgauerimus, antequam veteris socordiæ infusam animo labem eluerimus, antequam criminum a nobis sarcinam excusserimus, iugumq. subierimus illud salutare, ac requiem per Christum inuenerimus. Optima est igitur exhortatio, [Ne stes in omni circa regione,] hoc est, caue ne in vllo nequitiæ genere moras trahere deprehendaris: sed ascende veluti in montem, in eximiam nempe ac spectabilem vitam, quæ humile & abiectum nihil habeat, sed excelsa sublimiq. virtute præcellat, ab humili quoque sensu, terreno inquam atque carnali, sit aliena. D

1. Cor. 9. C

Psalm. 46. Scriptum namque est, [Dei sunt fortes, a terra vehementer eleuati sunt.] Sen

Iob 5. sus enim ille, qui sanctos decet, longe est terrenis rebus superior. Et [pulli vulturis in sublime volant,] vt scriptum est; siquidem in cælo tamquam in monte quodam ius ciuitatis habent, & supernam illam patriam suam putant. Scribit

Coloss. 3. etiā Paulus, [Quæ sursum sunt, quærite, non quæ super terram.] PALLAD. Mons itaque spiritualis non alius est, quam vita, quæ in sanctitate ducitur, conuersationisque præstantissimæ sublimitas; contraque illa viuendi ratio, quæ in impuritatibus versatur, & peccandi studio tenetur, atque in rebus terrenis intabescit, infima intelligitur. CYRILL. Recte ais: id enim verba ipsa optime significant. Puto autem etiam illud mirabere. PALLADIVS. Quid illud tandem?

A tandem? CYRILL. Nam ille beatus Angelus fine vlla cunctatione ac respectatione currentem beatum Lot in montem conscendere oportere dicebat: is autem rogabat dicens, [Quæso Domine, quoniã inuenit seruus tuus gratiam coram te, & magnificasti iustitiam tuam, quam facis in me, vt viuat anima mea; ego vero non potero saluari in montem, ne comprehendant me mala, & moriar; ecce ciuitas hæc iuxta, vt confugiam illuc, quæ est parua, ibi saluabor: nonne parua est, & viuet anima mea? Et dixit illi, inquit, Ecce admiratus sum faciem tuam etiam in verbo hoc, ne subuertam ciuitatem, de qua locutus es. Festina igitur vt salueris illuc; neque enim potero facere quicquam, quousque ingressus fueris illuc. Ideo vocauit nomen ciuitatis illius, Segor. Sol ortus est super terram, & Lot ingressus est Segor.] PALLAD. Quænam vero ex his verbis ad nos permanare possit vtilitas, equidem aueo discere. CYRILL. An minime intelligis, quamuis propensus sis ad intelligen Gen. 19.

B dum, qui nuper e nequitia emerserint, atque statuerint viam salutis ingredi; eos non statim neque post primos conatus percipere posse virtutem, & eo peruenire, quo constituerint? quinetiam haud facile quis ad eximiam vitæ rationem adduci potest, aut longius abesse ab iis morbis, quæ cum illo adoleuerint; sed ab eiusmodi vitiis pedetentim exibit, quod ad melioris vitæ studium, & conatuum initia pertinet; non tamen sublimi admodum erit loco, aut longius remoto, sed demigrabit ille prope dixerim, tamquam in alias terras, ad vitam, laudabilem quidem illam, sed de cuius gloria non admodum sublimis atque conspicua sit opinio, cuiusmodi erat illa legis institutio, quæ ad initia probæ, spectatæq. vitæ perducebat. Scriptum namque est, [Initium viæ bonæ est facere iusta.] Vt enim qui cognitioni student, & contemplationem mysticam expetunt, iis aptus est ab initio & in primis conueniens catechesis sermo, sed iis, qui iam ad virum perfectum peruenerunt, & ad Prouerb. 16.

C mensuram ætatis plenitudinis Christi, conuenit solidior cibus, id est, rerum supremarum explicatio, via denique omnis ac ratio, per quam dogmata inuestigantur: sic in hac quoque parte, id est in moribus corrigendis haud fas est cuiquam, statim ad statum culpæ omnis expertem, id est, ad admirabilem atque sublimem viuendi rationem conscendere; procedere tamen idem potest paulatim ad habitum numeris omnibus absolutum, si ab exiguis & mediocribus inceperit, ac quodammodo progressus fuerit ad exiguam ciuitatem, & excelso monti proximam, ad eam nempe viuendi rationem, quæ vitæ præstanti atque sublimi subiecta est & inferior. Hac ratione iustus Lot, qui non in montem statim, sed in ciuitatem Segor exiguam diuertere vt sibi liceat, petit, eorum qui sic affecti sunt, non absurde figura fuerit. Quid? nonne in ipsa quoque Euangelij prædicatione, huiusmodi sæpenumero moderationem erga fideles obseruatam esse comperiemus? Beatus Paulus certe in epistola scri Ephes. 4. 1. Cor. 7.

D bit, [Bonum est homini mulierem non tangere: propter fornicationes autem vnusquisque suam vxorem habeat, & vnaquæque suum virum habeat. Hoc autem dico secundum indulgentiam, non secundum imperium: Volo enim omnes homines esse sicut me ipsum. Sed vnusquisque proprium habet donum ex Deo, alius quidem sic, alius vero sic.] Vides vt supremum continentiæ gradum veluti montem nobis ostenderit dicens, [Bonum est homini mulierem non tangere?] permiserit tamen in Segor diuertere, id est, in subiectam adhuc perfectæ virtuti vitæ rationem, vt liceat inquam cum sola sua cuique vxore copulari. Terram quoque optimam fructus reddere dicebat Saluator, hanc quidem centesimum, alteram sexagesimum, aliam denique trigesimum. Distribuit etiam talentum non æqua mensura, sed vni Matth. 13. Matth. 25.

quinque, alteri duo, alij vnum. Quibus exemplis non æquam esse virium facultatem ostendit, seque singulis dona pro cuiusque habilitate atque sententia tribuere. Vt enim modo diximus, vnusquisque proprium habet donum, vnus quidem sic, alius vero sic. PALLAD. Recte ais. CYRILL. Permittit itaque beatus Angelus, vt in Segor diuertat, [Ecce enim, inquit, admiratus sum faciem tuam etiam in verbo hoc, ne euertam ciuitatem, de qua locutus es. Festina igitur, vt salueris ibi.] Deinde inquit, [Sol egressus est super terram, & Lot ingressus est Segor.] Nec minus mirabere, Palladi, vbi didiceris, quæ sit horum verborum sententia, [Admiratus enim, inquit, sum faciem tuam, ne euertam ciuitatem, de qua locutus es.] Non enim Deo placet, si veritatem spectes, illa vitæ ratio, cui aliquid ad perfectionem virtutis deest; & hoc ipsum vel minima ex parte vitijs succumbere, illi respuendum videtur, & non longe a condemnatione abest. Ceterum indulget sua benignitate, & initiorum facultatem, naturæ viribus dimetitus, saluari iubet eos quoque, qui meditantur virtutem adhuc, non tamen per eam viuendi viam ambulant, quæ a culpa longe remota sit. Sed iis quoque, qui ad hunc virtutis gradum tendunt, & ad huiusmodi statum prouehuntur, non sine diuino lumine, supernæque lampadis præuio fulgore, eo ingredi contingit. [Ortus est enim, inquit, Sol, & Lot ingressus est Segor.] PALLAD. Quam ea, quæ dixisti, quadrant! CYRILL. Beatus igitur Lot in exiguam adhuc ciuitatem, Deo permittente, est ingressus: sed quæ eum comitabatur, vnaque fugiebat vxor, ad hoc quoque infirma esse deprehensa est: [aspexit enim, inquit, retro, & in salis statuam est conuersa.] Animaduerte igitur animum virilem, strenuumq. sensum, cum virtutem exercere cœperit, etiam si ad id, quod Deo placet, minus peruenit, tamen excedere e vitiis certe, & paulatim ad præstantiora progredi: at illum infirmum & parum virilem, cuius mulier significationem tenet, dum ad nequitiam conuertitur, fieri prorsus inutilem: id enim significare arbitror fieri statuam salis: quod non absurde symbolũ fuerit infatuatæ mentis, & animi, qui ad stultitiã transire voluerit, atque ad extremum iam stuporem peruenerit. Sal enim infatuatum ad nihilum vltra valere, etiam ipse Saluator ait; sed penitus inutile fieri foras missum, & sub pedibus hominum conculcatum. Cum itaque mulier in lapidem durata esset, non multo post Lot, quod deerat, adiecit: scriptum est enim, [Ascendit Lot ex Segor, & sedit in monte, ipse & duæ filiæ eius cum eo; timuerant enim habitare in Segor, & habitauerunt in spelunca ipse, & duæ filiæ eius cum eo.] Animus enim velut per gradus progreditur ad perfectionem virtutis, & ad eum statum, ad quem ab initio ineptus & infirmus fuerat, paulatim ascendit: proceditq. & promouet in melius, prudentia & fortitudine spirituali tamquam suis quibusdam filiis nixus, ac voluptarium illum affectum & effeminatum, cuius figuram tenet mulier, deorsum manere sinens. Habitat deinde tamquam in monte ac spelunca. Ac mons quidem sublimitatem atque eminentiam spiritualis roboris, spelunca vero fixam ac firmam in virtute perseuerantiam optime significant. Sic enim est de probis viris scriptum, [Qui ambulat in iustitia, & loquitur rectam viam: qui odit iniustitiam & iniquitatem, & excutit manus a muneribus: qui obturat aures, ne audiat iudicium sanguinis, & claudit oculos, ne videat iniustitiam; hic habitabit in sublimi spelunca petræ firmæ.] Afferri autem & alia possit a nobis non absurda huius loci expositio. Petra quidem Christus est, propter firmam illam & inuictam supremæ omnium substantiæ naturam. Porro spelunca, illa in Christo intelligi potest Ecclesia, nempe illud sanctorum hominum diuersorium, piorumq. tectum, in quo iusti viri habitant,

Marginalia: A; Genes. 19. (beside "mittit itaque beatus Angelus"); B; C; Matth. 5. (beside "etiam ipse Saluator ait"); Genes. 19. (beside "to post Lot"); D; Esa. 33. (beside "me significant"); 1. Cor. 10. (beside "ferri autem & alia")

A bitant,& quicunque ignis supplicium euadunt. PALLAD. Quam præclare mihi habere videtur hæc expositio!Sed velim equidẽ alijs quamplurimis probationibus præsentem locum a te versari:nam id velle plene cognoscere,quod vtile est, ego quidem plurimi fecerim. CYRILL. Atqui, Palladi, & congruentia dicis, (Est enim, vt opinor, ea res mentis longe studiosissimæ fructus) & mea oratio segnitiem omnem vincet: quoniam ne mihi quidem ipsi equum videtur in tam præclaris tamq. iucundis sermonibus silentium, si importune irrepserit, tenere. Igitur in vniuersum omnibusq. modis ab affectione, societateq. vitiosarum rerum, quoad res patitur, seiunctos nos esse oportere: quinetiam non aliter nobis posse contingere, vt ad virtutem recurramus,quam hoc ipso modo, quo diximus; sine vllo negocio contemplabimur, si mentis oculos iniecerimus tum in ea, quæ beato Abrahæ contigerunt, tum quæ in exitu filiorum Israel admirabilius gesta sunt, quam vt oratione explicari possint,cum B suis temporibus, effractis AEgyptij dominatus vinculis, sunt egressi. PALLAD. Exequere igitur singula:sic enim habeto, maximam te nobis voluptatem allaturum,si id facere aggressus fueris. CYRILL. Dicebamus itaque, beatum Abraham cum fame quondam intolerabili, & necessariarũ rerum inopia premeretur, non sponte ad AEgyptios descendisse; sed necessitati succubuisse. Hunc hospitem & aduenam molestijs multis & iniurijs Pharao vexauit. Nam illius coniugem violare voluit, intemperanti libidine ad turpissimi flagitij cupiditatem incensus. Id porro vt efficeret, non permisit Deus: [flagellauit enim, inquit, Pharaonem flagellis maximis propter Saram vxorem Abraham.] Est autem Pharao figura atque imago diabolicæ intemperantiæ; id enim ille spectat, in eamq. rem omni studio incumbit, vt in sanctorum virorum mentes semina suæ impuritatis infundat,vt illi exoptatos iucundosq. fructus pariant: ij autem sunt, vt opinor, variorum diuersorumq. peccatorum cri- *Genes. 12.*

C mina. Atque illius quidem vi & iniuria nemo non caperetur,& vel nolens succumberet (natura namq. nostra infirmitate virium laborat)nisi id minime permitteret Deus; & illos aduersus sanctos viros conatus, ac maligni illius insidias cohiberet. Sed non alia ratione contigisset beato Abrahæ illa incommoda vitare,nisi AEgyptiorum regione relicta, ad veterem illum diuinoq. munere concessum Dei locũ reuertisset:quo posteaquã peruenit, omni cura vacuus, optimis studijs operam dedit. Sic enim scriptum est, [Ascendit autem Abraham ex AEgypto, ipse & vxor eius, & omnia eius,& Lot cum eo in desertum. Abraham autem erat diues valde, iumentis & auro & argento: & abiit itinere quo venerat in desertum vsque Bethel, vsque ad locum vbi fuerat tabernaculum eius prius, inter Bethel & Haggai, in locum altaris, quod fecerat ibi prius, & inuocauit ibi Abraham nomen Domini.] Intelligis igitur, qui ex intemperantia seculari ad sacram vitam recurrunt,iis omnia sua simul esse abdu- *Genes. 13.*

D cenda. Nam cum vniuersa familia, vniuersoq. genere,illud etiam addiderim, cum vniuersa supellectili Abraham Patriarcha ex AEgyptiorum regione migrauit. Oportet enim omnibus modis discedere, & cum vniuersa quodammodo familia in desertum demigrare,id est, ad imperturbatum & tranquillum animi statum, vnde ab initio hominis natura discessit, cum inopia supernorum bonorum ad peiora declinauit:id enim per ænigma significat ille ad exteras nationes descensus, ab illa veteri, & iucundissima terra, in qua altare quoque erat: nam hoc pacto recurrentes, quousque ad locum ac regionem perueniamus altaris eius, quod ab initio fuerat, id est, illius veteris & nobis insitæ sanctitatis, nos ipsi quoque inuocamus rerum vniuersarum Deum,prophetica illa verba dicentes; [Domine extra te alium non nouimus, nomen tuum inuocamus.] *Esa. 26.*

mus.] PALLAD. Elegantissime dixisti. CYRILL. Id autem non aliter se habere facile intelliges, si quæ filijs quoque Israel suis temporibus acciderunt, diligenter inspexeris; quos cum cepissent AEgyptij, fame compulsos ab initio, & homines ab ipsa maiorum suorum origine, e stirpe sanctorum ortos, & liberos, ad inopinatam & insuetam subiugassent seruitutem, immaniter violenterque tractabant, suæ aduersus illos crudelitatis hac occasione confi- A
Exod. 1. cta. [Surrexit enim (inquit) Rex alter in AEgypto, qui non nouerat Ioseph, qui dixit populo suo, Ecce genus filiorum Israel multum est, & multitudine valet super nos. Venite fraudibus opprimamus illos, ne forte multiplicentur, & cum acciderit nobis bellum, adiungantur etiam hi inimicis nostris, & expugnatis nobis, egrediantur de terra.] Angebat enim, opinor, AEgyptiorum terræ Principẽ, quod vel respicerent aliquando tandem ad libertatẽ, ij qui necessario vinculo iis quæ minime prouiderant, subiugati fuerãt. [Et præposuit, inquit, eis magistros operum, vt affligerent eos operibus; & ædificauerunt vrbes munitas B
Pharaoni, Phitom & Ramesses, & Hon, quæ est Heliopolis.] Hi namque fructus erant illius non ferendi dominatus, vexationes nempe, atque ærumnæ assiduæ in luto atque opere lateritio, vrbes quoque mœnibus ac turribus cinctæ, & aggerum in agris extructiones. Hæc autem opera sine vlla mercede, multisque cum sudoribus laborantes perficiebant. Principes enim seculi huius vbi sub ditionẽ suam infelices animos hominum ceperint, in luto ac lateritiis operibus, iis inquam, quæ in terra & circa terram fiunt, eos conterunt, & ad laboriosas inutilesque occupationes distentos atque deuinctos (einsmodi namque videntur carnis opera, & quæ circa eam fiunt) acerbam ærumnisque omnibus plenam vitam degere cogunt, quæ nullam prorsus ijs, qui huiusmodi operibus incumbere coacti sunt, afferat vtilitatem. Quid enim carnis opera ac vitia miseræ nostræ animæ prosint? & lucri quædam species ad Diabolum ac Dæmonas pertinebit, & aduersariorum regno partæ opes erunt & gloria; quemadmo C
dum etiam Pharaoni gloriæ non mediocri fuit, vt putabat, vrbes sibi esse a filijs Israel extructas, neque cibo vllo præbito, neque mercede eum laborem suscipere coactis. PALLAD. Sic se res habet; est namque tua admodum euidens oratio. CYRILL. Nostrorũ igitur in terris inanium molestorum studiorum, formam quodammodo & imaginem nobis Israelitarum labor depingit, cum instet atque immineat Satanas, eiusq. comites nequissimæ potestates, quos exactorũ operum nomine, scriptura diuina significat. Hæc vero studia ærumnosam distentionem atque occupationem equidem dixerim, sudoris ac laboris plenam, ac velut luto quodam impuritatis cœnosæq. voluptatis oppletam. Sed miseratus est tum quoque Deus eos, qui per summam impietatem atque immanitatem iniquo AEgyptiorum dominatu vexabantur, iisque præter omne ius fasq. seruiebant. Illico nãque suæ erga illos benignitatis administrum Moysem optimum virum elegit. Quid? non hoc ipsum comperiemus Deum erga nos facere? Nobis enim in peccata lapsis misericordiam impertit, atque in omnium cordibus illico suam legem inserit, quæ velut mediator quidam ad liberam nos reuocet vitam PALLAD. Intelligo quod dicis. D
CYRILL. Visne igitur, vt, historia breuiter comprehensa, quoad fieri poterit, congruentia dicamus? PALLAD. Maxime vero. CYRILL. Sic
Exod. 5. igitur scriptum est, [Post hæc ingressus est Moyses & Aaron ad Pharaonem; & dixerunt ei, Hæc dicit Dominus Deus Israel, Dimitte populum meum, vt mihi festum celebrent in deserto. Et dixit Pharao, Quis est vt audiam vocem eius, vt dimittam filios Israel? Non noui Dominum, & Israel non dimittam.] Moyses enim & Aaron ex AEgyptiorum regione ac terra dimitti debere po-

A re populum Israel confirmabant, Deo ad festum agendum euocante; festum enim reuera est eo actæ seruitutis a se iugum excutere, & in Dei esse præterea potestate, quæq. illi grata sunt, exequi, nemine obsistente, id est, nemine cogente ad id suscipiendum & amplectendum, quod sibi videatur. Ceterum Pharao nimia linguæ licentia vtitur, & aduersus Dei gloriam audaci temeritate fertur, ac Dominum, quinam ille sit, se nosse negat, nec commissurum se, vt Israel dimittat. Sed beatus Moyses minime desistit, Deique voluntatem perfici oportere audacter confirmat. Nam Satana eos, qui in sua potestate sint, impediente, ne ad libertatem recuperandam tendant, curandum illis est, vt viriliter agant, & omnia impedimenta vincant, minimeque timidi videantur, quinpotius instent dicentes, [Deus Hebræorum vocauit nos : ibimus igitur viam trium dierum in desertum, vt sacrificemus Deo nostro, ne forte occurrat nobis mors aut cædes.] Hæc enim verba nobis quoq; tunc sapiens vir Moyses *Exo. 5.*
B non sine vocis contentione dicebat: neque enim, inquit, perindeac vos, o AEgyptij, vitulum nos Hebræi veneramur, neque suem aut capram, aut hominis effigiem, volucriumque animantium adumbratam formam, aut reptantium imagines, quæ in vestris collocatá sunt templis : sed vocauit nos Deus ac Dominus, qui hoc vniuersum est fabricatus. Magnus autem est, & cum AEgyptiis diis minime recensendus; supra creaturam quoque omnem, Hebræorum Deus, qui nos in desertum vocat, vt ibi gratam ipsi hostiam offeramus. Atque AEgyptus quidem obtenebratio dicitur. AEqnum autem esse arbitror, vt nos, qui spirituales sumus, spiritualiter ea, quæ in vmbra & figuris tradita sunt, intelligamus. Oportet enim nos ab omni re, quæ tenebras offundere soleat, longissime abscedere; & vbi ex illa facilitate peccandi velut regione quadam, quæ in tyranni, Satanæ videlicet potestate fit, excesserimus, tum ad liberam illam puriorem q. vitam strenue properare, ac per viam legitimæ conuersatio-
C nis ambulare, Dæmoniis minime subiectam: tum namque poterimus Deo iustitiæ fructus offerre. Iter porro trium dierum Israelitis faciendum esse, Moyses affirmabat: quibus verbis significabat, longissime a nequitiæ terminis, & ab ea vita, quæ iniquo dominatu prematur, abesse oportere. Sapienti autem quodam prætextu beatus Moyses vtitur, & rationabili admodum caussa iis, qui a Deo vocati essent, secedendum esse dixit ex AEgypto; [ne forte, inquit, occurrat nobis mors aut cædes.] PALLAD. Quid vero hoc est? neque enim scire cupientibus expeditũ est ad intelligendum. CYRILL. Ego vero exponam. Mos apud AEgyptios inoleuerat, qui adhuc apud idolorum cultores seruatur, vt templa adeuntes vitent ne cadaueri occurrant. Summam enim impuritatem esse aiunt non modo sponte illud attingere, sed vel in eius duntaxat aspectum incurrere. Igitur ex receptis apud eos moribus suadet, se pure sacrificare non posse, si alicunde ex improuiso, vbi hoc agere cepissent, cadauer *Exod. 5.*
D aut cædes occursaret, id est, vel naturæ lege mortuus, vel ab homicidis per vim occisus. Vobis enim, inquit, sacræ sunt ædes ac delubra claustris ac portis munita, intra quæ cum ingressi fueritis, caste sacrificare, vt ipsi existimatis, licebit: nos vero in media vrbe sacrificantes, & in triuiis & in agris, necesse est cadauerum aspectu pollui: nihil enim est omnino, quod aspectum coercere possit. Ac simplicis quidem historiæ ratio ex AEgyptiorum moribus probabilitatem habet. Neque tamen minus recte dicta sapientissimi viri verba comperiemus, si spiritualiter intelligantur. Oportet enim nos tamquam in deserto sacrificare, sanctumq. festum Deo celebrare, ab AEgyptiorum terris excedentes: vitandus præterea mortis aspectus; vacuo enim animo, & longe a tenebris remoto; quas mundus offundit, oculis quoque auersis ab iis rebus, quæ ad interitum

teritum corruptionemq. perducunt, ita demum caſte omnium principi Deo ſacrificabimus. Opera namque mortua, carnis opera ſunt: obtenebratio autem mundana, illa ex laborioſis inutilibuſque curis atque diſtentionibus perturbatio atque confuſio, quæ purum illum atque perlucidum mentis ætherem polluit; a quibus eſſe recedendum iis, qui ſincere Deum colere velint, etiam hiſtoriæ verba perſuadent. PALLAD. Id quidem minime eſt obſcurum: ideoque velim illa, quæ deinceps ſequuntur, exequaris. CYRILL. Iſraelitas igitur ardentiſſimum, vt opinor, & acerrimum antiquæ libertatis inuaſerat deſiderium: cumque vehementer ad eam adſpirarent, eius iras, qui illis iugum ſeruitutis impoſuerat, commouerunt; qui cum diceret huiuſmodi rerum deſiderium ex ocio deſcendere, augeri illis operum ſudorem, laboremq. iuſſit. Itaque vt ſine vlla dilatione ab eis expoſceretur conſueti operis ſumma, palearum vero tributio præter conſuetudinem denegaretur, iniunxit: dicebat enim, [Vacatis, ocioſi eſtis, ideo dicitis, Eamus & ſacrificemus Deo noſtro. Nunc igitur euntes operamini: paleæ enim non dabuntur, & ſummam lateritij operis dabitis. Videbantque ſe ſcribæ filiorum Iſrael in malis, dicentes, Non minuetis a ſtatuta ſumma laterum per ſingulos dies: occurrerunt autem Moyſi & Aaron exeuntibus in occurſum eorum, cum egrederentur a Pharaone, & dixerunt illis, Aſpiciat Dominus ſuper vos & iudicet, quoniam execrabilem feciſtis odorem noſtrum coram Pharaone, & coram ſeruis eius, vt daretis gladium in manus eius ad interficiendos nos.] Quid tu, Palladi, nonne veriſſimum eſſe dices, vbi ceperit quis diabolici dominatus iugum excutere, contraque diuini cultus gloriam præclaram illam & liberam ſuſcipere, vacareque & cognoſcere eum, qui eſt vere dominus, vt in pſalmis canitur, [Vacate & videte, quoniam ego ſum Deus,] tum fore vt ille in huiuſmodi negocio ocium ac ſtudium tamquam impietatem quandam nobis vitio vertat, vnaque cum aliis nequam impuriſque ſpiritibus ille omnium hoſtis inſurgat, immaniterque cogat, vt carnali terrenæque impuritati, & ſæculi curis atque diſtentionibus pro cuiuſque conſuetudine firmiter adhæreſcamus, minimeque permittat, vt a nequitia in qua verſati diu ſumus, abſtineamus; quinetiam id ipſum minime nobis expeditum reddat, ne vitium ſi admodum in promptu ſit, contemnatur, & ſatietatem ſui pariat? Id enim ſignificare arbitror, improbe ſummam laterum exigere; ea porro, per quæ facile confici poſſit, id eſt, paleas ſubtrahere. Eſt enim natura nobis quodammodo comparatum, vt ea in quibus aſſueti ſumus, tum maxima alacritate, & contentione quæramus, eorumque ardentiori cupiditate flagremus, cum aliquid intercedit, quod vi quadam nos ab iis conſequendis abducit. Itaque cum diuina lex humanum animum turpia dedocet, ingens quoddam deſiderium, tum maxime ſubit, quod ad eadem reuocat, & propemodum aduerſus ipſum legiſlatorem vociferari ſuadet, eiuſque rei vt in vmbris quibuſdam, ſpecimen habemus ſcribas filiorum Iſrael, qui tum operum labore conficiebantur, tum viam ad ea perficienda facilem nullam cernebant; palearum enim inopia laborabant. grauiter quoque Moyſen & Aaron culpabant, cum dicerent illos occaſionem ſuæ vexationis præbuiſſe, grauioremque ſe iniuriæ vim perpeti non alia de cauſſa niſi hac ſola, quod illos recuperandæ libertatis ceperat deſiderium, ex quo illorum ſermonibus fidem adhibuiſſent. PALLAD. Quid? non eos propemodum æqua & vera dicere cenſes? CYRILL. Ita eſt omnino, Palladi. Simul enim atque laudabilis cupiditas rectaque cogitatio nos excitauit fortaſſe ad ea, quæ Deo placent, amplectenda, & legis meminimus, quæ nos ad pietatē hortatur, ille communis omniū hoſtis nos ad ea, quæ nocent, peius impellit.

Eripit

Margin: A; *Exod. 5.*; B; *Pſal. 45.*; C; D

A Eripit tamen inde ac liberat Deus; itaque ait ad Moysem, [Vade, dic filiis Israel, Ego Dominus; & educam vos de potestate AEgyptiorum, & liberabo vos de seruiture eorum, & redimam vos in brachio sublimi, & iudicio magno, & accipiam vos in populum mihi ipsi, & ero vester Deus; & cognoscetis quod ego dominus Deus vester, qui eduxi vos de terra AEgypti, & potestate AEgyptiorum.] Nam, cum Satanas ab omni nos bono desiderio dehortetur & auertat, & quibus potest, modis a nostra in bonum propensione repellat; contra, Dei lex ad bonam voluntatem hortatur; atque inuictum eum esse, qui nos adiuuat ostendens, amplissima spe ad audendum excitat, & fidei neruos addit, Deoque tamquam vero saluatori ac liberatori addicit. PALLAD. Quam bona res ac salutaris est fides, & ardens Deum sequendi desiderium! CYRILL. Recte dicis. Quod autem fides ad perfectam virtutem tamquam ad finem tendat, tum optime nosces, cum eo, quo spectat, nostra peruenerit Exod. 6.

B oratio. Cum enim Moyses, eiusque comites venissent ad Pharaonem, vt cum eo rursus agerent, ac suaderent, vt dimitteret ex AEgyptiorum terris, & exolueret veteribus vinculis Israelem, signis, vltra quam dici possit, admirabilibus illum flectere volebant; virgam enim in serpentem commutatam ostenderunt, multoque maiora præstantioraque efficere se Dei ope facillime posse, aperte profitebantur. At ille suis magis, vt paria facerent, imperauit: quo facto id propemodum palam dicere videbatur, Non nos ignari sumus huiusmodi operum, longeque plures sunt apud AEgyptios, qui hæc profiteantur, quam apud vos; & ars magorum est ac studium hæc miracula edere, in quorum numero vos quoque estis. Itaque cum admodum induraretur, nec dimitteret filios Israel, quatuor ei graues, aliæ aliis peiores illatæ sunt plagæ: aquæ enim in sanguinem mirabilis illa conuersio facta est, ranæque & scnipes, & ad extremum cynomyia vi minime ferenda molliorem denique Pharaonem reddiderunt. Ita-

C que cum aduocasset Moysen, ait, [Euntes sacrificate domino Deo vestro in terra. Et dixit Moyses, Non potest fieri sic: abominationes enim AEgyptiorum sacrificabimus domino Deo nostro. Si enim sacrificabimus domino Deo nostro abominationes AEgyptiorum coram ipsis, lapidabimur. Viam trium dierum ibimus in solitudinem, & sacrificabimus domino Deo nostro, sicut præcepit nobis. Et dixit Pharao, Ego dimitto vos, & sacrificate domino Deo vestro in deserto. Verum ne longe abeatis.] Cum enim Satanas obsistit, & nostrorum animorum alacritati, qua ad virtutem erigimur, nequitiam suam fortiter opponit, aduersus illum insurgit Deus, eiusque audaces impetus frangit, ac plagis emollit. At ille vix tandem dimittit inuitus: conatur tamen persuadere nobis, vt Deo cultum non accurate admodum exhibeamus, neque penitus ab ipsius seruitute recedamus: non enim extra suam regionem, sed intra illius fines sacrificare Iudæos iubet. Sed sapientissime Moyses, [Non potest Exod. 8.

D fieri sic,] inquit; semper enim ille peccati inuentor ad res improbas est auctor; eas autem reiicit lex diuina, eaque fieri vetat, quæ illi placeant. Iis igitur, qui recte viuere velint, attendenda, non quæ malignus ille deceptor suadet, sed quæ diuinum responsum edicit. [Lucerna enim, inquit, pedibus meis lex tua, & lumen semitis meis.] PALLAD. Ita est. CYRILL. Ergo cum ille malignus nos detineat atque cohibere velit, sibique subiicere, seruiendum Deo est illi, qui secundum naturam solus est; atque sine vllo metu dicendum, [Non potest fieri sic] [nemo enim potest duobus dominis seruire: aut enim vnum odio habebit, & alterum diliget; aut vnum sustinebit, alterum contemnet.] Scriptum est item, [Væ cordibus timidis, & manibus dissolutis, & peccatori ambulanti per duas semitas.] Oportet enim, vt ego sentio, illi omnium prin- Psalm. 118. Matth. 6. Eccli. 2.

cipi

cipi Deo purum exhibere, omnisq. culpæ expertem cultum, egressos in totum ab ea vita, quæ sub illius maligni est ditione; sicque ad laudabiliorem illam alterã fortiter tendere: quinetiã [abominationes, inquit, sacrificabimus domino Deo nostro. Si enim sacrificauerimus abominationes AEgyptiorum corã illis, lapidabimur.] Ac quod ad simplicis historiæ expositionem attinet, rationabilis erat excusatio. Abominationes enim hic appellat, quæ illi colebant: vitulum porro colebant AEgyptij. Hæc igitur, inquit, si Hebræorum Deo sacrificauerimus, omnino necesse est, vt AEgyptiorum iras prouocemus, qui hoc minime ferendum putant. Et probabilis quidem hæc est expositio. Ceterum quod ad contemplationem spiritualem attinet, non mediocrem habet vtilitatem; quod enim dæmonum turba magnum existimat, ac plurimi facit, & in quo summam totam sitam esse putat, id si nos mortificauerimus, gratissimum Deo cultum exhibebimus. PALLAD. Quo tandem modo? CYRILL. Quid? carnis vitia nonne illi magni æstimant? neque vero illa per se omnino, sed quia per illa nos perdimur, & in eorum potestatem vincti ducimur. PALLAD. Ita est. CYRILL. Hæc igitur si mortificauerimus, ac veluti mactauerimus, in odorem suauitatis erimus Deo. Scribit autem Paulus in hunc A B
Rom. 12. modum, [Exhibete corpora vestra hostiam viuentem, placentem Deo, rationabile obsequium vestrum:] id autem is recte faciet, qui mortificauerit mem-
Coloss. 3. bra, quæ sunt super terram, fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam, auaritiam. Singula igitur, quæ in nobis insunt vitia, spiritualium AEgyptiorum abominationes sunt, id est, præcipuus eorum cultus. esse autem hunc morem sacrarum litterarum, vt quod idoli vice sit, & nu-
Hiere. 11. minis, abominationem appellet, confirmat Deus, cum per Hieremiæ vocem de Iudæorum Synagoga dicit, [Cur dilecta in domo mea fecit abominationem?] Quod si quis abominationem AEgyptiorum intelligere voluerit rem exosam & auersandam, ne is quidem a recta intelligentia aberrauerit: quæ C enim immundi spiritus semper odisse & abominari consueuerunt, ea a nobis Deo in odorem suauitatis offeruntur, & hostiæ spirituales sunt, fides, mansuetudo, continentia, temperantia, mutuus amor, & sincere in Deum pietatis gloria. PALLAD. Et quinam vero illi fuerint, qui in regione improba sacrificant? quive intelligi possunt, qui extra eam regionem? CYRILL. Qui nondum ex AEgyptiorum terris egressi, ibidem Deo sacrificant, complures sa-
Matth. 20. ne sunt, & fortasse innumerabiles: qui vero extra terram & in deserto, pauci admodum & electi: [multi enim sunt vocati, inquit, pauci vero electi.] Omnes igitur per fidem, quæ est in Christo ad libertatem vocati sumus, & a diabolico dominatu redempti; perducente nos ad hoc Christo, qui priscis illis hominibus pulchre in Moyse & Aaron præfigurabatur, vt in eodem illum Emmanuel legislatorem & principem sacerdotum & apostolum dispensatoria ratione intelligas. At vero plurimi ex iis, qui vocati sunt, libentissime in malis veteribus versantur, qui cum haud tota mente a sæculari errore discesserint, nuda tantisper ac sola fide Deum colunt. Hos esse dicimus, qui in AEgypto sacrificant, aut certe paulum egressi, ne longe enim abeatis, inquit ille dura ceruice Pharao, tametsi ex AEgyptiorum terris egrediamini. At qui perfecte se ad virtutem transferunt, ac Deo placere student, & in totum a sæculari confusione discedunt, ij ex AEgyptiorum finibus excedunt; tyrannique manum ac potestatem effugiunt; & in vacua solutaque curis vita tamquam in deserto, puri ac pure Deo sacrificant. Equidem dixerim, & alia quoque ratione longissime ab AEgytiorum finibus iis eundũ esse, qui a colenda creatura potius quam creatore ad veritatem veniunt, atque ad cognitionem illius, qui natura Deus D

est, ud-

A est, aduocantur: nondum enim ij perfecte sunt egressi, qui a sua mente veteris erroris reliquias nōdum absterserunt. Nonnulli enim obseruant dies quosdam ac menses & tempora & annos; hi, cum ad libertatis dignitatem per Christum vocati sint, tamen AEgyptiorum regionem incolentes, Deo sacrificant, quod eam viuendi rationem retinent, quæ Satanæ sit non admodum ingrata. Sed, si quis omnino sit egressus, ac priscis moribus multam salutem dixerit, is in deserto sacrificat, vitamque summa laude dignam agit. PALLAD. Assentior: nam recte sentis. Sed iam secundo flumine ad alueum recurrat oratio. CYRILL. Mentitur itaque Pharao, & promissum abnegat, nequedum missos facit filios Israel. Deinde tribus aliis plagis vexatur, vixq. tandem annuit, dimissurumq. se ait: iterumq. mentitus deprehenditur. Mendax enim est, & in veritate non stetit, vt Saluator ait. Grandinem namque vehementissimam se AEgyptiis immissurum comminante Deo, atque etiam immittente; necnon B locustam agrorum vastatricem atque ἀγρολετήραν, si licet hanc vocem e græcis gentilibus mutuari: tum vero vix tandem illi Pharaonis scelerum acres olim atque inuicti satellites maximis aduersus eum vocibus inclamitant, dicentes, [Quousque erit nobis hoc scandalum? dimitte homines vt sacrificent domino Deo ipsorum. An scire vis, quod perierit vniuersa AEgyptus?] Ac mihi rursus ex hoc loco illud considerandum occurrit, Satanam, quibus in rebus vincere sibi decorum putat, fortasse fortiorem esse iis, quæ sub illo sunt, potestatibus; cum illæ, quamuis, vt par est, duræ sint & rigidæ admodum; & vix quidem ac sero, capiant tamen certe vel mediocrem iræ diuinæ sensum, ille vero feritate illa infanda vincit omnes, summoque rigore est obduratus. Scriptum est enim, [Cor namque eius compactum est vt lapis, & stat vt incus minime ductilis.] Cum igitur maximæ de eo querelæ factæ essent, ait tandem Moysi eiusque sociis, [Ite & sacrificate domino Deo vestro. Quinam autem ituri sunt? & ait C Moyses, Cum adolescentibus nostris & senioribus nostris ibimus, cum filiis & filiabus, & ouibus & bobus nostris: est enim festum domini Dei nostri. Et dixit ad eos, Sic sit Dominus vobiscum; quomodo ego dimitto vos, nunquid & supellectilem vestram? Videte quoniam malitia proposita est vobis. Non sic; sed eant viri, & sacrificate Deo: hoc enim ipsi petitis.] Vt intelligis igitur, Palladi, Moyses perfecta discessione proficisci debere dicebat; ille autem, Non ita, inquit; sed partem se dimissurum, eámque partem, quæ relinqueretur, obsidem quodammodo esse oportere pro reditu discedentium, ipsa quoque in AEgypto relicta supellectile. Eat enim, inquit, quisquis adolescens est, omnes etiam, qui adulta iam sunt ætate. At Moyses constanter affirmat esse, nulla re prætermissa atque relicta discedendum: sed simul cum adolescentibus, & iis, qui exacta iam essent ætate, filiis quoque ac filiabus, boum armentis aliisque pecoribus. Oportet enim, vt, qui in veram se liber- D tatem asserere velint, studeant a vitiis, quæ in sæculo sunt, abscedere, & semitam ingredi, quæ ad virtutes ducit, nullasque omnino aut animæ aut mentis reliquias dimittere, per quas iterum sub illius maligni dominatum ac tyrannidem redigantur. Ad hanc autem libertatem diuina lex vocat iuuenes & virgines, senes cum iunioribus, iuxta Psallentis vocem, atque omne genus ætatis, quæ in Christo intelligitur; quos etiam vir diuinus Ioannes alloquebatur dicens, [Scripsi vobis pueri, quia cognouistis patrem: scripsi vobis patres, quia cognouistis eum, qui est ab initio: scripsi vobis iuuenes, quia fortes estis, & verbum Dei in vobis manet, & vicistis malignum.] Aliter autem adolescentes figura esse possunt fortitudinis, prudentiæ senes, infantiæ vero illius, quæ in Christo intelligitur, filij ac filiæ: cum fortitudine namque ac

Exo. 10. *Iob 41.* *Exo. 10.* *Psalm. 148.* *1. Ioan. 2.*

prudentia, simplicitateque ea, quæ secundum Deum est, a peccato ad sancti- A
Psal.30. ficationem proficiscemur. [Viriliter enim agite, inquit, & confortetur cor
Matth.10. vestrum :] Et iterum, [Estote prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ.] Cum vero dixit, oues quoque ac boues simul abscedere debere, significauit fortasse, ne corporeos quidem illos motus nostros & rationis expertes
Rom. 6. tes Satanæ esse relinquendos; itaque diuinus ille Paulus scribit, [Sicut exhibuistis membra vestra seruire immunditiæ ad iniquitatem, sic nunc exhibete membra vestra seruire iustitiæ in sanctificationem.] PALLAD. Sed qua de caussa dimittit quidem puberes, & qui adulta iam essent ætate, retinet autem ceteros Pharao? CYRILL. Quænam esse ais, quæ in AEgypto remaneant? PALLAD. Erant, opinor, mulieres proculdubio, pueri impuberes, infirmi senes, & bruta animalia. CYRILL. Cur ergo, Palladi, non illud statim cogitas? PALLAD. Quid illud tandem? CYRILL. Robustos namque & iuuenes, & qui firmiori iam habitu sunt ad pietatem, graues ac mo B lestos arbitratur: liberare namque se cupit, vt puto, quamuis inuitus, ab iis qui sibi obsistunt, qui & contra moliri aliquid possunt, & suas iniurias propulsare,
Iacob.4. iuxta illud, [Resistite diabolo, & fugiet a vobis.] eos autem qui se viriliter gerere non possunt, obnixe retinet, adamatq. genus illud quod mulicbri sensu ac molli est, vt quod infirmum sit & imbelle: illud item quod nondum ad pubem peruenit, & viribus caret, & sensu est adhuc puerili: crassum denique illud & a ratione remotius, quod figurate bobus & ouibus insinuatur. PALLAD. Recte ais. CYRILL. Sed iterum mentitur pertinax ille & rigidus Pharao: deinde cum locustarum examinibus tota fere ipsorum regio consumpta esset,
Exo.10. accersit Moysen, quem Aaron est comitatus, & inquit, [Ite & seruite domino Deo vestro: verumtamē de ouibus bobusq. vestris relinquite: & supellex vestra abeat vobiscum. Et ait Moyses, immo vero tu dabis nobis holocausta & hostias quæ faciamus domino Deo nostro: & iumenta nostra ibunt nobiscum: & C non relinquemus vngulam; ab ipsis enim accipiemus vt sacrificemus domino Deo nostro.] PALLAD. Quem porro sensum iis quæ a viro sapientissimo Moyse dicta sunt, accommodare possumus? CYRILL. Atqui, Palladi, perspicua est oratio: is enim qui pietatem colere volentibus obsistit, & cum illis pugnat, si minus pleno imperio quibusdam dominari liceat, saltem aliqua ex parte id obtinere cupit: at vero Dei lex omni ex parte penitus nos discedere docet, nihilq. relinquere illius dicioni atque imperio subiectum: non vllam animæ, non mentis partem, non alicuius corporei motus opportunitatem: ad hæc pulcherrima quæq. & eximia, quæ in sæculari vita sint, Deo offerre debere docet. id enim significare arbitror, ex AEgypto accipere, ac Deo accepta sacrificare. An vero non id faciunt, qui sapientiæ mundanæ armis pro sacris diuinisq. nostris dogmatis certant, & dictionis splendorem coniunctū cum scientiæ acri-
Eccle.1. monia sectantur, ac Deo rationale obsequium exhibent? quamuis enim [om- D nis sapientia a Domino,] vt scriptum est, tamen Poetas gentilium atque scriptores mundano spiritu ad eum eloquentiæ splendorē peruenisse dicimus; itaq.
1.Cor.2. beatus Paulus [Non spiritum, inquit, mundi huius accepimus, sed spiritum qui ex Deo est, vt sciamus quæ a Deo donata sunt nobis; quæ & loquimur non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus.] Quod vero Moyses, licet adumbrate, vere tamen dicat, quæ in vita hac sæculari præcipua habentur, ea minime a Deo vero respui, continuo euidenter ostendit,
Genes.11. in figura dumtaxat & vmbra. Dei namque iussu, AEgyptios spoliare, aureaq. & argentea vasa mutuo accipere oportere dixit a contubernali simul atque vicino. quod ipsum per mulieres perfectum est: susurrationi namque is sexus est

A & loquacitati aptissimus, & ad struendas fraudes felicissimus. Vasa porro aurea & argentea mutuo ab AEgyptiis sumpta, sunt, vt opinor ac modò dixi, de quibus æquum esset quosdam qui in sæculo sunt gloriari, si iidem Deum quoque verum agnoscerent. Est autem id quod dico rursus huiuscemodi. communia sunt omnibus hominibus mentis atque animæ motus, & aptum ad omnia ingenium tum ad bonum tum ad malum. Sed qui naturæ præstantioribus donis recte viuunt, præclaram atque egregiam vitam agunt: at qui hæc ad ea quæ minime oportet stultissime detorquent, indicant quodā modo naturæ bona etiam ad res turpissimas transferri posse: Fortitudo enim & Prudentia, præclara sunt illa quidem optime vtentibus, eadem rursus non recte possidentibus noxia: contingit enim fortiter ac prudenter se gerere cum laudibus ac plausu, contingit item hæc eadem cum magna omnium accusatione possidere: hæc autem cōmunia sunt & in omnibus, tā in iis qui adhuc in errore versantur, quam

B in iis qui Deum agnouerūt. Cum igitur fortitudo, quæ prius nequitiæ fuerat artifex, & illud acumen intelligentiæ ab AEgyptiis quodammodo & a sæculari vita sumptum ad id conuertimus, quod Deo gratum est, sacra tum erunt acceptaq. Deo; transferuntur enim ad virtutis vsum sanctitatisq. ministerium; vt illa nimirū ex AEgypto aurea argenteaq. vasa ad extruendum perficiendumq. tabernaculum vtilia fuisse declaratū est. Post expoliationem igitur AEgyptiorum, ac mortem primogenitorum, vix tandē liberati sunt Israelitæ, cum agnum in Christi figuram immolassent; neque enim id aliter assequi poterant; nam omnis redemptio in Christo est, ac per ipsum omne datum optimum. Emittuntur *Iacob. 1.* autem ex AEgypto sub noctem mediā, propemodum e tenebris simul ac seruitute profecti; qui enim serui sunt peccati, semper fere cupiunt in tenebris spiritualibus esse, nō in lumine diuino: [omnis enim qui male agit, odit lucem,] vt *Ioan. 3.* Saluator ait: Infermentata quoque consperlio effertur, ac sine viatico fugiunt,

C [Vrgebant enim, inquit, AEgyptij populum, vt festinanter eiicerent eos de terra, dixerunt enim, omnes nos morimur. Tulit autem populus consperfionem *Exod. 12.* suam antequam fermentarentur massæ eorum, quas liganerant in vestibus suis, super humeros.] neque enim, vt opinor, debent qui Deo adhærescere velint, eiusq. familiaritatem inierint, sæcularis malitiæ reliquias ferre; neque extraneo profanoque viatico spirituali nimirum instructi ad iter accingi; sed azymi ac finceri esse, panemq. eum expetere, qui viuificat mundum: eiusmodi namq. homines pure festa celebrabunt, ac dignum Deo cultum exhibebunt, ac perpetuo in illius potestate permanebunt. PALLAD. Conficitur ergo: quicunque illi sunt homines Dei amatores ac probi, eos tāquam ad sacram sanctamq. terram, ad vitam nempe, sub Christi dicione agendam, & a Tyrannidis vi liberam peruenire oportere, atq. contendere vt sacrificent non in hostium finibus, id est, non eo animi habitu cui peccata placent: etsi non admodum perfecto,

D prompto tamen atq. ad virtutem erecto; eoq. morum statu, qui longe sit a diaboli tyrannide remotus. CYRILL. Ne tu rem aliter se habere, quam hoc modo suspiceris, Palladi, recte enim a nobis conclusa est oratio. Facile autem est si libeat etiam in alia imagine hoc idem contemplari. Nam cum sanctæ ciuitatis habitatores, Hierusalem inquam, præcipiti in omnia scelera cursu Deum omnium Saluatorem offendere ausi essent; in potestatem Babyloniorum venerunt: quos illi cum vi armisq. cepissent, seruire iubebāt: victoribus enim victos etiam inuitos cedere necessitas cogebat. Cum itaque consternati admodum essent, & propter inopinatas calamitates ingemiscerent, vel exiguum interdum laborum solatium quærebant: id autem erat compositis in Dei laudem, carminibus præsentis mæroris acerbitatem lenire. [Memor enim fui Dei, inquit Da- *Psal. 76.*

 uid, &

uid, & delectatus sum.] quibus verbis pronunciauit Dei carmina spiritualem esse festiuitatem: sed volentibus hæc carmina dicere, & consuetum officium explere, turpe propemodum videbatur, dulcem adeo sonum alienigenarum auribus committere, & suauissimum sibi iucundissimumq. carmen in aerem quodammodo fundere, deridentibus interdũ Babyloniis, & grauiter omnino musicorum instrumentorũ cantica ferentibus. itaq. dicebant, [Super flumina Babylonis illic sedimus & fleuimus, dum recordaremur tui Sion.] in qua ciuitate ex legis morumq. Iudaicorum præscripto laudis hostia cum offerretur fidibus ac tibiis peragebatur, quo Dei templum adeuntes suauitate carminum demulcerentur. Sed cum essent apud exteras nationes iugo seruitutis obstricti, ingemiscentes dicebant, [In salicibus in medio eius suspendimus organa nostra ;] ipsam a carminibus cessationem hoc ipso significãtes. infrugifera est enim stirps, immo frugiperda, vt melius dicam Salix : sic enim a Græco quodam poeta, ὠλεσίκαρποι, dicta est. ad cessationem igitur & sterilitatem appensa erant carminum instrumenta; caussamq. cessationis huius inclamantes dicunt, [Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena ?] Sed cum attulisset ad eos Baruch Hieremiæ verba, [Flebant omnes, inquit, & ieiunabant & orabant in conspectu Domini ; & congregauerunt argentum, secundum quod potuit vniuscuiusque manus, & miserunt in Hierusalem ad Ioacim filium Helciæ, filij Salom Sacerdotem, & ad Sacerdotes, & ad omnem populum, qui inuẽtus est cum eo in Hierusalem.] Et post pauca, [Et dixerunt, ecce misimus ad vos argentum, emite argento holocausta, & pro peccato, & incensum, & facite manna, & offerte ad arã Domini Dei nostri.] Decere enim arbitrabantur, vt ipsi quidẽ a sacrificiis interim abstinerent, cum procul a terra sancta versarentur, neque adhuc sub Dei imperio degerent, sed alteri domino subiecti essent, & in dicionem Tyrannicam venissent. iis autem, qui in sancta ciuitate adhuc habitabant, sacrorumque administrandorum gloriosum officium sortiti erant, diuini cultus partes demandant; in quo scilicet quid deceret, quidve necesse esset optima ratione considerauerunt. Ipse ille quoque sapientissimus Daniel sacris quidem studiis vacabat: cumq. vna cum aliis captiuus esset, ipso quoque necessitatis malo sapienter abusus est : dicam quomodo : tribus namque temporibus per dies singulos orabat ; habebat autem in solario fenestras, quæ Hierusalem versus spectabant, atque patebant : sic enim est scriptum. orationem namque suam tum Deo gratam fore putabat, cum si minus corpore posset, animo saltem a terra extera atque odiosa seiungeretur, & mentis oculis in terram Deo gratissimam spectaret ; & in ipsum velut illatus templum, preces pro quibus vellet, offerret. PALLAD. Pulcherrime certe tota est a nobis absoluta disputatio.

[Margin notes: Psal. 136. — Homer. Odyss. K. — Baruch 1. — Daniel. 6. — A, B, C]

FINIS LIBRI PRIMI.



SANCTI

SANCTI CYRILLI ARCHIEPISCOPI ALEXANDRIAE

DE ADORATIONE IN SPIRITV ET VERITATE

LIBER SECVNDVS.

Mortem, quæ ex peccato consecuta est, atq. Diaboli tyrannidem euitari nullo modo posse, nisi per sanctificationem, quæ ex Christo est: iustificationemq. non in lege, sed in Christo esse.

A REM igitur cum gloriosam esse, Palladi, tum vero in primis vtilē ab ea re seiungi cupere, quæ suapte natura noceat; expetere item, vt Deo imperanti seruiamus, non cōtemnenda nobis oratio demonstrauit. PALLAD. Minime illa quidem contemnenda, fateor. CYRILL. Omnibus quoque modis ab iis, quæ turpia sunt egressos, quæ honesta sunt, quærere nos oportere, satis confirmauimus? PALLAD. Maxime vero. CYRILL. Ita denique opus esse videbatur, a mundanæ huius vitæ voluptatibus, & turbis, quibus earum caussa distinemur, quam longissime digressos, ad sacrificium
B Deo offerendum properare; neque aliter quam si in eremo versaremur affectu mentis, quietum ac maxime purum, atque ab omni inquinamento remotum, præclarum vero, & acceptabilem illi cultum exhibere? PALLAD. Ita vero videbatur. CYRILL. Quomodo etiam sub sua nos dicione cum satanas con strinxisset, & vsurpato dominatu conclusos detinere vellet, diuina lex ad libertatis dignitatem vocarit; idq. effecerit, monita quibus ad actiones optimas hor taretur, illius impuritatibus opponendo, atque ad meliorem nos vitæ rationem instituendo, plurimis est exemplis perspicuum factum? PALLAD. Prorsus. CYRILL. Est igitur Deus salutis tributor, & omnis nobis felicitatis auctor, qui viam ostendat, qua Christo mediatore interposito ad illius familiaritatem perueniri possit; quid enim non figura est, eaq. satis expressa Christi interuen-

 tionis

tionis, illa Moysi mediatoris interpositio? PALLAD. Quonammodo? CYRILL. Moyses enim ille vir sane admirandus, a carnali seruitute eripuit Israeliticum populum, & a laboribus coquendorum laterum, ab operibus etiam in terra extruendis exemit; ac veluti medius quidam limes inter Deum & homines interiectus, ad illos cælitus exauditas voces perferebat: Dominus vero noster Iesus Christus ea, quæ in figura & vmbris tradita fuerant, ad veritatẽ transferens, a spirituali seruitute nos extrahit, in eo quod peccatum, quod diu nobis dominatum fuerat, expellit, Diaboliq. imperium euertit; & sectatores suos a terreno sensu, rerumq. carnalium studio refugere suadet; eosq. quodammodo reformat ad studium virtutis, apertissimeq. nobis Dei ac Patris voluntatem annuntiat; ideoq. dixit, [Verba, quæ ego loquor vobis, non sunt mea; sed eius, qui misit me, Patris;] itemq. [A me ipso nõ loquor; sed qui misit me, Pater, ipse mihi mandatũ dedit, quid dicam, & quid loquar.] Ac Moyses certe in suis rebus imaginem atq. formam quandam se gerere illius Christi interuentionis intellexit, cum dixit filiis Israel, [Prophetam ex fratribus tuis excitabit, sicut me, dominus Deus tuus, illum audietis iuxta omnia, quæcunque expetisti a domino Deo tuo in Horeb, in die concionis.] Igitur quæcunque per Moysen agebantur, illaq. vis interuentionis eius, figura quædam erat & imago; at Christi interuentionis forma sublimior est. Ille enim legis & vmbræ minister fuit, & acceptæ diuinitus institutionis interpres: Christus autem, vt legis ac Prophetarum dominus, quæ sibi videntur, decernit; & mediator fuit, cum in eo concurreret, atque in vnum quodam modo conueniret tum diuina, tum humana natura: has enim ambas simul iunctas intelligimus Christum. [Ac Moyses quidem vt seruus in totam eius domum fidelis; Christus autem vt filius in domo sua, cuius domus nos sumus;] qui per fidem, quam in illum habemus, ad veram sumus libertatem adducti. Constat igitur mediatorem carnalis libertatis, litteræque & vmbræ, fuisse Moysen illum sacrarum rerum interpretem; dominum vero nostrum Iesum Christum earum rerum auctorem, quæ sunt supra legem; ac spiritus libertatem, illa libertate carnali multis partibus præstantiorẽ esse largitum. Itaq. Israelitis quamuis carnaliter liberatis dicebat, [Si vos manseritis in sermone meo, vere discipuli mei estis, & cognoscetis veritatem; & veritas liberabit vos;] & iterum, [Omnis, qui facit peccatum, seruus est peccati: seruus autem non manet in domo in æternum; filius autem manet in æternum. Si igitur filius vos liberauerit, vere liberi eritis.] PALLAD. Rectissime dicis. CYRILL. Non igitur de carnalium rerum splendore gloriandum nobis est, sed de spiritus & iustitiæ claritate, eius duntaxat, quæ ex Christo est, non quæ ex lege. Nam, si seruus habetur quisquis sub peccato est, nec iustificat vllo modo lex; quinimmo condemnat potius, reosq. facit transgressores; cui non perspicuum sit, omnem iustificationem in Christo constare; itemq. omnem spiritualem perfectionẽ, quæ per sanctificationem habeatur, per ipsum & in ipso acquiri? Paulus vir certe sapiens in primis scribit, [Non enim erubesco Euangelium; Dei enim virtus est omni credenti, Iudæo primum & Græco. Iustitia enim Dei in eo reuelatur ex fide in fidem, sicut scriptum est, Iustus autem ex fide viuet.] Veteris quoque legis inutilem vim atque infirmam ils verbis notat, [Quod autem, inquit, in lege nemo iustificatur apud Deum, manifestum est: quia iustus ex fide viuit: lex autem non est ex fide; sed qui fecerit ea, viuet in ipsis.] In Christo igitur iustificamur per fidem, ac redimimur a seruitute spirituali. PALLAD. Est igitur lex inutilis? CYRILL. Non hoc inquam, neq. enim frustra diuinis responsis sancita est; immo vero [in adiutorium data,] sicut scriptũ est; nam qua parte ad institutionem puerilem pertinebat, & ad iniquitatem cognoscendam,

Ioan. 14. Ioan. 12. Deut. 18. Heb. 3. Ioan. 8. Rom. 1. Galat. 3. Esai. 8.

A B C D

A dam, qua etiam ad initia percipienda elementaq. sermonum Dei, cur non ex *Heb. 5.*
ea parte intelligatur vtilis? Segnior est autem ad abluenda peccata, sanctitatemq. perficiendam. Beatus itaque Paulus inquit, [Scimus autem, quod quæcunque lex loquitur, iis, qui in lege sunt loquitur, vt omne os obstruatur, & subditus fiat omnis mundus Deo; quoniam ex operibus legis non iustificabitur in conspectu eius omnis caro; per legem enim cognitio peccati.] Habet ergo lex vim, qua peccatum demonstret, non gloriam de virtute comparet: nam in eo quod ait, verbi gratia; Non fornicaberis, non adulterabis, non furtum facies, non peierabis, & si quid horum simile est, nequitiæ genera ostendit, & impuritates expulit, non virtutis notionem inuexit, aut probatæ vitæ cognitionem perspicuam auditoribus fecit. Nam istuc quidem, non oportere turpia facere, inter præstantioris vitæ mores annumerare, stultum sit, opinor. Puto autem, idque haud absurde, ita deniq. æquum esse, vt in omni rerum laudandarum ge- *Rom. 3.*
B nere nobis honestum iudicium atque comprobatio deferatur, si, vitiis dimissis atque repulsis, & improbitate superata, impurisq. sceleribus abiectis, ad summum postremo virtutis apicem conscenderimus. Itaque Dominus Iesus Christus, [Amen, amen, inquit, dico vobis, Nisi abundauerit iustitia vestra plusquam Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cælorum.] Intelligis igitur iustitiam illa legali excellentiorem præceptam esse a Domino nostro, eamque cum esse præstantissimam sciret, Paulus ille sapiens scribit, [Si quis alius videtur confidere in carne, ego magis, circuncisus octauo die; ex genere Israel, ex tribu Beniamin, Hebræus ex Hebræis, secundum legem Pharisæus, secundum æmulationem persequens Ecclesiam, secundum iustitiam, quæ in lege est, sine querela: sed quæ mihi fuerunt lucra, hæc arbitratus sum propter Christum detrimenta: Verumetiã existimo omnia detrimentum esse propter eminentem scientiam Iesu Christi domini nostri; propter quẽ omniũ de- *Matth. 5.* *Philip. 3.*
C trimentum feci, & arbitror vt stercora, vt Christum lucrifaciam, & inueniar in illo non habens meam iustitiam, quæ ex lege est; sed quæ est per fidem Christi.] PALLAD. Intelligo plane: aperta enim es oratione vsus. Illud tamen explices velim, Si ad hominem perficiendum non satis erat antiqua lex, cur non a principio potius iustitia per fidem, & quæ ex ea existit, sanctificatio sancita sit? CYRILL. Quia certe, Palladi, id conuenientissime abluitur, quod sordidatum est; id abstergitur, quod est inquinatum; id illustratur, cui tenebræ sunt offusæ. AEquum est autem, opinor, iuxta Saluatoris nostri vocem curari, quod infirmum sit; vocari ad pœnitentiam non eos, qui sanctificati sunt, sed qui propter peccata sint inuisi. An vero negari potest, quin fuerit opus, qui ad remissionis gratiam vocarentur, eos ante condemnari; vt cum prius propter infirmitatem, quæ in illis esset, in saluris periculum venissent, tum denique redempti viderentur? Quocirca necesse fuit velut redargutricem quandam, *Matth. 9.*
D & diligentissimam infirmitatis omnium accusatricem promulgari legem eam, cui vis ostendendi peccatum inesset, vt ne diuinæ benignitatis, quæ per Christum exhibita est, magnitudinem ignoraremus. Vbi enim aut quomodo fuerit locus remittenti gratiæ, nisi prius criminibus demonstratis, atque constitutis? Atque, vt breui vtar oratione, & ad veterum exempla recurram, dicam denuo. Abraham spopondit quidẽ Deus gratiam per fidem, in eoq. homine tãquam in primitiis eorum, qui misericordiam consecuti sunt, remissionem, quæ Dei benignitate præstatur, ipsa lege nobiliorem fecit; scriptum est enim, [Credidit Abraham Deo, & reputatum est ei ad iustitiam;] Protestatur autem Paulus, atque ait, [Quomodo igitur reputatum est, in circuncisione an in præputio? non in circuncisione, inquit, sed in præputio: & signum accepit circuncisionem signa- *Genes. 15.* *Rom. 4.*

nem signa-

nem signaculum iustitiæ fidei, quæ fuit in præputio:]Deumque aperte sibi di- A
Gen. 12. centem audiuit, [benedicentur in te omne gentes.] Huius autem verbi [in te] ea vis fortasse sit, vt ad similitudinem tuam significet; eoq. sensu cum Paulus
Galat. 3. intellexisset, inquit, [Præuidens autem scriptura, quod ex fide iustificat gentes Deus, prænuntiauit Abraham, benedicentur inquiens, in te omnes gentes: igitur qui ex fide sunt, benedicũtur cum fideli Abraham.] Signum est igitur circuncisio fidei illius, quæ est in præputio; iustificatusq. est ille non ex operibus legis; & gloriam fidei nobiliorem esse quam illa in carne circuncisio, perspicuum est, amicus quippe Dei appellatus est. PALLAD. Quid igitur caussæ fuit, cur tãdiu illa ex fide sanctificatio moraretur, non absurde addubitauerim; quæro enim qua de caussa signum ipsum antiquiori sit ordine collocatum, posteriori vero id quod præstantius est? CYRILL. Quid enim nonne diximus modo admirabilioris cuiusdam atq. sublimioris artificij opus fuisse, vt lex quæ condemnaret, anteuerteret temporis ordine, fidem quæ iustificaret? an vero lux B
2. Cor. 12. non in tenebris lucet? virtus quoque non infirmitate perficitur? vt scriptum
Rom. 5. est. PALLAD. Recte dicis. CYRILL. igitur lex subintrauit vt abundaret peccatum; vbi enim non est lex, neque præuaricatio: præuaricationis autem & eius, quæ ad hanc perducit, ignauiæ quænam possit intelligi condonatio, nisi lex antea nos condemnasset? quod autem verum sit quod dicimus neq. de hac
Galat. 3. re vana & inepta sit oratio, patrocinio Pauli confirmabo dicentis, [Itaque lex propter præuaricationes posita est, quousq. veniret semẽ, cui repromissum est, ordinata per angelos.] Ceterũ quia sapiẽtissimus erat, futuras quandoq. quorundam hominum verborum argutias atque dubitationes præcidere molitur. etenim verisimile erat, quosdam de iustitiæ fidei dilatione ac mora conqueri, ac dicere, ideo interim subintrasse legem, vt antiquæ illius promissionis firmitas
Galat. 3. tolleretur; itaque inquit [lex igitur aduersus promissa Dei? absit: si enim data esset lex quæ posset viuificare, vere ex lege esset iustitia, Sed conclusit scri- C ptura omnia sub peccato, vt promissio ex fide Iesu Christi daretur credentibus: prius autem quam veniret fides, sub lege custodiebamur conclusi in eam fidem quæ reuelanda erat in nos; itaq. lex pædagogus noster fuit in Christo, vt ex fide iustificemur: at vbi venit fides, iam non sumus sub pædagogo. omnes enim filij Dei estis, per fidẽ quæ est in Christo Iesu.] Eiusdẽ vero dubitationis obscuritatem perspicuam facit adiungens, [Hoc autem dico, inquit, testamentum confirmatum a Deo, quæ post quadringentos & triginta annos facta est lex, non irritum facit ad euacuandam promissionem: nam si ex lege hæreditas, iam non ex promissione; Abrahæ autem per repromissionem donauit Deus.] Cũ igitur lex in peccatum nos conclusisset vt pædagogus ad Christum adduxit; finis enim legis, ac prophetarum Christus. Itaque is dicebat Iudæorum populis, qui sibi
Ioan. 5. non crediderant, [Si crederetis Moysi, crederetis vtiq. & mihi; de me enim ille scripsit;] Iustificamur enim non ex operibus legis, sed fide potius in Christum. [Quicunq. enim ex operibus legis sunt, sub maledicto sunt: scriptum est D
Galat. 3. enim, Maledictus omnis, qui non permanserit in omnibus, quæ scripta sunt in libro legis, vt faciat ea. Sed ex maledicto legis Christus redemit omnes, factus pro nobis maledictum: quia scriptum est, Maledictus omnis qui pendet in ligno, vt in gentibus benedictio Abrahæ fieret in Christo Iesu; vt pollicitationem spiritus accipiamus per fidem.] PALLAD. Sed de his quidem hactenus, Cyrille: transeamus iam, si placet, ad aliquam potius de Christo disputationem: de lege enim eiusq. dispensatione satis. CYRILL. Eloquere igitur, quicquid tibi collibitum fuerit; dum tamen illud non nimium ingenij mei captum excedat. PALLAD. Atqui non admodum ardua dubitatio est, aut

A eiusmodi, vt ad eam soluendam adiri nullo modo possit; atque adeo facillime, quod quæro, deprehendi potest, Christo diuinam illam nobis lucem immittente. Nunquid igitur, qui fide iustificationem accepimus, & illum Dei in vmbris ac figuris cultum abiecimus, non incruentis oblationibus Deum colere debemus? CYRILL. Recte dicis. Scriptũ est enim, [Honora Deũ de tuis iustis laboribus; & primitias illi affer de tuis fructibus iustitiæ]: [talibus enim hostiis promeretur Deus,] iuxta sanctorum hominum voces. PALALD. Ergo stultum est, vacare bobus immolandis, & quæ veteri mandato sunt nobis iniuncta, complere. Ouium namque victimæ & tura, lagana quoque, ac simila oleo lita, turtures etiam atque columbæ, pro temporis illius condicione, Deum adorantium oblationes fuere. Sed mihi exponas velim, qua de caussa non hæc a principio Deus improbauerit; eas vero, quibus gaudet, oblationes, nunc demum sanciendas duxerit, quibusq. modis spirituales hostiæ offerendæ sint, aperuerit. CYRILL. Quid tu igitur censes, ac dicere audes, Deum quidem ipsum a principio non recte consultasse, sed postea, cum se ab eo, quod optimum esset, aberrasse sentiret, tandem quod melius erat, inuenire potuisse? An tum quidem certe, cultu, qui in vmbris erat, eum contentum fuisse putas, deinde humano more vana quadam cupiditate captum, illud alterum offerendi genus probasse, cultumque nobis nouum, atque antehac incognitum instituisse? PALLAD. Minime vero: nam id quidem fabulosum ac ridiculum puto, neque vnquam existimauerim cadere hoc in Deum, vt vel minima quidem in re aberrare possit. Aueo tamen audire qua re permotus, nobis qui in terris versamur, tum quidem illa, nunc vero hæc alia sanxerit. CYRILL. Rursus ea, quæ superius dicta sunt, repetere tua cogit oratio. Nonne dixi, pædagogum quendam fuisse legem, id est, magistrum eorum, qui infantes adhuc essent, & qui nondum intelligere possent, iis quid vere bonum sit, quæ

Prouer. 3.
Heb. 13.

B

C etiam voluntas Dei perfecta, & beneplacens, per ænigma subostendisse, ac veluti rudioribus adhuc figuris significasse? Intelligere enim, neque id magno negotio potes, spiritualis cultus rationem fuisse quidem semper etiam inde ab initio Deo gratissimam; nondum tamen eiusmodi, vt ad eam penetrare atque pertingere Iudæorum animi possent. Itaque verbis ad infantiam aptis, simplicique disciplina, atque educatione moderata opus fuit, quæ nihil arduum, nihil asperum haberet. Nam & antea instituit quidem Deus ea, quæ in figuris gerebantur; præmonstrauit tamen, ea tandem ventura, atque affutura suo tempore, quæ ad verum Dei cultum pertinerent. Itaque accessum illum, quo per hostiarum cruorem ad eum adibatur, abiecit ac repulit, per Amos prophetam dicens, [Odi, repuli festiuitates vestras, nec odorabor in conuentibus vestris: nam si obtuleritis mihi holocausta, & hostias vestras, non aspiciam. Aufer a me sonum carminum tuorum: & organorum

Amos 5.

D tuorum psalmum non exaudiam.] Induxit etiam per Michæam personam viri, quanam ratione bonum efficere possit, quod vsquequaque culpa vacet, perdiscere cupientis, [In quo apprehendam Dominum, suscipiam Deum meum altissimum? Si apprehendam eum in holocaustis, in vitulis anniculis? Si placabitur Dominus in millibus arietum, aut in decem millibus hircorum pinguium? Si dedero primogenita mea, fructum ventris mei, pro peccato animæ meæ?] Deinde continuo subiungit, [Si annunciatum est tibi, inquit, homo, quid sit bonum, vel quid Dominus exquirat a te, nisi facere iudicium & diligere misericordiam, & paratum esse ambulare cum Domino Deo tuo?] Nonne igitur perspicue hoc illud est quod inquit Christus, [Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucẽ suam, & sequatur me.] Et iterum,

Mich. 6.
Matth. 16.

Ioan.2. iterum, [Qui me diligit, me sequatur, & vbi ego sum, illic & minister meus sit?] A
Non in legali cultu Christiana religio, sed in sancto atque spirituali sita est.
PALLAD. Rectissime dixisti. CYRILL. Quinetiam per Esaiam, vehe-
Esai. 1. mentius obiurgans Israelitas, [Audite, inquit, verba Domini, principes So-
domorum: attendite legem Dei, populus Gomorrhæ. Quo mihi multitudo vi-
ctimarum vestrarum, dicit Dominus? plenus sum holocaustis arietum; & adi-
pem agnorum, & sanguinem taurorum, & hircorum nolo: neque veneritis ap-
patere mihi; quis enim quæsiuit hæc de manibus vestris? calcare atrium meum
non apponetis. Si obtuleritis siliginem, vanum; incensum abominatio est mihi;
neomenias vestras, & sabbata, & diem magnum non feram: ieiunium & otium,
& festiuitates vestras odit anima mea; facti estis mihi in satietatem.] Per Ma-
lachiam præterea prophetam odiosissimis hominibus eadem dicit, atque
etiam temporum meminit, quibus per omnes terras sibi incruentæ, ac spiri-
tualis hostiæ odorem incomparabilem essent oblaturi. Sic enim iterum inquit, B
Malach. 1. [Non est voluntas mea in vobis, dicit Dominus omnipotens; & sacrificium
non suscipiam de manibus vestris; quia ab ortu solis vsque ad occasum nomen
meum glorificatum est in gentibus; & in omni loco incensum offertur nomini
meo, & sacrificium mundum: quia magnum nomen meum in gentibus, dicit
Dominus omnipotens.] Intelligis igitur, quod incensum ac sacrificium sibi
mundum ab omni gente esse offerendum ait. Vt autem in eo quod recens il-
lud in Christo testamentum, nouum appellauit, illud prius ac vetus antiqua-
Hebr. 8. uit; (sic enim beatus Paulus scribit;) item in hoc loco in eo quod dixit, mun-
dum ab omni gente sacrificium suis temporibus futurum, de illo veteri, quod
non eiusmodi sit, sententiam tulit. Quomodo enim illud mundum sit, quod
neque mundat, neque ad perfectam virtutem nos ducere potest? Quocirca
Heb. 8. beatus Paulus inquit, vetus illud non vacasse culpa; itaque necessario illud
successisse, quod per Christum sancitum est, & secundi locum inquisitum fuis- C
se. PALLAD. Ergone prorsus præter omnipotentis Dei voluntatem cul-
tus ille vmbratilis fuit? CYRILL. Omnino. Est autem in promptu, Deum
Hiere. 7. audire apertissime dicentem filiis Israel, per Hieremiæ vocem, [Hæc dicit Do-
minus, Holocausta vestra congregate cum sacrificiis vestris, & comedite car-
nes: quia non sum locutus ad patres vestros, neque mandaui eis in die, qua
ascendere eos feci de terra AEgypti, de holocaustis, & sacrificiis: sed verbum
hoc mandaui eis dicens, Audite vocem meam.] Quod enim ad præcipuam in-
stitutoris voluntatem pertinet, ne a principio quidem vllo modo diuinis ora-
culis tradita fuisset illa adhuc in vmbris posita lex: si de cultu spirituali sileduni
fuisset. Sed, quia grauis erat ea res, & ad perfectæ virtutis absolutionem illius
temporis hominibus haud facilis patebat accessus; immo vero, mea quidem
sententia, durum id erat & asperum; lex scripta velut puerilis quædam exerci-
tatio, quæ formam veritatis haberet, sapienti moderatione constituta est. Ce- D
terum haud obscure significauit nobis ille legislator non esse illa sibi gratissima,
quinpotius exoptatissima se habere, quæ postea per Christum præcipienda es-
Osee 6. sent. Itaque dixit iterum, [Propter hoc demessui prophetas vestros, occidi
eos in verbis oris mei, & iudicium meum quasi lux egredietur; quia miseri-
cordiam volo, & non sacrificium, & scientiam Dei magis, quam holocaustum:]
Deo quippe & cadente vitulo, & oue cæsa gratior est illa in fratres dilectio,
qua lex impletur, & illa eminens scientia Christi, per quam ipse quoque Pa-
ter a nobis cognoscitur. Conciliari vero nobis hac re vitam æternam, nemo du
Ioan. 17. bitauerit, Christo ad Patrem, qui in cælis est, dicente, [Hæc est vita æterna, vt
cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti, Iesum Christum.] Mentiri
autem

A autem vsquam aliquo pacto Veritatẽ, quomodo ambigi potest? PALLAD. Minime vero. CYRILL. Sed, postea quam Israel ab eius est coniunctione dilapsus; quippe qui fidem respuens, non cognouit Deum, apertissime testatur, non alia ratione fore, vt ad antiquam illam dignitatem redeat, nisi per Christum solum, abiectis illis legalibus institutis. Itaque scriptum est, [Quia diebus multis sedebunt filij Israel sine rege, sine principe, sine sacrificio, sine altari, sine sacerdotio, sine manifestationibus: & post hæc reuertentur filij Israel, & quærent dominum Deum suum, & Dauid regem suum, & stupebunt in Domino, & in bonis eius in nouissimo die.] Cum enim plenitudo gentium intrauerit, tunc omnis Israel saluabitur; sed in Christo tamen, qui appellatus est Dauid, quod ex semine sit & tribu Dauid. Esse item ipsa quoque ex lege sacrificia tollenda, confirmat per Ioelem dicens, [Accingimini & plangite sacerdotes, lamentamini, qui ministratis altari Domini, ingre- *Osee 3.* *Ioel. 1.*
B dimini, dormite in saccis ministrantes Deo; quia defecit de domo Dei vestri sacrificium & libatio.] Et iterum per eundem Prophetam, [Sublatum est sacrificium & libatio de domo Domini; lugete sacerdotes, ministri Domini.] Ad hæc ipsum quoque tabernaculum fore vt e medio tolleretur, pollicitus est his verbis, [Et erit, si multiplicati fueritis, & creueritis super terram, dicit Dominus, in diebus illis, non dicent vltra, Arca testamenti sancti Israel non ascendet in cor, neque nominabitur, neque visitabitur, neque fiet vltra.] Sublato namque penitus typico cruentoque sacrificio, necessarium prope dixerim, fuit, etiam ipsum tolli de medio tabernaculum; quippe cum verius illud ex aduerso excitatum esset, id est Ecclesia, de qua ipse idem Christus ait, [Hic habitabo, quoniam elegi eam.] Iam vero cultum illum immutandum fuisse, & in meliorem formam transferendum, in eum inquam cultum, qui in Christo exhibetur, ac nouus est, perspicuum fiet iis verbis, quæ de Deo scripsit Mala- *Hierem. 3.* *Psal. 131.*
C chias, [Et purgabit filios Leui, & fundet eos velut aurum & velut argentum: & erunt Domino offerentes sacrificium in iustitia, & placebit Deo sacrificium Iuda, & Hierusalem, sicut dies sæculi, & sicut anni priores.] Intelligis igitur, quemadmodum veluti nouam propemodum recusionẽ ac reformationem sacerdotij simul atque sacrificiorum futuram dicit? PALLAD. Intelligo. CYRILL. Hoc enim verbum, [fundet, &, purgabit,] quasi de auro atque aurifice dictum, nonne ad hanc nos intelligentiam ducit? PALLAD. Maxime vero. CYRILL. Atqui incarnatum verbum eiusmodi quippiam effecturum esse, confirmauit Deus Pater, cum dixit, [Et statim veniet ad templum suum dominator, quem vos quæritis, & angelus testamenti, quem vos vultis. Ecce venit, dicit Dominus omnipotens, & quis sustinebit diem ingressus eius? aut quis subsistet in visione eius? quia ipse ingreditur quasi ignis conflatorij, & quasi herba lauantium, & sedebit conflans & emundans sicut ar- *Malach. 3.* *Malach. 3.*
D gentum & aurum.] Innouationem ergo reformationemque sacerdotij futuram dicit, atque ipsam certe colendi formam, non aliud quidpiam fore indicat, quam præsens Christi mysterium. Rursus per Ezechielem dixit de iis, qui electi erant, vt sacerdotio fungerentur, [Isti accedent ad me, vt ministrent mihi; & stabunt ante faciem meam, vt offerant mihi hostiam, adipem, & sanguinem, dicit dominus Deus; isti ingredientur in sancta mea, & isti accedent ad mensam meam, vt ministrent.] Adipem porro & sanguinem, & illa mensæ ministeria nõ iure optimo dicemus esse illud Christi mysteriũ? PALLAD. Recte dicis. CYRILL. Quin ipsum quoq. tempus, quo rerum omnium in meliorẽ statum recursus, & ille innouationis modus esset futurus, perspicuum nobis admodũ fecit, cum dixit Deus, [Et erit a die octaua, & vltra facient sacerdotes *Ezech. 44.* *Ezech. 43.*

super

super altare holocausta vestra,& quæ salutis vestræ caussa offerūtur: & suscipiā **A**
vos, dicit Dominus.] Diem octauum, Saluatoris nostri resurrectionis tempus
appellat, quo holocausta, id est perfecta integraque credentium consecratio,
Deo gratissima, ac spiritualia munera offeruntur, idque docet beatus Paulus,
Hebr. 15. cum scribit, [Per ipsum igitur offerimus hostiam laudis semper, Deo, id est,
Hebr. 13. fructum labiorum confitentium nomini eius.] Et iterum,[Beneficentiæ autem
& communionis nolite obliuisci; talibus enim hostiis promeretur Deus.] Fructus enim a nobis, qui in fide iustificati sumus, quinam Deo offerri possunt alij, quam eius glorificatio iugis atque perpetua? Hostia item purissima est, laudabilis vitæ odor eximius. PALLAD. Præclare se habet oratio, verissimumq. est, minime per legem iustificari quempiam, sed potius per fidem in Christum, & euangelicam disciplinam. Ceterum velim expositionem hanc tuam exemplis item perspicuis confirmari, atque ex sacris litteris mihi idem planum fieri. CYRILL. Venio igitur ipse ad hanc partem, Palladi, libenter, quia sic tibi videtur. Tu vero mihi vicissim subtilem, & expolitum in vnaquaque contemplatione sensum exquiras velim: ac, si tibi minus recte aut sentire videbor, aut eloqui, prudenter corrigas, & emendes aperte, fabrorum præstantissimorum exemplo, qui, sicubi opus, quod in manibus habent, a rationis artisque præscripto deflexerit, id artificiose reconcinnant, atque ad formam reuocant, quæ illis optima videatur. Initium vero in hac disputatione sumemus a sacrorum interprete Moyse, cuius historiam vbi cursim attigero, tum sane confirmare nitar atque ostendere perspicue, nihil ad perfectum adduxisse legem, eamque non esse ad salutem satis, omniumq. hominum tum redemptorem, tum saluatorem esse Christum. PALLAD. Atqui sic habeto, non mediocrem te vtilitatem allaturum, si in hac quoque parte cunctationem viceris; quamuis enim difficillima sint ea quæ aggrederis, difficillimeq. spectari possit earum rerum, quas inquirimus, veritas; diues tamen est, qui reuelat Deus. CYRILL. Recte dicis; & me iam æque, ac sagacissimi canes assolent, peruestigare abditos in profundo, obscurioresque sensus, tua suadet oratio. Igitur in deserto Madianiticæ prouinciæ beato Moysi greges ouium pascenti, cum sub ipsis radicibus esset montis Horeb, noua quædam
Exod. 3. res, & miraculi plena, Deo faciente monstrata est. [apparuit enim illi, inquit, Angelus in flamma ignis de rubo, & vidit quod rubus arderet igni, & non combureretur. Dixit autem Moyses, Vadam ac videbo visionem hanc magnam, cur non comburatur rubus.] Est autem rubus non exculta arbor, sed siluestris spinæ ac stirpis montanæ genus, in qua miraculum illud horroris plenum edebatur, quod mysterij figuram aptissime gerebat. Angelus quippe is erat, qui ignis specie, totum vndique montem depascebatur, neque in ea tamen stirpe vestigium ignis vllum imprimebat: ac non secus quam si minime is adesset, ne minimam quidem caloris partem ab igne arbor illa suscipiebat. PALLADIVS. Quid igitur illud erat? CYRILL. Israeli nimirum tamquam siluestri arbori, ac dulcis iustitiæ fructus nullos habenti, quod in AEgyptiorum legibus aleretur, Angelorum administratione danda lex erat, quæ illuminandi vim quidem haberet, si spiritualiter intelligeretur, & mentis tenebras repellere posset, (habet enim ignis natura, vt efficiat id quoque,) sed ea tamen accipientibus inutilis fuit, nulla ipsius culpa; verum, quod ij, quibuscum agebatur, minime lumen illud in animum, atque in cor admitterent: nam extrinsecus cum litteræ opibus veluti specie quadam luminis abundarent, quod habere se putabant, reuera minime habebant. Quod igitur circa rubum ignis videbatur quidem, neque tamen arbori illi

Margin letters: **B** (beside "planum fieri" line), **C** (beside "uelat Deus" line), **D** (beside "bat. PALLADIVS" line).

A bori illi sensum caloris inferebat, eiusmodi mihi quippiam significare videtur.
Fuisse autem inutile Iudæis illud ex lege lumen, declarat his verbis ipse Saluator, [Scrutamini scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam æternam habere; *Ioan. 5.*
& illæ sunt, quæ testimonium perhibenr de me: & non vultis venire ad me, vt
vitam æternam habeatis.] Et post pauca, rursus Iudæorum magistros perstringens, ac populum vniuersum, [Nolite putare, inquit, quia ego accusaturus
sum vos apud Patrem; est qui accusat vos, Moyses, in quo speratis: si enim
crederetis Moysi, crederetis forsitan & mihi: de me enim ille scripsit: si autem illius litteris non creditis, quomodo verbis meis credetis?] Qui enim penitus
legis rudimenta stultissime reiecerant, ij quanam ratione perfectæ virturis cognitionem, Christo tradente, perciperent? Cum igitur ardere quidem rubum
videret, minime tamen comburi, atque adeo ne cedere quidem flammis, obstupuit beatus Moyses, quidnam esset, quod non combureretur rubus. Nam
B summum Israelis stuporem admirari licet, qui, cum fautricem adiutricemque
a Deo legem accepissent, eiusque legis illustratione ditati essent, rem tantam
nullo loco habuerunt, neque donum hoc in mentis cordisque domicilio collocauerunt; itaque nullam vtilitatem ex ea perceperunt: mortuus enim est
apud illos, nihil mirum, atque exanimis scripturæ sensus: neque absurde de
illis dici potest, quod minime comburatur rubus; alioqui nobiscum essenr spiritu feruentes. PALLAD. Optime dictum. CYRILL. Videtur autem
aliorum quoque sensuum, non ineptam intelligentiam hoc factum latenter
ostendere: Israelitis enim, cum iam ex AEgyptiorum terra profecturi essent,
ac paulo post abiecturi coactæ seruitutis iugum, eumque ob eam caussam futurum esset, vt iras principis commouerent, in cuius adhuc ditione erant,
prodigij loco ostendit Deus illud, quod agebatur in rubo, quo portenderetur
illos vel igni ipso longe superiores futuros, neque ab iis expugnandos, qui in-
C ferre possent iniuriam, iuxta illud, opinor, quod diuinitus dictum est, [Ne *Esa. 43.*
timeas, quoniam tecum sum: flamma non exuret te, flumina non cooperient
te.] PALLAD. Ingeniosa expositio. CYRILL. Itaque demiratus est
Moyses illud visum, ac videndi studio propius accurrit: [vt autem vidit Dominus, inquit, quod propinquaret ad videndum, vocauit eum de rubo dicens, *Exo. 3.*
Moyses, Moyses: ille autem respondit, Quid est? at ille dixit, Ne appropies
huc: solue calceamentum de pedibus tuis, locus enim, in quo tu stas, terra
sancta est.] Legis porro figuram beatus Moyses tenebat; [Moysen quippe habent ac propheras,] ait in euangelicis oraculis ille beatus Abraham. An tibi *Luc. 16.*
hoc dictum improbabile videtur? PALLAD. Minime vero: legis enim
personam sustinet Moyses. CYRILL. Vocatus est igitur Israel, & ille grex,
qui secundum legem viuebat, & sub lege erat. [Dominus enim, inquit, Deus
Hebræorum vocauit nos:] atq; vocanti Deo audiens fuit quidem, sicut & Moy- *Exo. 3.*
D ses: [omnia enim, inquiunt, quæcunque dixerit Deus, faciemus, & audiemus.] *Exo. 24.*
Sed, quia legalis obedientiæ non ea vis erat, vt ad purgandum satis esset; [impossibile est enim sanguine taurorum, & hircorum auferri peccata:] ideo cohi- *Heb. 10.*
betur Moyses, ne accedat ad Deum: [ne appropies, inquit, huc:] legis enim viribus egregia virtus adiri non potest: neq; illa ex Moysi lege viuendi ratio eam
facultatem habebat, quæ satis admodum esset, vt homines ad Deum perducere
posset. Christus enim nos illi exhibet per sanctificationem: sanctos quippe esse decet eos, qui Deo sancto iungendi sunt; [sancti enim eritis, inquit, quoniam *Leuit. 11.*
ego sanctus sum.] Quod autem illa secundum legē viuendi forma, non omnino
aliena esset a culpa, mox edocuit, cum dixit, [Solue calceamentum de pedibus
tuis: locus enim, in quo tu stas, terra sancta est.] Soluere namq; calceamentum

 de pede

de pede iuſſit Moyſen illum ſacrorum inſtitutorum interpretem, oſtendens A
nondum purum eſſe,neque omnino a corruptione,ac mortuorum operum qualitate liberum, vitæ illius, quæ ex lege ducebatur, inceſſum: in quo autem reliquiæ corruptionis, ac mortalitatis inſint, eum nefas eſſe ad Deum accedere, id a gentilium conſuetudine diuinus ille Moyſes didicerat;neque enim ij templa adibant, pedes induti calceis exanimatorum animantium pelle confectis; id enim eorum legibus inter immunditiæ genera recenſebatur. Atqui nos a mortalitate,atque corruptione,& ceteris, quæ ad hãc impuritatem pertinent, non lex, Palladi, non vitæ cum legis Moyſaicæ littera congruentis veſtigia liberauerunt; ſed fides in Chriſto, & euangelicæ vitæ perfectiſſima purgatio. Anne cenſes verum eſſe, quod dico? PALLAD. Quid ni? CYRILL. Igitur calceis poſitis, accurrentem iam, ac propius accedentem allocutus eſt
Exo. 3. Deus, [Ego ſum Deus patris tui, Deus Abraham, & Deus Iſaac, & Deus Iacob. Auertit autem Moyſes vultum,inquit; verebatur enim contra illum aſpicere.] Exanimi namque ſenſu depoſito, ac veluti mundo, liberoque pede per B
Chriſtianæ conuerſationis viam ambulantes appropinquabimus Deo, non locorum ſpatio, ſed affectione ſpirituali; etenim res Moyſi geſtæ figuræ erant & vmbræ. Ita demum ſummæ illius doctrinæ verba lucrabimur,& Dei ſcientiam in nobis ipſis colligemus,Patre nimirũ oſtendente ſe nobis in Filio:videbimus enim illũ,longe præſtantius quã antiquus ille populus,vt in Moyſi perſona, viditis enim vultũ auertit ſuum;verebatur enim aſpicere cõtra Dominũ. Quo facto ſignificatur mentis eorũ infirmitas, qui ſub diſciplina legis inſtituebantur, quæ quodammodo reſpicere Deum non poſſet, neque illius intueri gloriam,
Pſalm.68. iuxta illud, quod in pſalmis canitur, [Obſcurentur oculi eorum, ne videant:]
Hiere. 5. & illud, quod eſt apud Prophetas, [Ecce populus ſtultus & excors; oculi ſunt eis, & non vident.] Nos vero, qui ad ineffabilis illius naturæ rationes puros, illuminatoſque mentis oculos adiicimus,conſpicuam illam in filio, Dei & Patris formam contemplamur: ac Iudæis quidem qui Patrem ſe vidiſſe exiſtima- C
Ioan. 5. rent, ſapienter eſt a Chriſto dictum, [Neque ſpeciem ipſius vidiſtis, neque vocem eius audiſtis;] ſed ſciſcitanti Philippo, ac rudius quidem, quam par
Ioan. 14. erat, ſed tamen diſcendi ſtudio roganti ac dicenti; [Domine, oſtende nobis Patrem; & ſufficit nobis,]reſpondit Chriſtus, [Tanto tempore vobiſcum ſum, & non cognouiſti me, Philippe? Qui vidit me, vidit & Patrem. Non credis, quia ego in Patre, & Pater in me eſt?] Non eſſe autem admodum firmam ne aptam quidem ſatis ad Deum accurate perſpiciendum, illam mandati legalis contemplationem atque diſciplinam, vt quæ in vmbra ſit & ænigmate, in il-
Geneſ. 29. lis quoque duabus Laban filiis videre licet. Scriptum eſt enim, huic Laban duas fuiſſe filias; natu maiori Liæ, minori Racheli fuiſſe nomen. Sed Liam oculos infirmiores habuiſſe, Rachelem præſtanti forma, ac ſpecie ſane venuſta fuiſſe: itaque Iacob patriarcham, quamuis deditum amori Rachelis, D
duxiſſe tamen Liam, antequam venuſtiori iungeretur. Igitur, ſi figura ad veritatem transferatur, Chriſti myſterium perſpicies. Duo ſunt enim vocatæ ad coniugium ſpirituale, illique iunctæ mulieres; ac prior illa natu maior per Moyſen, quæ perſonam Synagogæ Iudæorum ferebat, cui dictum eſt
Hiere. 22. a Deo per voces Prophetarum, [Ecce non ſunt oculi tui, neque cor tuum pulchrum, niſi ad auaritiam, & ad iniquitates tuas, & ad cædem faciendam.] Secundo loco ducta eſt adoleſcens, ac venuſtior illa ex gentibus eccleſia,cui Da-
Pſal.44. uid dicebat, [Audi, filia, & vide, & inclina aurem tuam, & obliuiſcere populum tuum,& domum patris tui; quia concupiuit Rex ſpeciem tuam.] Dictum eſt ei quodam loco, etiam illud, [Oculi tui ſicut columbæ.] Eſt autem ſpiritualis

A tualis proculdubio, atque cælestis reuera illa Ecclesiæ pulchritudo: scriptum est enim, [Omnis gloria filiæ regis Esebon :] Hoc autem verbum, [Esebon,] Hebræorum lingua, intrinsecus significat; neque enim illa species, corporis oculis percipitur, sed puræ mentis acie conspicitur. An ita non est? PALLAD. Maxime vero. CYRILL. Non ergo quisquam per legis institutionem, diuinam illam incorruptamq. pulchritudinem perspiciet, sed per Christum potius, & eius disciplinam. PALLAD. Verum est. CYRILL. Potens autem ad nos redimendos, eximendosq. de manu dominatuque Diaboli fuit non Moyses, aut lex, sed dominus Moysi, Christus inquam, eiusque vis sacramenti. Certe cum Deus diceret, [Videns vidi afflictionem populi mei, qui est in AEgypto, & clamorem eorum audiui propter exactores operum: scio enim dolorem eorum, & descendi vt liberem eos ex manu AEgyptiorum, & educam eos ex terra illa, & inducam illos in terram bonam & multam, in ter- *Psal. 44.* *Exod. 3.*

B ram manantem mel, & lac:] cumque iis verbis continuo addidisset, [Et nunc ecce clamor filiorum Israel venit ad me; & ego vidi afflictionem, qua AEgyptij opprimunt eos: & nunc veni, mittam te ad Pharaonem regem AEgypti, & educes populum meum, filios Israel ex terra AEgypti:] aperte ac palam reclamauit Moyses, [Quis sum ego, vt vadam ad Pharaonem regem AEgypti, & vt educam filios Israel ex terra AEgypti?] Num igitur parum est euidēs hæc figura, & hic recusandi modus nonne ad eum refertur, qui infinitis partibus superior est atque præstātior, id est, ad Christum? alioqui hoc ipsum dicere, Quis sum? ineptum sane esset. Atqui facile admodum fuisset, populos eripere, ac salutem gentibus parere, ad libertatemq. reuocare, si eius vires, qui illos in seruitute constrictos tenebat, Satanæ inquam, attritæ atque eneruatæ fuissent. PALLAD. Profecto facillimum: recte enim dicis. CYRILL. Quid? nonne hinc quoque prorsus facile est videre, omnium hominum salutis aucto-

C rem fuisse vnigenitum Dei filium? ipsius enim ope redempti sumus, atque, vt ait Propheta, [Non legatus, non Angelus, sed ipse Dominus saluauit nos.] PALLAD. Vndenam quæso? CYRILL. Deus enim vniuersorum præcepit Moysi disertis verbis, vt sine cunctatione pergeret ad filios Israel, iisque palam diceret, quod adiutorem atque patronum haberent Deum, qui omnia potest, eum facillime seruitutis AEgyptiæ molestiam leuaturum; illos item domum denuo redituros; &, vbi ad patrum suorum libertatem redierint, fore vt terram sanctam incolerent; ibiq. copiis ac bonis, quæ ipse suppeditaturus esset, largissime fruerentur. Respondit autem, inquit, Moyses, ac dixit, [Si non crediderint mihi, neque audierint vocem meam; dicent enim, quod non apparuit tibi Deus, quid dicam ad eos? Dixit autem ei Dominus, Quid illud est, quod habes in manu? ille autem dixit, Virga: & dixit, Proiice eam in terram: & facta est coluber; & fugit Moyses ab eo. Et dixit Dominus ad Moysen, Ex- *Esai. 63.*

D tende manum tuam, & apprehende caudam: extendens igitur manum, apprehendit caudam, & facta est virga in manu eius.] PALLAD. Insuetum, sane nouumq. miraculum, Cyrille: quid autem significare velit, differe, si placet, a capite. CYRILL. Equidem differam. Cum per multa tempora inter AEgyptios versati essent Israelitæ, & nullum esset peccati genus, in quod lapsi non essent, cumq. voluptatibus illi regioni propriis oblectarentur, non ignorabat Moyses, segniores ea de caussa factos esse, atque eiusmodi, vt ægre ad componendos mores traduci possent: fore autem sapienter putabat, vt operum labor compelleret ad obsequendum vel inuitos, si ipsum admirabilia quædam opera efficere viderent; est enim voluptas infixum penitus malum, & vitiorum nostrorum feritas difficile mansuescit: at, si sudor deprimat, ac

labores impositi sint, tum vero is, qui se liberaturum ab iis incommodis pollicetur, facile persuaserit, ipsas quoque summas voluptates contemnere. Quinetiam puto Deum, qui bonorum omnium scientiam tenet, sapientissimo consilio Israelitis eo potissimum tempore molestam, ac non ferendam AEgyptiorum hominum iniquitatem immisisse, vt faciles essent ad fugam; neque consuetudine voluptatum illecti, pertinaces ac difficiles admodum fierent, atque illius, qui ad libertatem vocaret, gratiam parui pendentes, AEgypti seruitutem sponte ac libenter amplexarentur, cum illam præsentis temporis oblectationem exiguis nonnumquam laboribus anteferrent, immo vero etiam ipsis Dei beneficiis exoptatiorem existimarent. Itaque licet iam libentissime ex illa iniquitate veterum dominorum emersissent, & in eremo fixis tentoriis morarentur, & superno cælitusq. dato cibo vescerentur, manna inquam illo, quod copiose præbebatur, illam tamen in AEgypto voluptatem non sine lacrymis commemorant, scilicet querentes multo sibi melius fuisse, si tum essent mortui, cum in AEgypti mensis luxuriarentur. Itaque summa contentione more puerorum vociferabantur, [Vtinam mortui essemus percussi a Domino in AEgypto, quando sedebamus super ollas carnium, & comedebamus panem in saturitate.] P A L L A D. Recte dicis. C Y R I L L. Non erat igitur Moyses ignarus, illam miraculorum perpetrationem necessariam fore, qua illorum animi ad facilius obtemperandum adducerentur: itaque ait, [Si non audierint me; dicent enim, Non apparuit tibi Deus; quid dicam ad eos?] Sed vniuersorum Deus miraculum illud velut exercitationis cuiusdam loco facere continuo iussit, ea de caussa, nisi fallor, vt prius experimento ipso probaret suo cultori, vt apud se, sic apud omnes alios, rem illam gestam satis argumenti habituram, quo se a Deo vocatum fuisse certissime ostenderetur; neque enim ad alterum quempiam, præterquam ad vnum cunctarum rerum opificem pertinere, posse rerum naturam, in quam velit aliam, immutare. Simul etiam figurare rem illam admirabilem pro indicio esse voluit salutis illius, quæ per Christum tribuenda nobis erat; in eo enim perspiciemus quemadmodum humanæ naturæ quædam fit in antiquum statum facta reformatio, ac veluti transfiguratio in eam condicionem, qua eramus in Adam, cum primum a Deo conditi fuimus; gloria superna & sanctitate nondum amissa. P A L L A D. Quonammodo? obscuriori enim es oratione vsus. C Y R I L L. Virga illa, Palladi, seu sceptrum nonne regni insigne fuerit? P A L L A D. Maxime; nam per illud iurare solitos esse veteres nonnullos, aiunt ij, quibus Græcorum res gestas laudibus tollere studium fuit. C Y R I L L. Quid deinde? nonne paradisi stirpem esse fateris, quæ, antequam cæderetur, in hortis pullulauerit? P A L L A D. Fateor. C Y R I L L. Perge nunc, atque animum refer ad veterem illum Adam, in eoque tamquam initio ac radice generis nostri, vniuersam hominum considera naturam; adhæc illud quoque cogita, illum factum fuisse ad imaginem conditoris, atque præfectum, vt terrenis rebus imperaret, fuisseque in Dei manibus eo ipso, quod in sanctitate viuebat, & quodammodo paradisi germen florentissimum, simul & generosissimum. Vbi vero serpentis felle deceptus ab antiquo statu abductus est, & diuini mandati contemptor deprehensus, tum vero a situ ac radice priore diuulsus, ex eius manu, a quo in sanctitate continebatur lapsus est, & in terram, hoc est, ab illa virtutis sublimitate decidit, & eo vsque reptauit imbecillus & languens, vt carnalia sapere vellet, & iam summa nequitia laboraret, nec meo iudicio aliquid a serpente distaret. Ita regno & ea gloria, quam a principio tenuerat, spoliatus est, etiam e Paradiso ac deliciis eiectus. An vero non id nobis beatus Moyses dixit? PALLAD. Dixit

Margin notes: Exo. 16. — Exod. 3. — Homer. Iliad. A.

Margin letters: A, B, C, D

A Dixit ille quidem. CYRILL. Iam vero legislator, cum ad eam nequitiam eũ perductũm videret, refugit quodammodo, & vitium, quod in eo inerat, detestabatur; fugit namque serpente Moyses abiecto: scriptum autem legimus, [Sanctusspiritus sapientiæ fugiet dolum, & auferet se a cogitationibus, quæ sunt sine intellectu:] neque enim conuenire vnquam inter se possunt sanctificatio & immunditia, lux & tenebræ, iustitia & iniustitia. PALLAD. Ita est. CYRILL. Quod igitur de manu Moysi virga cecidit; fortasse illud significet, hominem illum factum ad imaginem Dei, fuisse ab initio Paradisi plantam, & in illa regni gloria ac Dei manu positum; eundemque lapsum in terram, quia maluerit carnalia sapere: & propter summam acerbitatem, diuinitatis ipsius oculis instar serpentis fuisse. Sed præceptum est Moysi, vt manum extenderet, caudamq. illius apprehenderet; quo facto, immutatus continuo est in eam formam, qua prius erat, ita vt non amplius serpens, sed virga rursus esset, & paradisi germen. Vbi igitur placuit Deo ac patri omnia instaurare in Christo, atque id quod factum erat, in priorem statum reformare, misit e cælo nobis vnigenitum, manum, inquam illam suam dextram, illam vniuersorum opificem ac vere salutarem, iuxta illud, [Dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltauit me.] Tunc itaque, tunc inquam, iacentem humi naturam hominis apprehendit; cumque nos ferali nequitia, peccatorumq. veneno exuisset, per sanctificationem ad honorẽ illum regium, & ad virtutis mansuetudinem reduxit; illudque vetus domicilium credentibus in eo latrone, qui eorum tamquam primitiæ quædam ac princeps fuit, & simul secum est crucifixus, restituit, [Amen, Amen, inquiens, dico tibi, Hodie mecum eris in Paradiso.] PALLAD. Optime sane nobis ac rectissime hæc disputatio confecta est. Illud mihi tamen explices velim, quæ caussa fuerit, cur caudam potius apprehendi iusserit, quam caput, aut mediam corporis partem. CYRILL. Sic enim, Palladi, fieri æquum erat; nam hoc ipsum, caudam apprehendere, non media aut caput, mysterio consentaneum erat. PALLAD. Quomodo tandem? CYRILL. Quia caput velut initium quoddam est totius animantis, vt cauda finis. Age igitur vniuersum genus hominum, vt vnum animal hactenus cogitemus: apprehendit igitur caudam Christus, id est, extremas partes atque vltimas; extremis quippe sæculorum temporibus aduenit. Verum, vt Moyses quamuis caudam apprehendisset, tamen vsque ad ipsum quoque caput illa reformatio recurrit; (est enim totus ille serpens in virgam immutatus,) ad eundem modum, vltima licet apprehenderit Christus, attamen in vniuersum genus pertinet, & ad caput ipsum vsque, id est, Adam, illa per gratiam reformatio pertingit. Scriptum est enim, ideo Christum esse mortuum & reuixisse, vt viuis ac mortuis dominetur: igitur in extremis ipsa quoque principiorum simul est perfecta redemptio.

Sapient. 1.

Psal. 117.

Luca 23.

Rom. 14.

D PALLAD. Probabilis sane oratio, nec ab eo, quod proposuimus, aliena narratio. CYRILL. Ad id vero credendum etiam duobus aliis diuinæ virtutis signis illum maxime confirmauit. Scriptum est enim deinceps, [Et dixit illi Dominus rursum, Mitte manum tuam in sinum tuum: & misit manum suam in sinum suum. Et dixit, Educ manum tuam ex sinu tuo: & eduxit illam ex sinu suo, & facta est manus eius leprosa sicut nix. Et dixit rursus, Mitte manum tuam in sinum tuum: & misit manũ suam in sinum suum: & eduxit manum suam de sinu suo, & rursus restituta est in colorem carnis suæ.] Vide igitur quam id factum Deo conueniat, quamque sit admiratione dignum, atque vna cum eo miraculo quod proxime narrauimus, Christi mysterij significationem quodammodo contineat. PALLAD. Ergo illud explica; nihil enim

Exo. 4.

dum intelligo. CYRILL. Carnis est morbus lepra, isque grauior quam vt a medicis ei succurri possit, aut illorum vsu atque peritia expugnari: ac leprosus ipse prophanus & impurus est, ex antiqua illa Moysi lege, necnon iis quoque odiosissimus, qui gentilium mores magnipendunt: qui enim eo laborat morbo, semimortuus quodammodo est; at vero auersandum impurumque est mortui cadauer. Itaque curare posse leprosum, tamquam eximium quiddam, & quod nostrarum virium modum longe superet, soli diuinæ naturæ, atque efficaciæ tributum est. Ideoque in admiratione habebatur Christus, qui suo iure supra leprosum inclamauit, [Volo; mundare.] Illa namque vox, cunctarum opifex rerum, quæ ipsos etiam e sepulchris excitat mortuos, & morte est, & corruptione præstantior, hoc in eo homine miraculum perfecit. Iussit igitur, vt manum in sinum abderet, deinde extractam e latebra sinus, iam totam lepra infectam ostenderet; denuo autem cum in sinum abdidisset, illico ab vi morbi inde liberam protulit; vt ex ea re intelligerent Israelitæ, illum ineffabili quadam & inenarrabili vi propemodum armatum, eorum propugnatorem futurum esse, qui violati essent iniuria, & contra fas, AEgyptiorum iniquo dominatui subiecti. Atque hæc quidem ratio, quamuis in promptu sit, est tamen historiæ opportuna. Illud autem non ab re fore puto, si subtilius propositi loci sensum scrutati fuerimus atque inquisierimus, ecquid illud sit, quod in sinu manum abdidit, quid etiam, quod educta cum fuisset, grauiter lepra respersa est: adhæc purgationis modum inuestigare oportet; nam vbi manum in sinum misit, ab eo morbo liberam reddidit. PALLAD. Recte ais; neque enim parum nos iuuerit hæc singula exquirere. CYRILL. Igitur mea quidem sententia res tam admiranda huiusmodi quiddam tamquam in vmbra significare videtur. Quamdiu namque homo ad imaginem Dei conditus propemodum in sinu Dei nutriebatur, necdum præceptum sibi a Deo traditum conculcauerat, prouidentia & amore erga se Dei tectus, purus atque sanctus, & mortis ignarus permanebat: vbi autem Dei præsidio atque amicitia excessit, quod in vitia procliuior esse cœpisset, tum vero prophanus atque execrandus, & mortis impuritate laborans manifeste deprehensus est. Sed cum rursus nos ipse Deus ac Pater suscepisset in Christo, & diuinæ gratiæ præsidio circumtexisset, ac tamquam in sinu per adoptionis donum contineret, illico vna cum impuritatibus mortalitate quoque veteris illius maledictionis abiecta, ad antiquam illam conditionem, in qua a principio fuimus, reuersi sumus. Scriptum est quippe de manu Moysi, [Restituta est ad colorem carnis suæ.] PALLAD. Elegantissime dictum. CYRILL. Iam vero tertium illud in ea re signum manifestissime atque apertissime Christi mysterium voce pene declarat: sic enim Deus rursus est Moysen allocutus, [Si vero non crediderint tibi, neque audierint vocem signi prioris, credent tibi per vocem signi sequentis.] id autem quidnam sit, declarat dicens, [Eritque, si non crediderint signis duobus his, neque audierint vocem tuam, capies aquam fluminis, eamque fundes in aridam, & erit aqua, quam acceperis a flumine, sanguis super aridam.] Vltimum namque mundo signum Christi mors fuit, & illa per aquam, & sanguinem ablutio, adiuncto nimirum etiam sancto corpore, quod per aridam significatur: effluxisse autem nobis aquam & sanguinem ex illo sanctissimo latere, lancea perfosso, nil attinet dicere, cum omnibus sit notissimum. Illam porro Saluatoris nostri mortem signum appellatam fuisse, id quoque ex sacris litteris quiuis aperte intelligere potest; audacissimi enim illi Pharisæi quamuis multa prius edita essent miracula, tamen quasi nullum adhuc effectum fuisset, his verbis Christum aggressi sunt, [Magister, inquiunt, volumus

Margin notes: A (beside "dum intelligo"); Matth. 8. (beside "re supra leprosum"); B (beside "quadam & inenarrabili"); C (beside "& mortis ignarus"); Exod. 4. (beside "declarat"); D (beside "derint signis"); Matth. 12. (beside "adhuc effectum").

A volumus a te signum videre.] Ille vero contra, [Generatio praua atque adultera signum quærit, & signum non dabitur ei, nisi signum Ionæ prophetæ: sicut enim fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus, ac tribus noctibus, sic erit filius hominis in corde terræ tribus diebus, & tribus noctibus.] Igitur primum auxilium in Christo nobis præbitum est per legem Moysi; [Legem namque in adiutorium dedit,] iuxta prophetarum vocem. Sed caudam apprehendit Moyses. Secunda porro ablutio rursus in Christo per prophetas sanctos, ac per Ioannis vocem, atque missionem tributa est: illi enim dicebant, [Lauamini, mundi estote;] hic ad baptismum pænitentiæ vocabat. Tertium denique signum, quod idem nouissimum esse ait, Christi mors fuit; quo dato, fides est subsecuta: [si enim non crediderint tibi, inquit, neque audierint vocem signi prioris, credent voci signi sequentis.] Vides vt fidem aperte ait consecuturam, non primo signo edito, id est, non continuo post legis auxilium, neque post me- *Esa. 8.* *Esa. 1.* *Exod. 4.*

B diam ablutionem, id est eam, qua prophetæ sancti, & Ioannes nos abluerunt; sed solum post vocem signi postremi: neque enim voce caret ipsum Christi sacramentum; immo vero vniuersos vocat per totum orbem, excelsa quadam præclaraque prædicatione, ad aquæ sanguinisque lauacrum, & quidem etiám ad viuificationem, quam sanctæ carnis illius participatio præstat. Lex ergo Christum prænunciando, ministerium exhibuit: in ea tamen non satis præsidij est ad salutem aliquibus tribuendam; idque aperte Moysen confiteri, facile quiuis ostendat etiam ex propositæ scripturæ loco.: quamuis enim dixisset Deus, se cum eo futurum, idque prius editis miraculis ei suaderet, ille tamen rogabat eum dicens, [Domine non sum aptus ante heri, neq. ante tertiam diem, neque ex quo cœpisti loqui seruo tuo: gracili voce, & tarda lingua ego sum. Dixit autem Dominus, inquit, ad eum, Quis dedit os homini, & quis fecit mutum, & surdum, videntem & cæcum? nonne ego dominus Deus? Et *Prouerb. 9.* *Exo. 4.*

C nunc vade, & ego aperiam os tuum, & instruam te, quæ debes loqui: & ait Moyses, Obsecro Domine, elige alium potentem, quem mittes:] neque enim lex admodum potens est, neque satis valet ad vniuersum orbem conseruandum, atque hominem ex diaboli dominatu liberandum. Nec vero ignorabat Moyses, se tardiloquentem esse, & gracili voce, ex eo maxime tempore, quo cum eo loqui cœpisset Deus, eique præcipere, vt de se sermonem haberet; ait namque, [Sic dices filiis Israel, Ego sum qui sum: hoc mihi nomen:] tardiore etenim lingua lex loquitur, quam vt satis expresse de eo, qui est, verba faciat; neque est eiusmodi, vt venerandæ illius ineffabilisque naturæ mysteria, quæ in sancta Trinitate adoratur & colitur, explicare ac tradere queat. Ad hæc gracili est infirmaque voce, vix vt cum solis Israelitis colloqui possit, ac per Iudææ fines tantum exauditur, cum aliæ gentes omnes ne fando quidem sonum eius prædicationis auribus acceperint. Cum itaque præuideret beatus *Exod. 3.*

D Moyses eum, qui optime posset expressum, atq; expolitum de Deo sermonem auditorum auribus fundere, & vniuerso orbi facile prædicare, id est, Christum, [Obsecro Domine, inquit, elige potentem, quem mittes.] Christus enim est ille vere potēs, quem suis temporibus ex beneplacito Dei ac Patris in eam rem eligendum fore, per legem quoque prædictum fuit. Illa autem post Dei pollicitationem, multorumque signorum ostensionem, Moysi recusatio, figura non absurde fuerit cunctantis Israelis, simulque sub Christi imperio diuinis euangelicisque ministeriis defungi & obtemperare recusantis, qui post innumerabiles habitos de fide sermones, multorumque signorum ostensionem, auditum tamen illum grauem, atque tardum pertinaciter tenuerunt, atque increduli permanserunt. Et bis quidem Moyses recusauit: duo enim tempora *Exo. 4.*

inciderunt, quibus effrenatus & contumax fuerit Israel, sub Moyse & Iosue, A
ac Iudicibus, & consequente deinceps tempore, quo prophetæ fuerunt, ac Ioannes, qui fuit velut in interstitio positus Apostolorum ac Prophetarum; finis quippe fuit prophetici muneris, idemque initium, ac veluti primitiæ splendoris apostolici. Sed Moysi recusatio ad iram prouocauit Deum, denique res ad aliam dispensationis rationem translata est, qua seruandi erant, qui AEgyptiorum iniquitate premebantur. [Et iratus Dominus in Moysen, dixit, Nonne
Exo. 4. ecce frater tuus Aaron Leuita? scio quod loquens loquetur ipse tibi: & ecce ipse egredietur in occursum tibi, & videns te, lætabitur in se ipso: & dices ad eum, & dabis verba mea in os eius; & ego aperiam os tuum, & os eius, & instruam vos, quæ facietis; & ipse loquetur ad populum, & ipse erit tuum os, tu vero illi eris in iis quæ ad Deum.] Cum enim Lex offendisset, vt infirma, & Israelitæ parere nollent; adiectus est Christus, ille vere Leuita, magnusque sacerdotum princeps, ille qui iis, qui sub lege erant, adsociatus est vt frater, B
propter humanitatem; ille qui cum Moyse quidem loquebatur vt Deus, a Patre autem edocebatur, ex prophetica persona, quam tenebat, licet idem Do-
Deut. 18. minus esset: [Prophetam enim, inquit, excitabo illis ex fratribus eorum, & ponam verba mea in os eius, & loquetur ad eos iuxta omnia, quæ mandaue-
Ioan. 12. ro illi.] Ipse quoque Christus dicebat, [A me ipso non loquor, sed qui misit me, Pater, ille mihi mandatum dedit, quid dicam, & quid loquar.] Christus ergo populum est allocutus, ac Moysi quidem fit os, cum spiritualiter nobis legem interpretatur: Moyses illi rursus in iis, quæ ad Deum: videtur enim quodammodo Deo vicinior esse Moyses, quandoquidem idem Emmanuel sub lege factus est, & quæ per Moysen sapientissime sancita erant, seruare se profi-
Matth. 5. tebatur, cum diceret, [Nolite putare quod venerim soluere Legem, aut prophetas; non veni soluere, sed adimplere.] Est igitur Christus plane mysteriorum interpres, qui Legem tardiori lingua loquentem ad clariorem sonum C
transferat, gracilioremque litteræ vocem ad interpretationem longe resonantiorem veluti reformando commutet. Spiritualis est enim Lex in Christo; eius quoque prædicatio illi est veteri persimilis; Moysi namque frater est Aaron.
Heb. 7. PALLAD. Infirma igitur est Lex ipsa per se: nihil enim ad perfectum adduxit. CYRILL. Maxime, inquam; Quod autem obscura atque humilis fuerit illa ex eius præscripto conuersatio, ex iis, quæ sequuntur, intelligere
Exo. 4. quiuis possit. Scriptum est enim, [Abiit Moyses, & reuersus est ad Iethro socerum suum, & dixit illi, Ibo & reuertar ad fratres meos, qui sunt in AEgypto; & videbo si adhuc viuant. Et dixit Iethro Moysi, Vade sospes. Post dies autem multos illos mortuus est Rex AEgypti: dixit autem Dominus ad Moysen in Madian, Vade, proficiscere in AEgyptum; mortui sunt enim omnes, qui quærebant animam tuam.] Cum igitur accepisset Moyses vxorem ac liberos, imposuit eos super subiugalia, & reuersus est in AEgyptum. PALLAD. D
Quorsum hæc pertinent? non enim intelligo; aut explica quo nomine iure culpari possit illa viuendi ratio, ex Lege instituta. CYRILL. Atqui, Palladi, plurimis accusandi caussis eam esse refertam, quiuis viderit, si propositorum verborum sententiam acutius inspexerit: nam electus ad hanc legationem Moyses, non ad eam recto cursu tendit, rebus mundanis abiectis; distrahitur autem etiam in curas carnales, ac prius cum cognatis de profectione sua communicat, nec prius excessit e Madianitarum regione, quam audisset mortuum esse AEgyptiorum tyrannum: metuebat enim admodum ne occideretur. At, vbi his terroribus est, Deo nunciante, liberatus, tum vero vix tandem, accepta vxore ac liberis, descendit in AEgyptiorum fines, ac Dei iussa exequi-

tur.

A tur. Hæc vero omnia figuræ sunt vitæ, secundum legem institutæ, quæ diuisa quodammodo est, & in vtramque partem spectat, ad diuinas, inquam, res & humanas; neque est enim a curis terrenis ac mundanis libera, neque omni ex parte sacra. Atqui euangelica conuersatio nullo modo prorsus in ea, quæ carnis sunt, diuiditur, aut mundanorum negotiorum curas; quinpotius eos, qui sub Christi ditione sunt, totos omnino Deo, veluti consecrat, atque dedicat: [qui enim sunt Iesu Christi, inquit, carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis.] Itaque discipulus quidam, cum accedens diceret Christo, [Magister, permitte mihi prius ire, & sepelire patrem meum,] sacræ omni ex parte vitæ rationem didicit, cum illico audiuit, [sequere me; & dimitte mortuos sepelire mortuos suos.] Quin etiam scribit ad quosdam admirabilis vir Paulus, [Cum placuit Deo reuelare filium suum in me, vt euangelizarem illum in gentibus, continuo non consultaui cum carne, & sanguine.] At ea *Galat. 5.* *Matth. 8.* *Galat. 1.*

B Moyses adhibet in consilium; diuisa enim est, vt dixi, illa ex lege viuendi ratio, metui quoque mortis obnoxia: timebat namque Moyses descendere in AEgyptum, mortis periculum refugiens. Is autem metus in Christo euacuatus est: idque Paulus idem confirmat tum de Christo, tum etiam de nobis loquens, [Quia enim pueri communicauerunt carni & sanguini, & ipse similiter participauit eisdem, vt per mortem destrueret eum, qui habebat mortis imperium, id est, Diabolum, & liberaret eos, qui timore mortis per totam vitam obnoxij erant seruituti.] Itaque aduersus ipsam quoque mortem sanctorum virorum animus audacter insurgit; ait enim Paulus rursum, [Mihi namque viuere Christus est, & mori lucrum.] Et iterum, [Quis nos separabit a caritate Christi? tribulatio, an angustia, an persecutio, an fames, an nuditas, an periculum, an gladius?] Teneri autem metu mortis vitam, quæ ex legis regula, ducatur; contraque mortis deuitasse laqueos hanc gloriæ plenam in *Heb. 2.* *Philip. 1.* *Rom. 9.*

C Christo conuersationem, id quoque planum fit ex eo, quod sacra Scriptura clamat, regnasse mortem ab Adam vsque ad Moysen. Quis vero alius destruxit mortem, aut corruptionis imperium deiecit, seruauitque non credentes modo, sed eos quoque, qui sub legis disciplina instituti fuerant, nisi solus dominus noster Iesus Christus? [Non enim legatus, non Angelus, sed ipse Dominus saluauit eos,] prophetico responso prædictum est. Licet autem tibi perspicere, neque id obscure, huius rei mysteriũ velut in figura quadam in iis rebus, quæ beato Moysi contigerunt: iam enim proficiscenti ex Madianitarum finibus, ac properanti in AEgyptum, dixit Deus, [Dum ingrederis ac reuerteris in AEgyptũ, vide prodigia omnia, quæ dedi in manibus tuis, facies ea corã Pharaone:] & quibusdam interpositis, [Et accidit, inquit, in itinere, in diuersorio occurrit illi Angelus Domini, & quærebat occidere eũ; cum autẽ accepisset Sepphora calculum, circuncidit præputium filij sui, & procidit ad pedes eius, & di- *Rom. 5.* *Esai. 63.* *Exo. 4.*

D xit, Stetit sanguis circuncisionis filij mei; & discessit ab eo, quia dixit, Stetit sanguis circuncisionis filij mei.] Vtrum igitur tibi longiori opus est oratione ad explicandum, an perspicuus est locus ad contemplandum propositus? PALLAD. Minime quidem: neque enim intelligo, quidnam illud sit, quod velut per vmbram hoc facto significetur. CYRILL. Nonne, Palladi, verum esse ais, morti obnoxiam factam esse hominum naturam ex maledicto illo veteri? dictum namque aduersus nos est, quod est ipsi Adam veluti primitiis nostri generis, & supremæ radici dictum, [Terra es, & in terram ibis.] PALLAD. Maxime vero. CYRILL. Cum igitur euenisset, vt ipsum generis nostri initium morti, quæ ex peccato extiterat, subiectum esset, necessario in nos ipsos quoque hoc malum pertransiit, & vna cum radice germina quo- *Genes. 3.*

que ex

que ex illa prodeuntia depastum est; nam corruptibilis corporis fructus etiam A
Rom. 5. corruptibilis sit, necesse est; ita [regnauit mors super omnes, ad ipsum vsque Moysen,] id est, vsque ad ipsa legis tempora. Mortem igitur vsque ad Moysen vires habuisse, ac res humanas fuisse interitui subiectas, ille Angeli tunc aduersus Moysen conatus figura euidens, ac perspicua fuit. Ceterum compescuit exterminatorem, & a Moyse depulit vxor Sepphora, cum suum ipsa filium calculo circuncidisset, atque supplicans diceret, [stetit sanguis circuncisionis filij mei.] Stetit autem sanguis, non eo sensu dixit, quasi fluere sanguis desiisset; neque enim id, opinor, exterminatorem a voluntate cædis faciendæ retraxisset: sed pæne hoc dixit, Perfectum est atque completum, quod Deo visum est; id autem erat filij mei circuncisio: vt, si quis, verbi gratia, diceret, Huius rei figura stetit: aut certe; Huius rei, verbi gratia, ratio stetit; quod idem valet, ac si diceretur, Ad finem peruenit, ac demonstrata res est. PALLAD. Ceterum quid intelligere possumus significare Sepphoram? quid item calculum, ac circuncisionem calculo factam? quemadmodum porro cohibitus est diuinus angelus, vt Moyses, filio circunciso, imminentem sibi mortem ac debitam euaderet? CYRILL. Obscurus est sane locus, nec facile ad propositarum quæstionum intelligentiam perueniri potest: tamen Deo fretus, dicam rursus, vt potero. Sepphora filia sacerdotis Madian (is autem alienigena erat, neque ad Israelis sanguinem pertinebat) figuram ac personam ecclesiæ ex gentibus tenet, quæ ad Deum ex mundi huius cultu vocata est: dictum quippe est B
Psal. 44. ad illam per vocem Dauid, [Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam, & obliuiscere populum tuum, & domum patris tui; quia concupiuit Rex speciem tuam: quoniam ipse est Dominus tuus.] Vocata igitur ea est, dum sequeretur legem, ac tamquam cum Moyse pædagogo matrimonio iuncta, qui
Heb. 5. optime ad Christi mysterium perducit: est enim lex magister quidam elementarius, qui perducit ad initia sermonum Dei, ac per ænigmata & vmbras, cognitionis eius, qua Christi mysterium percipitur, veluti semina quædam in nobis inserit. Itaque Iudæis, qui ipsum quoque Moysen sacratissimum abie- C
Ioan. 5. cerant, dicebat Christus, [An putatis, quod ego accusaturus sim vos apud Patrem? est qui accuset vos, Moyses, in quem vos speratis. Si enim crederetis Moysi, crederetis vtique & mihi, de me enim ille scripsit.] Ergo cum Sepphora ecclesiæ loco ex gentibus collectæ accipiatur a nobis, proculdubio, qui est ex ea filius, recentioris populi figuram tenebit; eo quod illam, quam spiritus efficit in Christo pueritiam, atque in Deum regenerationem credentes
Psal. 101. acceperint, quos etiam populum, qui creabitur, appellat quodam loco Dauid. Is igitur nuper in Christo genitus puer, recentior, inquam, per fidem populus, per circuncisionem in spiritu mortem cohibet: est enim calculus naturæ illius firmissimæ nota; eius enim robur atque soliditas per lapidem, vt qui durus admodum sit, significatur. Itaque etiam Iesus Naue, cum Israeliticas co- D
Iosue 5. pias per Iordanem traiecisset, gladiolis eos lapideis circuncidit, videlicet illam in Christo per Spiritum circuncisionem præfigurabat: petra enim Christus, quem tamquam in figura, vt modo dixi, ille quoque calculus prænotat, quo Sepphoræ est filius circuncisus. Quo tempore, etiam mors aufugit, atque a Moyse discessit is, qui illum quærebat occidere, quod illius in Christo circuncisionis mysterium honoraret; in quo res ipsa gesta figurate nobis subclamare videtur, non ab iis modo, qui Christi circuncisione dignari sunt, recessisse mortem; sed ipsis etiam patribus eam rem, Christi, inquam, mysterium, auxilio fuisse. Vt enim omnes in Adam mortui sumus, sic in omnes quoque illa
Rom. 14. per Christum gratia fertur ac funditur. Ideo namque mortuus est, vt & mortuis

& viuis

A & viuis dominetur. Ergo illo ipso tempore, quo iunior populus circunciditur, simul quoque patribus vita præstatur. Viuunt enim Deo, eo ipso quod victuri sunt: id enim sacris libris est proditum. Spiritualis porro circuncisionis tempus Christi aduentus est: qui, quamuis Moyse sit antiquior, vt Deus; idem tamen posterior est, ex eo quod homo apparuit missus ad ministerium nostra caussa susceptum. Velim namque animaduertas, Moysen prius electum a Deo fuisse, postea vero Aaron adiunctũ: in quo ille præfigurauit, Christi declarationem legatione ac ministerio Moysi tempore posteriorem fuisse; qui æqualis erat Moysi propter humanitatem, sed quod erat Deo parente genitus, diuina præstantiq. excellentia pollebat. Licet autem ex ipsis quoque sacris litteris hoc perspicere, si velis. [Fecerunt enim, inquit, Moyses & Aaron, sicut præceperat eis Dominus, sic fecerunt. Moyses autem erat annorum octoginta, Aaron vero frater eius octoginta trium annorum erat, quando locuti sunt ad Pharaonem.] Matth.22. Exo.7.

B Audisne quemadmodum, ex eo quidem quod ad octogesimum annum peruenerunt, ambo æquales fuerint, sed Aaron numero trinitatis excellat? ergo Moyse antiquior, etsi in ministerio posterior fuerit. Sic & Christus æqualis est quadam ex parte Moysi per humanitatem, ac dispensatione posterior; sed eidem tamen, quod ad deitatem ac sanctæ Trinitatis gloriam pertinet, longe præponitur & antefertur. PALLAD. Aperta sane ac perspicua expositio. CYRILL. Quid? nonne illud præterea dignum est, quod animaduertatur? PALLAD. Quidnam istuc est? CYRILL. Non enim ante ex AEgyptiorum terris excessissent Israelitæ, neque seruitutem a se adeo molestam atque odiosam excussissent, quinetiam illatam AEgyptiorum primogenitis mortem, atque ineuitabilem illam Exterminatoris manum haud effugissent, nisi prius agnum immolassent in Christi figuram, qui tollit peccata mundi. Vnxerunt ergo illi quidem postes sanguine, vt lex a Moyse sancita iubebat, sed Chri-

C sti mysterio suos animos tamquam scuto quodam atque vallo munierunt. Christi namque mors medicina est ad mortem soluendam valens, & qui mysticæ benedictionis participes fiunt, ij sunt mortis atque interitus victores, vt illa verba testantur, [Amen amen dico vobis, Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam.] Edentes vero agnum, panes azymos ad eum cibum adhibebant: quæ figura per azymum, purumq. cibum euangelicarum disciplinarum elegantiam significabat; sed ita tamen, vt eam non absque sudore atque pressurarum amaritudine futuram esse præfiguraret: nam amaris herbis simul cum infermentatis panibus vesci hoc latenter significat, illam sinceri ssimam atque purgatissimam in Christo vitam non posse sine amaritudine duci. Ergo ad azymos cibos amaritudo quoque est necessario adiungenda: [omnes enim, qui volunt pie viuere in Christo, persecutionem patientur,] inquit. Sed tamen, quicunque id perpessi fuerint, beati sunt: nam simul Ioan.6. 2.Timo.3.

D patiendo, consequentur etiam, vt simul regnent, vt scriptum est. Num igitur oratio abisse tibi ad ineptias videtur? PALLAD. Minime vero. Rom.8.

FINIS LIBRI SECVNDI.




SANCTI



SANCTI CYRILLI ARCHIEPISCOPI ALEXANDRIAE

DE ADORATIONE IN SPIRITU ET VERITATE



LIBER TERTIVS.

Mortem, quæ ex peccato consecuta est, atque Diaboli tyrannidem euitari nullo modo posse nisi per sanctificationem; quæ ex Christo est: iustificationemq. non in lege, sed in Christo esse.



AM vero cum eiusmodi sacrificium Israelitæ perfecissent, cumque præterea primogenita AEgyptiorum periissent, depulissetq. tamquam in figura Christus a sanctificatis Exterminatorem, tum denique ex dominorum terris excesserunt; cumque ad promissam sibi regionem properarent, ad eam non recto cursu, sed flexibus in vtramque partem a recto itinere diuersis perducti sunt. A
Exo. 13. Sic enim scriptum est rursum, [Vt vero emisit Pharao populum, non deduxit eos Deus per viam Philistæorum; quia prope erat: dixit enim Deus, Ne forte pæniteat populum, si viderit bellum, & reuertatur in AEgyptum: & circumduxit Deus populum suum per viam, quæ ducit in desertum ad mare rubrum.] PALLAD. Quid tandem in ea quo- B
que re mysterij latet? CYRILL. Exquirendum id est, si ita videtur. Scis enim, cum illis in promptu esset via, per quam recta in eum locum tenderetur, ac liceret breui itinere cito peruenire; (prope enim erat, inquit, terra proculdubio promissionis) per alteram eos duxisse viam, quæ longo circuitu conficeretur; quod ille cunctorum opifex illorum animum ad desciscendum facilem, & ad metum nimium procliuem longe ante prouidisset. PALLAD. Nihil magis perspicua est oratio. CYRILL. Ad spiritualem igitur contemplationem transeundum est, Qui a mundana vita dæmoniacoque dominatu tamquam ex AEgyptia regione recedunt, eos recta breuisq. omnino via perducit ad sanctificationem, spemq. eam, quam in Deo repositam habemus, fides, inquam,

A quam, in Christo, & illa in eodem iustificatio, vt sapienter est a beato Paulo
dictum, [Prope te est verbum hoc in ore tuo, & in corde tuo, hoc est, verbum Rom. 10.
fidei, quod prædicamus: quoniam, si confitearis in ore tuo, quod Dominus,
Iesus; & credideris in corde tuo, quod Deus ipsum suscitauit a mortuis, sal-
uus eris: Corde enim creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem.]
Per hanc igitur adeo vicinam breuemq. viam ambulare antiquos illos homi-
nes non permisit Deus, sed velut circuitum quendam excogitauit, rectum iter
minime habentem, legem inquam, quæ per orationis anfractus & ænigma-
ta longiorem haberet laborio sioremque disciplinam, vt iis, quæ tradebantur
in vmbris, velut meditatione quadam rerum perfectiorum vtentes, ac prius
mysterij rudimentis imbuti, non temere quibusuis terroribus turbarentur, & a
Christo resilirent atque desciscerent, sed velut exercitatione quadam instructi,
cum didicissent quam vtilis esset veritas, paratiores ad expetendam, alacri-
B terque capessendam veritatem redderentur, dilectioneque erga Deum essent
firma & immota. Lex igitur pædagogus erat, qui veluti per longiorem ac fle-
xuosam viam duceret, per illum, inquam, cultum, qui secundum litteram
exhibebatur. At non item Christus; nam tum rectam, tum breuem nobis con-
monstrauit viam, illam, inquam, per fidem; adeoq. audentes nos reddidit, vt
non dubitemus iam aduersus ea, quæ nobis obluctantur, fortiter dimicare,
optandumque in primis existimemus pro ipso bono qnidpiam tolerare, ac Dia
boli insidiosis occursibus fortiter obsistere, illud e propheta in ore habentes,
[Ecce Deus adiuuat me; quis affliget me?] Quod autem in nobis adeo mi- Esa. 50.
ros animi ausus efficit, id certe non aliud omnino est, quam illa ex alto virtus,
id est, sancti Spiritus participatio atque communio. PALLAD. Intelli-
go quod dicis, ac tuam istam solertiam admiror. CYRILL. Atque ip-
sum quoque salutis per Christum tribuendæ tempus, vt puto, significatur, eo
C ipso quod deinceps adiunctum est, [Quinta, namque ait, generatione ascen- Exod. 13.
derunt filij Israel de terra AEgypti.] Namque a seruitute atque laboribus,
quibus frustra vanis in rebus distinebamur, ærumnis etiam, quas in terræ ac
pulueris operibus tolerabamus (nosti enim quod dico) quinta successione
temporum, vt est in euangelica illa parabola, quasi quinta quadam genera-
tione redempti sumus. [Simile est enim regnum cælorum homini patrifami- Matth. 20.
lias, qui exiit primo mane conducere operarios in vineam suam:] quod idem
circa tertiam quoqne, sextam ac nonam horam fecisse ait; [circa vndecimam
vero inuenit alios ociosos, aitque ad illos, Quid statis tota die sic ociosi? ite
& vos ad operandum in vineam meam.] Intellige igitur hos extremos in vi-
neam mitti quinta quodammodo generatione, id est, nouissimis temporibus,
cum ille vnigenitus factus homo est, ac necem pro salute omnium pertulit.
Itaque Moysi quoque lege præscriptum erat, vt agnus acciperetur quidem de-
D cimo primi mensis die, occideretur autem ad vesperam eiusdem mensis quar-
todecimo, vt simul & quintum nobis tempus die quinto, & in fine sæculi Sal-
uatoris nostri cædes futura per vesperam significaretur. PALLAD. Omne
igitur, vt consentaneum est, diuinitus inspiratæ scripturæ propositum ad Chri-
sti mysterium spectat. CYRILL. Id quidem per omnia verum est: finis nam-
que Legis ac prophetarum Christus; [neque enim est nomen sub cælo datum Rom. 10.
hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri:] sic enim dixit ille Saluatoris no- Act. 4.
stri discipulus; cuius rei probatio in promptu est, si ad ea, quæ sequuntur,
aspexerimus; [Profecti, inquit, filij Israel ex Socoth, castrametati sunt in Exod. 13.
Othom, prope desertum; Deus autem præibat illis, interdiu quidem in colum-
na nubis, vt ostenderet eis viam; de nocte autem in columna ignis: non defecit

columna nubis per diem, neque columna Ignis per noctem coram omni populo.] Vides vt Israelitis iam ex AEgyptiorum regione profectis ducem se præstiterit Deus in columna nubis & ignis. PALLAD. Quo tandem modo? A

1.Timo.3. CYRILL. Primum quidem, quia columna & firmamentum veritatis est; deinde, quod nullo modo concuti ac disturbari potest, necnon supra terram eminet; nam in Christo desiimus, quæ carnis sunt, sapere, ac per terrena volutari mala: ac veluti sursum eius ope tollimur, cum ea, quæ sursum sunt, sapimus, & in cælo versamur: scriptum est enim, [Dei fortes a terra vehementer eleuati sunt.] Dixit etiam certe Christus eiusdem Dauid voce de terra & de sanctis Apostolis, [Ego firmaui columnas eius.] Firmati quippe sunt Apostoli sancti, qui supra terram eminent, cum virtute ex alto, gratia nempe sunt sancti Spiritus induti: iidem erant etiam columnæ, eo ipso quod Christo conformes erant, eiq. similes per gratiam Sancti spiritus. Sic igitur accipe, non alia de caussa, præter eas, quas modo diximus, columnam appellatum esse Christum; deducebat autem interdiu quidem in columna nubis, de nocte vero, inquit, in columna ignis, vt monstraret illis viam: ac noctem quidem appellare Scriptura consueuit tempus illud ante Saluatoris aduentum, quo, adhuc Satana dominante, ij qui tum in terris erant, impietatis & ignorantiæ tenebris tenebantur. At contra diei nomine tempus illud appellat, quo Saluator noster aduenit: quo tempore sumus illuminati, cum splendorem illum veræ Dei cognitionis mente suscepimus: illumq. iustitiæ solem cordis oculis intuemur; quod Paulus testatur, vbi de tempore tum quod ante aduentum, tum quod in ipso aduentu fuit, loquitur, [Nox præcessit, dies autem appropinquauit: abiiciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis: sic vt in die honeste ambulemus.] Itaque cum tempus illud vetus in nocte ponatur, rursusq. illud alterum, quo Dei vnigenitus est homo factus, in die numeretur, asserimus, illum Israelitis quidem ignis specie tamquam condemnante ac puniente lege; (est enim ignis pœnæ signum:) nobis vero nubis specie tāquam in figura sancti baptismatis, salutisq. illius, quam per aquam consequimur, se ducem præbuisse. An nubes non aqua est? PALLAD. Quid ni? CYRILL. Israelitis igitur ex AEgyptiorum regione profectis, accensus est ira vetus ille dominationis vsurpator, Pharao inquam, eosq. insequi moliebatur. [Iunxit enim, inquit, Pharao currus suos, & omnem populum suum assumpsit secum, & accepit sexcentos currus electos, & omnem equitatum AEgyptiorum, & duces super omnes.] & post alia rursus, [Respicientes autem filij Israel oculis vident, & ecce AEgyptij castrametati erant post ipsos; & timuerunt valde, & clamauerūt filij Israel ad Dominum, & insurgebant in Moysen, palam dicentes, Quia non erant sepulchra in AEgypto, eduxisti nos, vt interficeres in deserto? cur hoc fecisti nobis educēs nos ex AEgypto?] Ad hæc vero Moyses, [Bono animo estote, inquit, state & videte salutem, quæ a Domino erit, quā faciet vobis hodie; non adijcietis vltra videre ipsos in sæculū. Dominus pugnabit pro nobis, & vos tacebitis. Dixit autē Dominus ad Moysen, Cur clamas ad me? Loquere filijs Israel, & proficiscantur; & tu eleua virgam tuam, & extende manū tuam ad mare, & scca illud, & ingrediantur filij Israel in medium maris per siccum.] Atque auxilij modum perspicuum fecit Deus, [Sustulit se, inquit, Angelus Domini, qui præcedebat castra filiorum Israel, & profectus est retrorsum; sustulit etiam se columna nubis a facie eorum, & stetit post eos, & ingressa est inter castra AEgyptiorum & inter castra Israel, & stetit, & facta est caligo & tenebræ, & præteriit nox, & non commisti sunt inuicem tota nocte.] Atque hæc quidem gestæ rei narratio contexit. Operæpretium autem existimo rursus subtiliorem horum verborum sen-

Marginal notes: Coloss.8. (beside "volutari mala"); Psalm.46. (beside "pimus"); Psal.74. (beside "de sanctis Apostolis"); Exo.13. (beside "de caussa"), B; Rom.13. (beside "aduentu fuit"); C (beside "enim ignis pœnæ"); Exo.14. (beside "nis vsurpator"); D (beside "tis vltra").

A rum sensum inspicere, acrioremque mentis aciem his litteris adiicere. PALLAD. Ita prorsus censeo. CYRILL. Proficiscuntur igitur filij Israel ad terram sanctam properantes, tamquam in columna ignis ac nubis Deo præeunte atque ducente: neque enim vllo modo licet ad supernam illam, sanctamq. ciuitatem peruenire, nisi Christo duce, qui salutis iter perspicuum reddat; in eos tamen, qui id facere statuerunt, fremunt dentibus hostes, qui in hoc mundo versantur. Lex contra ad fortiter audendum hortatur, atque confirmat metu perculsos, ac fore, vt aduersariorum cohors cadat, manifeste admodum declarat: nam ex eo quod AEgyptij e medio sublati sunt, hoc proculdubio significatur; eos autem, qui imminente malo terrebantur, tamquam in figura rursus sancti baptismatis saluos fecit Deus. [Loquere enim, ait, filiis Israel, & proficiscantur: & tu tolle virgam tuam, & extende manum tuam super mare, & sicca illud; & ingrediantur filij Israel in medium maris.] Quid? nonne diuinus B ille Paulus de filijs Israel scribit, omnes in Moysen baptizatos fuisse in nube & in mari? PALLAD. Fateor. CYRILL. Opus igitur est, qui sequi Christum cupiunt, & ad supernam illam ciuitatem properant, eos non in Lege consistere, neque mandatis, quæ per Moysen data sunt, firmiter inhærere, & in vmbris figurisq. versari; sed proficisci, & alio transire, ad sanctum nempe baptisma: id enim fecere illi homines, qui olim ex Dei præcepto per vndas medias ingressi sunt, &, vt Paulus ait, in mari baptizabantur; tum enim denique ipsum Dei & hominum mediatorem Christum Iesum adiutorē habebunt; Verbum enim cum esset Deus, caro factum est; qui idem alia quoque ratione mediator est, gubernandi nempe ratione, vt qui medius incedere soleat inter cultores suos, & eorum insectatores, nec congredi eos inter se permittat, & hostes ab incursione prohibeat. [Sustulit enim se, inquit, Angelus Dei, & columna nubis, & ingressa est inter castra AEgyptiorum, & inter castra Israel: & C non commisti sunt inter se tota nocte.] In Angelo autem denuo, atque in columna nubis Christus significatur: vocatur enim nomen eius, [Magni consilij angelus.] PALLAD. Ergo, dum Christus est medius interiectus, non conseremus manus cum iis, qui oppugnare nos cupiunt. CYRILL. Ita res est; recte intelligis: illud tamen dicam, neque a mea sententia, vt opinor, is aberrabit qui dixerit, nos, si nuper a voluptuosa, mundanaq. vita discedere decreuerimus, ac sequi quam maximo studio Dei leges constituerimus, nondum tamen fuerimus sancti baptismatis gratiam consecuti, nequaquam satis fortes aut paratos certe ad molestias tolerandas fore, & subeundos pro virtute labores, atque ad bellorum pericula perferenda. Quemadmodum enim teneræ arbusculæ, feruentissimis licet solis radiis percussæ, declinant periculum; si ventorum tamen violentiore impetu quatiantur, non mediocriter læduntur; ideoq. prorsus opus habent nonnullis ex arte adiumentis, atque amictu, quo circun- D tegantur: sic, opinor, etiam hominis anima, quæ nuper e seruitute vitiorum emerserit, ad melioremq. frugem transierit, ac Dei legem sequi voluerit, delicata adhuc, & mollior cum sit, vbi sudorem viderit, laboremq. pugnæ, metu perterrita, facile terga vertet, optabileq. ducet ea repetere, in quibus antea versabatur. Itaque Israelitæ, cum AEgyptiorum apparatum vidissent, atque ad pugnæ conspectum dumtaxat animos abiecissent, insurgebant dicentes Moysi, [Nonne hoc erat verbum, quod locuti sumus ad te in AEgypto dicentes, Dimitte nos, vt seruiamus AEgyptiis; melius enim erat nos seruire AEgyptiis, quam mori in deserto hoc.] imbellis ergo ad pugnam atque ad metuendū procliuis, & eiusmodi, quæ admodum facile deterreri possit, anima hominis est ante sacrum baptisma: at, si iam facta eius gratiæ compos, illam ex alto virtutem

1. Cor. 10. *Esa. 9.* *Exo. 14.*

induta fuerit, tum vero fortissime obsistet persequi cupientibus, ac strenue pugnabit, facillime quoque impetum hostium retundet, Christo tum duce, tum propugnatore. Neque enim aliter quam hac vna ratione superiores erimus. A
PALLAD. Vide igitur, quibus hoc etiam exemplis confirmaturus sis; neque enim eorum copiam tibi defuturam puto. CYRILL. Quamplurimis id quidem exemplis demonstrare, perfacile est; verumtamen, primum illud erit, quod & proximum est, & ipse Moyses litteris mandauit: qui enim solo aspectu AEgyptiorum desponderant animos, postea quam Rubrum mare traiecerunt, ac sancti baptismatis figuram expleuerunt, (baptizati namque sunt
1.Cor. 10. in Moysen, vt sapientissime scribit Paulus, in nube & in mari) fortes iam ac strenuos se ad resistendum hostibus præbuerunt; non tamen sine Christo: sic enim
Exod. 17. scriptum est, [Venit autem Amalech, & oppugnabat Israel in Raphidim. Dixit autem Moyses Iosue, Elige tibi viros potentes, & egressus congredere cum Amalech cras, & ecce ego stabo in vertice collis, & virga Dei in manu mea. B
Et fecit Iosue, sicut dixit ei Moyses, & exiens congressus est cum Amalech: & Moyses & Aaron & Hur ascenderunt in verticem collis. Et factum est, quando eleuabat Moyses manus, præualebat Israel; quando autem remittebat manus, præualebat Amalech: manus autem Moysi graues erant: & accipientes lapidem, supposuerunt sub eo, & sedit super eum, & Aaron & Hur sustentabant manus eius, hinc vnus, & hinc alter: & fuerunt manus Moysi sustētatæ vsque ad occasum solis: & fugauit Iosue Amalech, & omnem populum eius in occisione gladij. Dixit autem Dominus ad Moysen, Scribe hoc ad memoriam in libro, & dabis in aures Iosue: quoniam deletione delebo memoriam Amalech de sub cælo: & ædificauit Moyses altare Domino, & vocauit nomen eius, Dominus refugium meum: quoniam in manu occulta pugnat Dominus contra Amalech a generationibus in generationes.] PALLAD. Et quisnam est huius scripturæ sensus? neque enim satis intelligo. CYRILL. Atqui, C
vt opinor, nihil difficile est inspicere volentibus; nam si cogitet quispiam præceptum esse a Moyse Iosue, quid aliud suspicari poterit, quam illud omnino, quod, cum verbum esset Deus, factum est sub lege, quod ad humanitatis habitum pertinet, ac subditum quodam modo Moysi mandatis, idque pluribus modis, nunc circuncisionem perferens eam, quæ est secundum carnem, nunc didrachma soluens; præterea cum iis, qui sub lege erant, tamquam sub lege
Matth. 5. esset, se adnumerans, & apertissime dicens, [Non veni soluere legem, sed adimplere.] Verum, & si factum est sub lege propter humanam naturam, tamen tum quoque Deus erat, saluatorque, ac redemptor vniuersi populi; nam cum ex vniuerso populo Israel, & ex omni gente viros potentes elegisset, sanctos, inquam, apostolos, & eos, qui per fidem vocati sunt, quibus recte dici
1.Pet. 2. possit. [Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis,] vna cum his congressus est cum huius mundi principe; de quo D
Ioan. 12. ait omnium dominus, ille ipse, qui omnia vincit, [Nunc iudicium est mundi, nunc princeps mundi huius eijcitur foras.] Donat etiam corona diuinus vir Ioannes præclaro illo suo suffragio eos, qui cum ipso, & per ipsum vicerunt,
1. Ioan. 2. [Scribo, inquiens, vobis iuuenes, quod fortes estis, & vicistis malignum.] An non verum est, quod dico? PALLAD. Maxime vero. CYRILL.
Exo. 17. Crastino autem die cum hoste congrediendum esse, dixit Moyses: neque enim eius temporibus Christi præclara gesta contigerunt, sed tempore consequenti ac proximo, id est, post Moysen, atque post legem perfecta sunt. Tum in collem quendam, ac verticem tumuli cuiusdam ascendit Moyses, vt inde pugnam atque ipsius Iosue in pugnando felicia gesta spectaret. Attollit enim modi e

A illa quoque Legis disciplina, vsque eo, vt possimus tamquam a longe imperatorias Christi actiones aspicere. Deinde, attollente manus Moyse, fortior erat Israel; remittente, languebat, & inualescebat Amalech: neque enim a Diabolo, neque a quouis alio hoste quamuis expugnandi cupidissimo vinci vllo modo potest non modo vniuersus Israel, sed quicunque Christo conformes esse, praeclarum duxerunt, eius opprobrium, id est, crucem illius venerandam perferendo: manus enim in aerem extentae crucis speciem non obscure describunt. Ceterum, quicunque non acceperunt crucem, ij, quod hoc auxiliatore carerent, hostium incursionibus patuerunt. Quod itaque manus extendit Moyses, crucis speciem ostendens, & Amalech debilitatus cadit; ea res, vt opinor, eos prorsus significat, qui per illam crucem venerandam Satanam vincunt, & aduersus hostes inualescunt. At cum eundem manus remittentem aspexerimus, atque Amalech rursus inualescentem, eos cogitabimus, qui, quod crucem accipere noluissent, a Diabolo superati & victi sunt, quos alloquebatur etiam
B Christus, cum diceret, [Amen amen dico vobis, nisi credideritis, quod ego sum, in peccatis vestris moriemini.] Porro graues ait esse Moysi manus, atque aegre sublatas, grauateque admodum ad praeclaram crucis speciem ostendendam extentas, illud, vt opinor, figurate significans, non satis paratum fuisse Israel ad fidem accipiendam, ac non sine cunctatione, vixque ad Christi opprobrium suscipiendum descendisse; ob eamque caussam recte beatus Paulus crucem scandalum Iudaeorum appellat. [Et accipientes, inquit, lapidem supposuerunt sub ipso, & sedit super eum: Aaron & Hur sustentabant manus eius, vnus hinc, & alter hinc.] Lapis autem pretiosus, electus, angularis, probatus, Christus est, super quo requiescentes (sessio namque requietem significat,) qui ex Israel obsequentiores ac dociliores sunt, illae, inquam, reliquiae gratiae, quae secundum electionem est, expandunt manus, id est, crucem
C suscipiunt, Christo illos confirmante, atque continente, qui per Hur atque Aaron significatur, & iudex simul & summus sacerdos intelligitur: Hur siquidem iudex integerrimus erat; Aaron autem summus sacerdos. Vnus igitur tamquam in vtroque Christus est, iudex & summus sacerdos, qui reliquias filiorum Israel factas per electionem gratiae, ad eam, quae est ex fide, salutem continebat. Hoc enim significari puto verbis illis, quae per Esaiae vocem prophetice dicta sunt, [Et nisi Dominus Sabaoth reliquisset nobis semen, vt Sodoma fuissemus, & quasi Gomorrha similes facti essemus.] Cum igitur is, qui obsistebat, Amalech inquam, cecidisset, [scribe, inquit, hoc ad memoriam in libro, & dabis in aures Iosue:] erant enim praeclara illa Christi gesta diuturnae sempiternaeque memoriae sanctorum euangelistarum scriptis commendanda. Dari quoque iussit scripta illa in aures Iosue: illorum namque sanctorum virorum monumenta, velut selecta dona quaedam, ac tamquam
D laudes & preconia Christo dicata sunt. Profligato igitur ac victo Amalech, erigit Moyses altare Deo, illique hoc nomen imponit, [Dominus refugium meum:] quod ipsum etiam Christi figuram praefert: is enim Dominus noster est factus, ac refugium, cum debellarit mundi huius principem, calcaueritque mortis imperium, ac se ipsum obtulerit pro nobis vt immaculatam hostiam in odorem suauitatis Deo ac Patri. Fuit igitur altare illud Christi figura, cui decens ac verum nomen est, [Dominus meus, refugium meum,] PALLADIVS. Assentior: optime namque sentire videris. CYRILL. Bello itaque gesto aduersus spiritualem Amalech in manu occulta, eoque victo, Christus obtinuit gentes, ligatoque forti, vt ipse inquit, eius vasa diripuit: gregem enim, qui olim sub illius ditione fuerat,

Ioan. 8.
Exod. 17.
1. Pet. 2.
Esai. 28.
Esa. 1.
Exo. 17.
Ephes. 5.
Matth. 12.

Ioan. 10. gentiles inquam, cum veteribus gregibus coniunxit, ideoque dicebat, [Et alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili: & illas oportet me adducere, & vo- A
Ephes. 2. cem meam audient, & fiet vnum ouile, & vnus pastor.] Christus autem [pax nostra est, iuxta Scripturas, qui fecit vtraque vnum, & medium parietem maceriæ soluit, & inimicitias in carne sua, legem mandatorum in decretis euacuauit,] atque in vnum nouum hominem tum eos, qui ex circuncisione, tum qui extra legem erant, conciliauit. Iam vero consideres iterum, velim, magnum hoc mysterium, quasi in vmbra & ænigmate, quod iis, quæ modo a nobis dicta
Exod. 18. sunt, illico adiunctum est. [Audiuit enim, inquit, Iethro sacerdos Madian socer Moysi omnia quæcunque fecit Dominus Israeli suo populo; eduxit enim Dominus Israel ex AEgypto. Accepit autem Iethro socer Moysi Sepphoram vxorem Moysi post dimissionem eius, & duos filios eius; nomen vni Gersam, dicens, Aduena fui in terra aliena; & nomen secundi Eliezer, dicens, Deus enim patris mei adiutor meus, & liberauit me de manu Pharaonis: & venit Iethro socer Moysi & filij & vxor ad Moysen in desertum, vbi castrametatus erat B in montem Dei. Nunciatum est autem Moysi a dicentibus, Ecce socer tuus Iethro venit ad te. Egressus est autem Moyses in occursum socero suo, & adorauit eum, & osculatus est eum, & amplexi sunt inuicem, & introduxit eum in tabernaculum, & narrauit Moyses socero suo omnia, quæcunque fecit Dominus Pharaoni & AEgyptiis propter Israel, & omnem laborem, qui accidit eis in via, & quod eruit eos Dominus de manu Pharaonis, & de manu AEgyptiorum. Obstupuit autem Iethro super omnibus bonis, quæ fecit eis Dominus, quod eruit eos Dominus de manu AEgyptiorum, & de manu Pharaonis: & dixit Iethro, Benedictus Dominus, quoniam eruit populũ suum de manu AEgyptiorum, & de manu Pharaonis: nunc cognoui, quod magnus Dominus super omnes Deos; propter hoc, quod superbe egerunt eis. Et accepit Iethro socer Moysi holocausta & victimas Deo: venit autem & Aaron, & omnes seniores C Israel ad comedendũ panem cum socero Moysi coram Deo. Et factum est post crastinum consedit Moyses ad iudicandum populum; assistebat autem omnis populus Moysi a mane vsque ad vesperum. Videns autem Iethro omnia, quæcunque faciebat populo, inquit, Quid hoc tu facis populo? cur tu sedes solus, & omnis populus astat tibi a mane vsque ad vesperam? Et dicit Moyses socero suo, Quia venit ad me populus quærere iudicium a Deo: quando enim fuerit eis controuersia, & venerint ad me, iudico inter singulos, & doceo illos mandata Dei, & legem eius. Dixit autem socer Moysi ad eum, Non recte facis verbum hoc; corruptione consumeris intolerabili & tu & omnis populus hic, qui est tecum: graue tibi verbum hoc, non poteris tu facere solus. Nunc igitur audi me, & consilium tibi dabo. Esto tu populo in iis, quæ ad Deum, & referes sermones eorum ad Deum, & testificare eis præcepta Dei, & legem eius, & ostendes eis vias, in quibus ambulent in ipsis, & opera, quæ facient. Et tu tibi prouide ab omni populo viros, inquit, potentes, & iudicabunt populum.] Et D quibusdam interiectis, iterum, [Audiuit autem, inquit, Moyses vocem soceri sui, & fecit quæcunque dixerat ipsi.] PALLAD. Perge igitur mihi rursus, & singulis seorsim distributis per partes explica. CYRILL. Nonne exterum esse fateris, & ex gentibus hominem Madianitam? neq; enim est ex Abraham stirpe progenitus: erat etiam alioqui religionis eius, quæ per orbem terrarum erat eo tempore peruulgata, sacerdos, & cultor. Venerabantur enim, vt est multorum sermone celebratum, & ipsi per se putabāt, Deum altissimum, vt etiam profecto Melchisedech; alios quoque Deos recipiebant, & in Deorum numerum vna cum illo referebant eximias creaturas, terrã dico, & cælum, solem

A solem & lunam & astra insigniora; atque eiusmodi hac in re labes & error vetus quidem vitium fuit, sed quod vsque ad nostra tempora peruenerit, atque persuaserit: sic enim adhuc quidam in Phœnice & Palæstina desipiētes sentiunt, qui, cum se ipsi religiosos appellent, viam tamen mediam religionis ingrediuntur, neque Iudæorum moribus omnino, neque gentilium addicti, inter vtrosque autem quodammodo iactati atque dissecti. Israelitas autem olim, cum ad eundem modum sentire cœpissent, Helias propheta obiurgauit his verbis: [Quousque claudicatis ambobus poplitibus? aut Baal Baal, aut Deo Deo.] 3.Reg. 18. Verisimile igitur est, Iethro quoque eiusmodi aliquam sequutum esse religionis formam: qui posteaquam cognouit, quæ a Deo profecta fuissent ad salutem Israelitis præstandam, magnificis atque admirabilibus narrationibus illectus, cum domo tota, ac genere toto ad Moysen venit. Is, cum libenter eum aspexisset, excepit, inque suum tabernaculum induxit, exposuitq. accuratius B illa diuinæ virtutis præclara gesta, admirandaq. facta, quæ vim sermonis omnem superarent. Vocatur igitur a falsa sententia ad eam, quæ ad Deum ducit, errantium turba, gentiles inquam: ac primum quidem ex eo quod nonnihil de Deo inaudierunt, deinde ipsi per se sponte quodammodo ad Dei legem, id est, ad institutionem sacrarum litterarum accurrunt. Itaque & ad primum tabernaculum properant; introducendi namque vim lex habet: deinde vetustioribus illis narrationibus persuasi, in eam denique sententiam veniunt, vt credant vnum esse ac solum Deum, illique oblationes dicari oportere. Moysi namque narratione audita, Madianites ille, [Nunc, inquit, cognoui quod magnus Dominus super omnes Deos; propterea quod superbe egerunt contra eos. Et accepit Iethro socer Moysi holocausta, & victimas Deo.] Exo. 18. Est ergo quidam elementarius magister, & ad primos aditus veræ de Deo cognitionis nos adducit Moyses, id est, illa vetustiorum litterarum sacrarum catechesis & introductio.

C PALLAD. Certum est. CYRILL. Perfectos autem reddit Christus eos, qui per Legem leuius imbuti sunt; cum autem legem dico, rursus testamentum vetus intellige. Itaque erga Iethro solis de Deo narrationibus est vsus Moyses, in eamq. iam illum sententiam traduxit, vt disertis verbis fateretur non esse alterum Deum, sed solum eum, qui vnus & natura, & vere Deus sit. Hæc autem prima est catechumenorum fides, a multorum Deorum opinione discedere, & vnum illum, vere & natura Deum amplecti. Aaron vero ipsum Iethro mensa dignatur, & ad panem edendum inuitat. [Venit enim, inquit, Aaron, & omnes seniores Israel ad comedendum panem cum socero Moysi coram Deo:] Exo. 18. perfectos enim efficit nos pane viuenti Christus, verior Aaron, & perfectos reddit non gentiles tantum, sed cum illis permistos, qui de genere Israel electi sunt, quorum figuram tenent illi seniores. Nec vero paruam significationem sanctificationis præsefert illud, quod tamquam in conspectu Dei panem manducare oporteat: D quid enim adeo sub Dei oculis, atque conspectu, quam mystica mensa & hostia, quiq. eius participes fiunt? PALLAD. Recte ais. CYRILL. Iam vero nos, qui perficimur in Christo, ad ampliorem sapientiam, quam quæ per Legis institutionem acquirebatur, peruenire, id certe nullo labore videbimus, si eius rei perspicuam imaginem acceperimus Moysen & Iethro: [Moyses namque sedebat, inquit, iudicans, astabat autem illi vniuersus populus a mane vsque ad vesperam.] Auctor autem est Iethro illius sententiæ, quam sequutus est Moyses: & cum optimam esse intelligeret, amplexus est. [Audiuit enim, inquit, Moyses vocem soceri sui, & fecit quæcunque sibi dixit.] Quid enim? qui melius consilium dare, melioremq. sententiam dicere potuerit, is non vsquequaque prudentia præstare putandus est?

PALLAD.

PALLAD. Assentior. CYRILL. Hanc vero per Christum perfectionem illa Legis institutione præstantiorem esse, longeque excellentiorem, vt quæ ad eam nos cognitionem attollat, quæ sit longe superior; id vero facile A
Philip. 3. beatissimus Paulus ostendit, qui propter eminentem scientiam Christi, vt ipse ait, eorum, quæ in lege lucra erant, libentissime iacturam facit, & stercora arbitratur, vt Christum lucrifaciat. Atque aduersus eos quidem, qui sola, quæ per Moysen tradita sunt, adhuc magna putarent; perfectionemque eam, quæ acquiritur per Christi doctrinam, repudiarent; dicebat propheta Hieremias,
Hiere. 8. [Quomodo dicetis, quod sapientes sumus nos, & lex Dei nobiscum? frustra factus est iuncus mendax scribis, confusi sunt sapientes, perterriti sunt, & capti sunt; sapientia quæ est in ipsis? quia verbum Domini reprobauerunt.] Nobis vero, qui salutare verbum non reprobauimus (libenter enim amplectimur Christi prædicationem,) factus est ipse sapientia a Deo. Iis igitur, qui sunt in
1. Cor. 1. lege, etiam prudentiæ nomine superiores sumus: & qui Legis sermonibus imbuimur, posteaquam comedimus panem in conspectu Dei, meliora tum sentire, tum loqui didicimus. Est enim auctor sententiæ Iethro, Moyses obtemperat. Nec vero absurde Iethro quidem gentilium personam sustinet, Moyses autem eorum, qui sunt ex lege. PALLAD. Recte ais. CYRILL. B
Ergo illa, quæ per Christum tribuitur, perfectio, & eius sacramentorum virtus, tum sapientes nos efficit, tum vero morte fortiores ostendit, occultum illum ac spiritualem Amalech, Satanam inquam, expugnans. Et recte admo-
Psalm. 59. dum ille Psaltes aiebat, [Quoniam in Deo faciemus virtutem; & ipse ad nihilum deducet tribulantes nos:] de nobis item, qui fidei splendore sumus or-
Psal. 88. nati, dicebat ad Deum voce conuersa, [Quoniam gloria virtutis eorum tu es, & in nomine tuo exultabunt tota die.] Exultamus enim in Christo, cum
Psal. 5. saluamur, & ipsum habemus, vt est apud Scripturas, [Scutum bonæ voluntatis:] cuius rei nobis figura esse rursus potest, atque imago perspicua, quod C
2. Reg. 24. in extremo secundo Regnorum libro scriptum est; ea verba sic habent, [Et surrexit Dauid mane, & sermo Domini factus est ad Gad prophetam, & videntem Dauid dicens, Hæc dicit Dominus, Tria ego tollo contra te, Dauid; elige vnum ex ipsis, & faciam tibi. Et venit Gad ad Dauid, & nunciauit ei dicens, Elige tibi vt fiant, vel vt veniant tibi tres anni famis super terram tuam; vel tres menses fugias tu de facie inimicorum tuorum, & ipsi persequantur te: vel vt fiat tribus diebus mors in terra tua. Nunc igitur delibera & vide, quod verbum respondeam ei, qui misit me. Et dixit Dauid ad Gad, Arcta sunt mihi vndique valde hæc tria: incidam igitur in manus Domini, quia multæ miserationes eius nimis; in manus autem hominum non incidam. Et elegit sibi Dauid mortem: erant autem dies messis tritici, & dedit Dominus mortem in Israel a mane vsque ad horam prandij: & cœpit ruina in populo, & mortui sunt de populo a Dan vsque Bersabee septuaginta millia virorum: & extendit D
Angelus Dei manum suam in Hierusalem, vt disperderet eam: & misertus est Dominus super malo: & dixit Angelo corrumpenti in populo, Sufficit nunc; remitte manum tuam: & Angelus Domini erat stans iuxta aream Orna Iebusæi: & dixit Dauid ad Dominum, cum vidisset ipse Angelū cædentem in populo, & dixit, Ecce ego sum pastor; ego peccaui: & ego pastor male feci; & isti oues quid fecerunt? fiat manus tua contra me, & contra domum patris mei. Et venit Gad ad Dauid in die illa, & dixit illi, Ascende, & constitue altare in area Orna Iebusæi. Et ascendit iuxta verbum Gad prophetæ, quemadmodum præceperat ei Dominus: & inclinauit se Orna, & vidit regem & seruos eius pertranseuntes supra ipsum; & egressus est Orna, & adorauit regem in

faciem

A faciem suã super terram,& dixit Orna,cur venit Dominus meus rex ad seruum
suum? & dixit Dauid, Vt emam a te aream, vt ædificem altare Domino;& ces-
set ruina a populo. Et dixit Orna ad Dauid,Accipiat, & faciat Dominus meus
rex, quod bonum est in oculis suis: ecce vituli in holocaustũ, & rotæ & instru-
menta boum in ligna.Omnia dedit Orna regi. Et dixit Orna ad regem, Domi-
nus Deus tuus benedicat tibi. Et dixit rex ad Ornam, Nequaquam;sed emens
emam a te pretio, & non offeram domino Deo meo holocaustum gratis:,&
emit Dauid aream & boues argento, quinquaginta siclis;& ædificauit ibi Da-
uid altare Domino; & obtulit holocausta & pacifica. Et auxit Salomon altare
postea, quia exiguum erat prius: & exaudiuit Dominus terram, & cohibita
est ruina super Israel.] PALLAD. Quisnam in his verbis sensus inesse pu-
tandus est? nam difficilis est sane huius loci contemplatio. CYRILL. Dif-
ficilis plane, ac reuera eiusmodi, vt ægre percipi possit: tamen illud dicam,
B propositæ scripturæ exteriorem quasi sensum in pauca conferens,& ad interio-
rem intelligentiam transferens. Considera igitur, Palladi, tamquam in spe-
culo, ac tenuibus imaginibus Christi mysterium, ac nostræ gubernationis ra-
tionem. PALLAD. Optime id ipse præstabis, Deo facultatem intelligen-
di suggerente. CYRILL. Audi itaque: iam enim ingrediar ad dicendum.
Diuina factum est ira, vt mors Dei populum depasceretur,atque ad horam vs-
que prandij, nemine prohibente inualesceret exterminator: cum vero iamiam
immissurus esset manum in Hierosolyma, prohibet illum Deus: conspecto au-
tem Angelo supplicauit Dauid se peccasse dicens: rectius porro esse ac iustius
pastorem ac ducem potius mortem obire quam oues, quæ nihil peccassent: ita
Deo iubente, erigit altare in area Orna, quam simul cum bobus triturantibus
emerat siclis quinquaginta: postea vero quam extruxit altare,hostias super eo
immolauit, holocaustomata inquam,& pacifica;cessauit consequenti tempore
C ruina,& illa prius grauis mors inhibita est. Adnotauit autem scriptura sacra,al
tare illud paruum ab initio fuisse,auctũ vero postea a Salomone. Vtrumne igi-
tur in his verbis quã breuissime propositi loci exteriorem sensum contineri fa-
teris? PALLAD. Fateor,sed quomodo clarior fieri possit eius loci intelle-
ctus, iam explana. CYRILL. An ignoras hominis naturam, quod inter
omnes conuenit, in mortem atque interitum, quod suum opificem ad iram
concitauisset, in ipso tamquam nostri generis initio, id est, in Adam, præci- *Genes. 3.*
pitem ruisse? qui cum diuinum ab initio mandatum contempsisset, audiuit,
[Terra es, & in terram reuerteris.] PALLAD. Vera dicis. CYRILL.
A mane igitur,hoc est, a primis huius sæculi temporibus mors depasta est eos,
qui in terra erant, vsque ad horam prandij, hoc est, vsque ad mensæ tempus;
vbi enim aduenit nobis sanctæ mensæ tempus, nimirum illius in Christo, ac
mysticæ, in qua pane vescimur illo cælitus dato, atque vitali, quæ prius terri-
D bilis erat, cuiq. difficile obsisti poterat, mors cessauit, Deo ad misericordiam
reuocato;cum vix inhibitus esset exterminator: qui cum vellet in eos quoque,
qui in Sancta ciuitate habitarent, in spirituali nempe Hierusalem, pestiferam
immittere manum, Deo ad misericordiam flexo, vix tandem cohibetur, [Re-
mitte nunc, inquit; sat est.] Sancta porro ciuitas Ecclesia est, cuius habitato-
res eos esse puto, qui pane illo viuenti perficiuntur ad sanctificationem. Huius *Psalm. 86.*
adeo augustæ & admirabilis ciuitatis etiam diuinus ille Dauid meminit di-
cens, [Gloriosa dicta sunt de te, ciuitas Dei:] habitauit enim in ea nobiscum
vna Christus, qui vita est, & vitam præstat: quamobrem a sanctificatis depel-
lit Deus exterminatorem; neque enim vincere illi amplius licet, postquam
sanctæ illius mensæ tempus aduenit, quam prandij tempus latenter significat.

Eripuit ergo nos Christus, qui in persona Dauid intelligitur: nam postea- A
quam vidit eos, qui in terra erant a morte consumi, paraclitus atque aduocatus
factus est pro nobis ad patrem; obtulit namque seipsum pro nobis, & morti
sponte subiecit, cohibuitq. exterminatorem, suum esse peccatum dicens; non
Esa. 53. quod peccatum ipse commiserit, sed quod iuxta Scripturas, [ipse peccata nostra
portat, & pro nobis dolet, & inter sceleratos reputatus est,] quamuis pec-
Galat. 3. catum non nosset, [& factus est pro nobis maledictum,] æquius autem esse ait
pastorem, quam oues, pœnas luere: nam vt bonus pastor animam suam posuit
pro ouibus. Deinde diuino admonitu beatus Dauid, vbi Angelum exterminatorem
cessantem iam, & stantem viderat (vidit enim eum prope aream, inquit,)
ibi fixo altari, holocausta & pacifica (genera autem ea sunt ex Legis præscripto,
ac modi hostiarum) obtulit Deo. Ac per aream intellige Ecclesiam, ad
quam cum peruenisset, stetit & destructa mors est; & illam prius violentam &
deuastantem omnia manum contraxit exterminator; est enim ea illius vitæ, B
quæ suapte natura vita est, hoc est, Christi domus: aream vero dicimus Ecclesiam
ex imagine quadam atque similitudine, quod in ea manipulorum spicarumq.
more colliguntur, qui a sæculari vita sanctorum messorum, hoc est, Apostolorum,
Euangelistarumq. prædicatione demetuntur, vt in illas superas aulas
comportentur, & tamquam in Dominicum horreum, in cælestem illam Hierusalem
veluti purgatum iam triticum inferantur, depositis inutilibus & superua
cuis non modo actionibus, sed etiam animi sensibus, qui velut in imagine quadam
palearum intelliguntur. Dictum est autem a Christo sanctis Apostolis,
Ioan. 4. [Nonne vos dicitis, quod adhuc quatuor menses sunt, & messis venit? ecce dico
vobis, Leuate oculos vestros, & videte regiones, quoniam albæ sunt iam
ad messem: & qui metit, mercedem accipit, & congregat fructum in vitam æter
Matth. 9. nam:] & iterum, [Messis quidem multa, operarij autem pauci; rogate ergo dominum
messis, vt mittat operarios in messem suam:] messem, opinor, spiritua- C
lem, eorum qui credituri erant, multitudinem appellauit: sanctos vero mes-
Heb. 4. sores eos dixit, qui diuinum verbum in mente ac lingua habent, [quod viuum
est, & efficax, & penetrabilius omni gladio ancipiti, & pertingit vsque ad
diuisionem animæ ac spiritus, compagum quoq; ac medullarum.] Areæ porro
nomine, beatus quoque Baptista significauit Ecclesiam, cum de Christo sic
Luc. 3. dixit, [Ego quidem aqua baptizo vos; venit autem fortior me, cuius non sum
dignus soluere corrigiam calceamentorum: ipse vos baptizabit in Spiritusancto
& igni: cuius ventilabrum in manu sua, & mundabit aream suam, & congregabit
triticum suum in horreum, paleas autem comburet igni inextinguibili.]
Hanc igitur spiritualem aream, Ecclesiam inquam, emit Christus quinquaginta
siclis, hoc est, non exiguo pretio; se ipsum namque dedit pro ea; in
Heb. 6. eaque fixit altare: cumque idem esset sacerdos, (factus namque est pontifex
summus) idem victima, se ipsum obtulit tamquam in specie ac figura vituli tri- D
turantis, & factus est holocaustum & hostia pacifica: sublatus est enim ille medius
paries per Christum, & qui olim disiuncti, ac segregati eramus peccati cul
pa, per ipsum, & in ipso cum Deo & Patre coniungimur, antiquis illis inimici-
Ephes. 2. tiis extinctis: [ipse est enim pax nostra,] vt Scripturæ testantur. PALLAD.
Vitulum igitur triturantem intellecturi sumus Christum? quonam id modo tan
dem? CYRILL. An vero, Palladi, non vitulorum triturantium nomine
Deut. 25. lex Moysi discipulos sanctos appellauit? sic enim per ænigma dixit, [Non alligabis
os boui trituranti:] quod ipsum cum euidentissime intellexisset beatus
1. Cor. 9. Paulus, ait, [Nunquid de bobus cura est Deo? an propter nos vtique dicit? propter
nos enim scriptum est, Quoniam debet in spe arans arare, & triturans in
spe par-

A ſpe participandi.] Vituli itaque ad imaginem illius primi, id eſt, Chriſti, ſancti quoque diſcipuli ſunt. Alia etiam ratione vitulus triturans eſt Chriſtus: per ipſum nãque purgatio fit, & ſuperuacaneorum operum, diſtractionum inquam, & mundanorum carnaliumq. ſenſuum depoſitio, quæ ſunt vt paleæ quoque flammarum alimenta. Excitato autem altari, ſuper quod & pacifica victima, & holocauſtum imponeretur, ſublatum eſt præſens illud malum: exaudiuit namque Dominus terram, & cohibita eſt ruina. Nam poſteaquam ſeipſum pro nobis ſacrificauit Chriſtus, abolita mors eſt, ſublatus interitus, cum Deus omnipotens paratas iam quodammodo omnium hominum precibus aures præbeat: [adhuc te loquente, inquit, dicam, Quid eſt?] Quod autem dictum eſt, altare paruum quidem ab initio fuiſſe, ſed auctum eſſe poſtea, futuram ſuis temporibus progreſſionem Euangelij, & ſanctarum Eccleſiarũ ab initio anguſtias, earundem conſequenti tempore amplitudinem ſignificat: dilatantur e- *Eſai. 65.*
B nim quodãmodo indies altaria, cum ſemper aliæ Eccleſiæ prioribus adiiciũtur, atq; in immenſam multitudinem excreſcunt populi, qui per Chriſti ſacrificium redempti ſunt, quibuſque ille idem ſacerdos eſt & hoſtia ſancta, & vt vitulus purgans, & vt altare ſanctificans, & vt in areæ ſpecie Eccleſiæ dominus. PALLAD. Manifeſta ſane & euidens expoſitio: nam artificioſe compoſita eſt. CYRILL. Quid enim nonne tu ipſe quoque nihil cunctatus confitebere Chriſtum eſſe omnium vitam atque redemptionem? PALLAD. Fateor equidem; ſic enim ſentio. CYRILL. Vnus enim pro omnibus mortuus eſt, qui pro vniuerſis iuſtum pretium erat; & animam ſuam permutationem pro noſtra dedit: quo facto, Diaboli peruerſitatem compeſcuit, ac modo quodam peccati, quod nobis dominabatur, criminarionem, & illam in omnium hominum culpis accuſandis effrenem linguam cohibuit. PALLAD. Quomodo? CYRILL. Nam, quia regnauit peccatum ſuper omnes, qui in terris ver-
C ſantur, cum maxime proni ſint ad mala ab adoleſcentia, vt ſcriptum eſt, & omnium corda diligenter incũbant ad perficiendi voluntatem, neceſſario mortis pœnam incurrimus: legis namque diuinæ violationi, Dominicæque voluntatis contemptui pœna conſtituta eſt mors. Sed corruptam hominis naturam auctor ipſe miſeratus eſt; itaque ille vnigenitus factus eſt homo, corpuſque natura morti obnoxium geſtauit, & caro factus eſt, vt, morte tolerata, quæ peccati culpa nobis iam imminebat, deſtrueret peccatum, ac demum Satanæ criminationibus finem imponeret: quippe cum in ipſo Chriſto, peccatorum, de quibus accuſabamur, pœnas exoluerimus; [tollit enim peccata noſtra, & pro nobis dolet,] iuxta prophetæ vocẽ. An vero nos liuore eius ſanati non ſumus? PALLAD. Verũ dicis: [vulneratus eſt enim propter peccata noſtra, & fuit in afflictione & in plaga.] CYRILL. Sublatũ igitur eſt de medio peccatum, poſteaquam pro nobis paſſus eſt Chriſtus, neque poſthac, opinor, violenter *Geneſ. 8.* *Eſa. 53.*
D aduerſus eos, qui per Chriſtum ſanctificati ſunt, vociferabitur: idque perſpicuum nobis faciet propheta Zaccharias velut per viſionem dicens, [Et exiuit Angelus, qui loquebatur in me, & dixit ad me, Reſpice oculis tuis, & vide hoc, quod procedit: & dixi, Quid illud eſt? & dixit, Hæc eſt menſura quæ procedit: & dixit, Hæc eſt iniquitas eorum in vniuerſa terra. Et ecce talentum plumbi eleuatum, & ecce vna mulier ſedebat in medio menſuræ, & proiecit lapidem plumbi in os eius: & leuaui oculos meos, & vidi, & ecce duæ mulieres procedentes, & ſpiritus in alis earum, & hæ habebant vt alas vpupæ, & ſuſtulerunt menſuram inter terram & cælum: & dixi ad Angelum, qui loquebatur in me, Quo hæ ferunt menſuram? & dixit ad me, Vt ædificent ei domum in terra Babylonis, & præparent, & collocent illam ibi in præparatione eius.] *Zacch. 5.*

Viſne

Visne vt rursus de singulis disseramus;&,quantum nobis licet, consideremus? A
PALLAD. Maxime vero. CYRILL. Mensuram quādam, quæ ab Hierusalem exibat, vidit Propheta, rogantique quid illud esset, respondit Angelus, [Hæc est iniquitas ipsorū in vniuersa terra] quod perinde est, ac si dixisset, Hac mensura omnia appenduntur peccata, quæcunque per vniuersam terram singulis quibusque temporibus perpetrantur: vbi enim nostra peccata vsque ad manifestam peruenerint magnitudinem, tum vero offensus pœnas a nobis repetit ipse legum conditor: frequenter autem insita quadam benignitate tolerat, peccantesque sustinet; neque, antequam sit modus completus, vniuersam effundit iram, itaque dixit Abrahæ, [Nondum enim impleta sunt peccata Amorrhæorum vsque adhuc.] Pharisæis autem, qui effrenate illum offendissent, dixit Christus, [Et vos implete mensuram patrum vestrorum.] Procedente igitur mensura, talentum plumbi attollitur, iniiciturque in medium mulier, quæ mensuram impleret, quæ etiam ore, plumbi lapidem excepit: deinde inquit diuinus ille Angelus, [Hæc est iniquitas.] PALLAD. B
Non est adhuc satis perspicuus hic Scripturæ locus. CYRILL. Sed erit profecto, atque haud ita multo post: nam plumbi talentum ipse Christus est, opinor, qui attollitur quidem, id est, exaltatur per crucem, ac dignitate diuinitatis spectatur insignis: [Deus enim illum super omnia exaltauit, & largitus est illi nomen, quod est super omne nomen.] Obstruit autem os iniquitatis, iuxta illud, quod in psalmis canitur, [Et omnis iniquitas oppilabit os suum;] quod ea prohibeatur aduersus eos clamare, qui ex infirmitate peccauerint, & fide iustificati sint; [Deus enim est ille, qui iustificat, quis est, qui condemnet?] Itaque cum Christus passus sit pro nobis, quomodo consequens esset etiam a nobis ipsis repeti nostrorum peccatorum pœnas? PALLADIVS. Rectissime dictum; iustificati namque sumus in Christo, atque clamorem aduersum nos, criminationemque Peccati C
repulimus. Iucundissimum vero feceris, si docueris, quam ob caussam plumbi figura significetur Christus; mulieris autem persona indicetur iniquitas. CYRILL. Atqui haud difficile est id e sacris litteris perspicere; multis enim aliarum quoque rerum imaginibus Christus adumbratur, cum e significatarum qualitate rerum, proprietates quæ in illo sunt, intelligantur. PALLAD. Id vero quale est, quod ais? CYRILL. Factus est nobis basis quædam & firmitas, & immobilis gradus, & solidum fundamentum: ea de caussa appellatus est lapis. [Ecce enim, inquit, pono in fundamenta Sion lapidem electum, angularem, pretiosum: & qui credit in ipsum, non confundetur.] Est rursus idem præclarus atque admirabilis Ecclesiæ thesaurus, diuitiæ illæ nostræ spirituales; itaque margarita est appellatus; [Simile enim est, inquit, regnum cælorum negociatori quærenti bonas margaritas; inuenta autem vna pretiosa margarita, abiens vendidit vniuersa, quæ D
habuit, & emit eam.] Coniunxit etiam nos per se Deo & Patri, solutis inimicitiis in corpore suo, vt scriptum est; ideoque ad Patrem, qui in cælis est, ac Deum de iis, qui iustificati erant per fidem, qua in ipsum credebant, dixit, [Pater, volo vt, sicut ego & tu vnum sumus, sic ipsi quoque in nobis vnum sint.] Hac ratione vocatus est lapis stamneus: quod stamno conglutinantur quæ conglutinanda sunt: dixit autem profecto Deus per os Zacchariæ, cum filium suum nobis demonstraret aliquando venturum, atque affuturum, [Et lætabuntur, & videbunt lapidem stamneum in manu Zorobabel.] Ad eundem modum igitur hoc quoque loco plumbi talentum eundem vocat: quæ autem huius rei sit ratio, rursus dicam. Argentum improbum simul cum plumbo si excoqua-

Marginal notes: Genes. 15. · Matth. 23. · Philip. 2. · Psal. 106. · Rom. 8. · Esai. 28. · Matth. 13. · Ephes. 2. · Ioan. 17. · Zacch. 4.

A excoquatur, optime purgatur: rapit enim plumbum ad se naturæ vi simul excocti metalli sordes: non dissimile fuit illud, quod Christus erga nos ipsos impleuit: nobis enim, cum improbi essemus, non corporaliter modo, sed spiritualiter admistus est; ita denique sordes excoxit eas, quæ nobis inerant: is enim tollit peccata nostra, vt nos propter ipsum, & per ipsum puri ac splendidi simus. Et certe propheta Hieremias de Iudæorum populis, qui purgationem repudiarent eam, quæ per Christum perficitur, conqueritur dicens, [Defecit sufflatorium ab igne, defecit plumbum, frustra argentarius conflat, nequitiæ eorum non sunt excoctæ: argentum reprobatum vocate illos, quia reprobauit illos Dominus.]. Intelligis igitur non ignorasse scripturam diuinam, purgationem argenti sine plumbo fieri non posse. Ergo, quia nos, cum reprobi essemus, a Christo purgati sumus, ideo ille per plumbum figuratur. Idemque obstruit os iniquitatis, quæ specie mulieris indica- *Hiere. 6.*
B tur: est autem mulier infirmitatis simul & voluptatis nota: iniquitas porro omnis per hæc duo committitur; vbi enim prius mens voluptate aliqua, quam ex hac aut illa re perceperit, corrupta fuerit, tum eneruata labores remittit illos, qui ad virtutem ferunt, & ad peccatum labitur humanus animus: itaque voluptatis potius amatores quam Dei quidam dicuntur. Alloquitur etiam propheta eos, qui ex infirmitate animi peccati ac vitiosæ dissolutionis morbo languebant, [Confortamini, manus remissæ, & genua dissoluta.] PALLAD. Sed de hoc satis. Illud vero mulierum par, quæso, quæ mensuram atque iniquitatem in Babyloniam regionem deferunt, quid sibi vult? quidve significat? CYRILL. Obstructum est, Palladi, per Christum os iniquitatis; iustificati namque in illo sumus, atque ab omni criminatione liberati; illaque iniquitatis aduersum nos accusatio conquieuit; hunc enim totius dispensationis suæ finem propositum habuit is, qui pro- *2.Timo.3.* *Esa. 35.*
C pter nos, secundum nos, & pro nobis mortem subiit, etsi denuo reuixit; neque enim fas erat, vt vita morti succumberet. Sed nonnulli non crediderunt Christi Euangelio; ideoque, cum a peccato redimi noluerint, nil mirum, si eius peccati sarcinam denuo ferunt, quam suis ipsi ceruicibus, infirmitate rationis, & languore mentis, & mollitie animi parum virilis imposuerunt. Hi omni spiritu improbo circumferuntur, & ad omne genus impuritatis vehementissime compulsi, summum studium rebus vitiosis impendunt. Studij porro insigne sunt pennæ, quas etiam esse ait vpupæ: genus est autem id auiculæ, quæ semper circa lutum pessime olens volat, atque ex cœno & sordibus pastum petit. Igitur quicunque sua studia in impuritatem insumunt, hi proculdubio pennas vpupæ iure optimo habere dicendi sunt: muliebri iidem specie sunt & effeminati: denique eadem forma sunt, qua esse dicitur iniquitas eorum domina: vt enim conformes Christo per sanctificationem fiunt,
D qui sub ipso, & cum ipso sunt, sic iniquitati conformes ac similes sunt, qui iniquitatis sarcinam sustulerunt, institueruntque vitam cum vitiorum impuritate traducere. In Babyloniam porro regionem mensuram deferunt, ibique domum ei quærunt: quæ res, ni fallor, hoc figurate significat, qui ea bona respuerit, quæ per Christum parta nobis sunt; adamaueritque obstructionem, quæ ex peccato est, in eo quod studium omne in impuritate collocatum habet, fore vt is exeat ex ciuitate sancta Hierusalem, hoc est, e sancta illa parente primogenitorum, superaque ac pulcherrima ciuitate, ac pondere pæne non ferendo presfus, vna cum Babyloniis habitet, id est, partem ac sortem cum impiis idolorum cultoribus habeat: qui enim Christi redemptionem contemnunt, ij ab impiis non differunt. Itaque Saluator, [Si peccauerit, in- *Matth. 18.*

quit, frater tuus, vade, argue illum inter te, & ipsum solum; si te audierit, A lucratus eris fratrem tuum; si autem non audierit, adhibe tecum vnum vel duos, vt in ore duorum vel trium testium stet omne verbum; si autem neque hos audierit, dic Ecclesiæ; si autem etiam Ecclesiam contempserit, sit tibi tamquam ethnicus & publicanus.] Est igitur minime obscurum, atque adeo totius diuinæ scripturæ testimonio confirmatum, omnem iustificationem aut redemptionem esse in Christo. PALLAD. Recte dixisti.

FINIS LIBRI TERTII.



B


SANCTI

C

D

SANCTI CYRILLI ARCHIEPISCOPI ALEXANDRIAE

DE ADORATIONE IN SPIRITV ET VERITATE



LIBER QVARTVS.

Qui ad iustificationem a Deo vocatus sit, & redemptus, ei Deum esse sequendum, cauendumq́ ne languore nequitia teneatur, atq. curandum, vt legitime potius, ac fortiter properet.

A



PERICVLOSVM quidem est, Palladi, nimium, atq; etiam, si dicere liceat, scelestum maxime, & in primis facinorosum nolle aduersus nequitiam ac peccatū fortiter gerere; sed animo indecoris voluptatibus eneruato, & ad muliebrem mollitiem deiecto, a virtutis conatu refugere, quamuis in promptu sit posse Christi ope ad quodcunque rerum laudandarum genus ascendere; ad eamque rem hortetur nos illis verbis beatissimus Pau-
B lus, [De cetero confortamini in Domino, & in potentia virtutis eius.] PALLAD. Optime dicis. In Christo namque faciemus virtutem; nec tamen, opinor, vlli contingit, vt sine labore aduersus vitia fortiter se gerat, ad eamq. rem animum erigere possit. CYRILL. Assentior. Praeclara namque ea res est, & in qua consequenda operaepretium sit, studium ponere; quae a supinis hominibus teneri non potest; facillime autem ab iis paratur, qui laborē inertiae praetulerunt: scriptum est enim, [Vir in laboribus sibi laborat, & vim facit suae perditioni.] Exiguis autem laboribus rerum eximiarum posse fieri compotem, stultum est, opinor, vel cogitare. Quid? nonne omnium rerum exoptatissimum est, animam seruare, ac pro sua quemque vita retinenda decertare? PALLAD. Maxime vero. CYRILL. Illam vero gloriae claritatem quibus athletis conuenire maxime putas, rectene & exercitatione adhibita certantibus, & qui victoriae maximam rationem habent; an iis, qui iucundissime voluptatibus diffluunt, & desidiosam vitam optimae atque praestantissimae praetulerunt?

Ephes. 6.

Prouerb. 16.

PALLAD. Quonam modo vero, aut vndenam dubium cuiquam poſſit eſſe, A
quin minime iis conueniat vincere, qui deſidia laborant; ſed eos æquius ſit vi-
ctoria potiti, qui alacriores fuerint? CYRILL. Num igitur dicemus, qui
laboribus multam ſalutem dixerint, remiſſioremq. vitam ac voluptuoſam am-
plexi ſint, hoc ipſum illis gloriæ futurum? PALLAD. Minime vero.
CYRILL. Igitur conſequens eſt, vt ij modo laudem mereantur, qui la-
bores libentiſſime ſuſcipiunt; neque ſine certamine contingat cuiquam nomi-
nis claritas. PALLAD. Ita congruere videtur. CYRILL. Recta igi-
tur, Palladi, ad res laudandas pergere oportet; ac fortitudini, quæ ad virtu-
tem tendit, magnitudinique animi illi excellenti ſtudendum eſt, quam ſcriptu-
ra diuinitus inſpirata ſolet admirari, & quæ ſanctorum virorum animis, fami-
Pſal. 30. liaris & amica eſt. Itaque vir ille admirandus Dauid, eius virtutis ſtudioſos al-
loquebatur dicens, [Viriliter agite, & confortetur cor veſtrum, omnes qui
Pſalm. 26. ſperatis in Domino.] Et tamquam hoc ipſum, & quidem præ ceteris præſti- B
tiſſet, ipſe de ſe magnifice loquitur, & ait, [Dominus illuminatio mea, & ſa-
lus mea; quem timebo? Dominus protector vitæ meæ, a quo trepidabo?] In-
numerabilia namque ſcandala nos circumſtant: vincit autem, vt opinor, nu-
merum omnem Dæmoniorum multitudo, quæ nos ad peccandum irritat: ad
hæc inſitarum in nobis cupiditatum immanitas minime vulgaris, auaritia, ia-
ctantia, inuidia non longe a cæde remota, odia quoque, & detractiones irruunt,
ceteraq. eiuſmodi vitia. Qui igitur ſunt leues, ac ſeſe facile abduci ſinunt, cum
Eſai. 51. ne ſummis quidem digitis quod aduerſus eiuſmodi vitia ſuſcipitur, certamen
attingant, nihil morati, victoriam hoſti concedunt, [betæ inſtar ſemicoctæ,]
iuxta prophetæ vocem, in terram abiecti, ac citra pugnam quodammodo ſub
nequitiæ pedibus proſtrati. At vero virtutis amatores, ac probi viri, quique
cæleſtem illam gloriam exoptant, vitæq. illius æternæ participes eſſe cupiunt,
fortiter ac ſtrenue perturbationibus irruentibus occurrunt, cum carnem mor- C
tificant, aduerſusq. motus eos, qui in ipſa, & ex ipſa ſunt, inſurgunt. Itaque
omni nequitiæ ac peccati genere ſumma arte atque induſtria depulſo, ſanctam
Ephes. 6. atque omni labe vacuam vitam exigunt: quos etiam diuinus vir Paulus allo-
quitur dicens, [State igitur ſuccincti lumbos veſtros in veritate, & induti lo-
ricam iuſtitiæ, & calceati pedes in præparationem Euangelij pacis; ad hæc om-
nia ſumentes ſcutum fidei, in quo poteritis omnia tela Nequiſſimi ignea ex-
Luc. 12. tinguere.] Armatura namque ſpiritualis ſanctos viros maxime decet, quam
nos etſi alio modo, iubet tamen expetere etiam ipſe Saluator, [Sint enim, in-
quit, lumbi veſtri præcincti, & calcei in pedibus veſtris, & lucernæ ardentes:]
præcingendi namque verbo ſignificatur accinctos, ac veluti collecta compreſ-
ſaque veſte expeditos ad mala pro virtute & Dei caritate toleranda eſſe opor-
tere: ſubligati vero pedes indicant paratos alacreſq. ad migrandū ex hoc mun-
do, vt quamprimum profecturos quocunque ire diuinum imperium iuſſerit; lu- D
cernæ denique ardentes ſignificant, non eſſe cuiquam in tenebris atque inſci-
tia viuendum, ſed in Chriſti lumine ad ea omnia, quæ laudabilia ſunt conten-
Ioan. 12. dendum. Iudæos quidem, quod eſſent parum ſana mente, id facere recuſantes,
alloquebatur Chriſtus, [Dum lucem, dicens, habetis, ambulate in luce, ne
vos tenebræ comprehendant.] Pietatis igitur amatorem alacritas ad virtutem
capeſſendam, ac fortitudo cum prudentia coniuncta clarum atque conſpicuum
reddit. PALLAD. Optime dicis. CYRILL. Non enim diſſoluta re-
miſſaq. vita gloriam conſequi licet; quinpotius, etiamſi quiſpiam labores ac
ſudores perferre ſtatuerit, vix tamen ſplendorem laudemq. inſignē adipiſcetur.
Itaq. filiis Iſrael, cū adhuc in AEgypto degerent, impoſuit quidē operum præ-
fectos

A fectos graues acerbosq. prophanus ille Pharao:at illi,quia duram illam viuendi legem, quamuis inuitis & necessitate coactis impositam, pro exercitatione habuerunt, ad tolerandi consuetudinem acquirendam; ideo beneficio potius reuera, quam vlla iniuria sunt affecti:metuebat enim Hebræos Pharao,cum illos videret in immensam multitudinem crescere;cumq. malignitate summa co naretur tantum illius gentis prouentum,atque incrementum cohibere,[Imposuit,inquit,eis præfectos operum,vt affligerent eos operibus.]Sed hoc eius con Exo.1. silium contrarios euentus habuit;nam ea ipsa, quæ inferebatur vexatio, occasio illis incrementi fuit;cum Deus eam rem sua sapientia moderaretur,& Pharaonis astutiæ gratiam suam opponeret. [Quanto namque eos humiliabãt,inquit, tanto plures fiebant,& inualescebant.] Quamuis enim tribulationes in- Exo. 1. ferat Satanas, dentibus suis in sanctorum genus fremens;& quos Deus vt proprios sibi asseruerit, in eos, semper egregios obseruans, irruat, [escæ namque Abacuc 1.
B illius electæ sunt], inquit: tamen,qui in huiuscemodi rebus impigre laborant, eo ipso,quo tentantur,se ipsis meliores fiunt,eosq. certaminum tolerantia proculdubio clariores reddit;ita vt per quæ ille molestus esse atque vexare cogitarit,per ea maxime etiam inuitus iuuet, & per quæ illos vincere putarit, per eadẽ valentiores efficiat.Cum vero vafrum illud commentũ Pharao alium quam putarat exitum habuisse videret, & in eo ipso, quod lædere se putabat, etiam iuuare, sero, ac vix tandẽ sentire cœpisset,immutat illico insidiandi rationem; accersitis namque Hebræarum obstetricibus, [cum obstetricabitis Hebræas, Exo.1. inquit,& partus tempus aduenerit,siquidem masculus fuerit,interficite illum; sin autem femina, seruate illam.Timuerunt autem obstetrices Deum,& non fecerunt, sicut præceperat eis rex AEgypti, & viuificabant masculos.] Cumq. illa aduersus Hebræorum genus impietas, cruentumq. consilium irritum cecidisset,(neque enim permisit Deus obstetrices tantum scelus committete) con-
C uertit se iam ad apertam vim atque iniuriam,neque adhuc clam vexare contentus, apertum bellum suscipit,necemq. inhumanam iis, qui nascerentur decernit. [præcepit enim, inquit,Pharao omni populo suo dicens,Omne masculum, quod natum fuerit Hebræis, proiicite in flumen;& omnẽ feminam viuificate:] neque enim de feminarum genere illi cura erat vlla; imbellis est namque sexus muliebris, nec ad prudentiam accommodatus; in vtroque autem virilis molestus est, vt qui tum sapiens sit, tum etiam ad bellum aptissimus. Iucundissimus est igitur atque gratissimus tetro illi draconi,Satanæ inquam,muliebris ille animi sensus, effeminatus & imbellis, adhæc ad sapientiam quoq. parum aptus: inimica porro & odiosa illa ad fortitudinem alacritas, & animi vis languore metuq. superior, mens item summa prudentia prædita;propterea muliebrẽ sexum viuum seruat,& in eo solo deponit cruentam illam deliberationem atque consiliũ.Stultum enim est,opinor, cum iis pugnare velle,qui ipsi per se prostra-
D ti sunt,ac sponte sic affecti,vt subiecti esse malint:suffocat autem quodam modo masculum,cum eum in tentationũ pericula coniicit.Hoc mihi videtur etiam diuinus Dauid canere, cum dicit, [Nisi quia Dominus erat in nobis,cum exur- Psal. 123. gerent homines in nos, forte viuos deglutissent nos; cum irasceretur furor eorum in nos, forsitan aqua absorbuisset nos; torrentem pertransiuit anima nostra.] PALLAD. Sic se res habet. CYRILL. Vide iam qua insidiarum arte sit vsus. Primum quidem sæuis eos laboribus diuexauit, id agens vaferrimo illo commento, vt illis vexationibus ne generis multitudo propagaretur. Sed occulta erat adhuc iniuria, neque admodum apertum Tyranni propositum; opponebatur autem illi, vt modo dixi, miserantis gratia. Itaque, quo magis affligebantur, eo magis eorum tum vires, tum numerus augeba-

tur. Inter hæc obstetrices aduersus mulieres Hebræorum armare volebat: ne hoc quidem vt valeret permittit Deus. Denique tertio quodam & vltimo insidiarum genere vniuerso suo populo imperauit, vt masculos suffocarent; cum apertam iniquitatem non diutius refugeret. Igitur cum viris fortibus bellum gerit occulte Satanas, & triplici forma componit insidias: ac pugnæ quidem initium facit, cum callidis consiliis ab animo virtutis incrementum auertit: agit enim, vt inopinatis laboribus conteratur, atque in durissimis versetur ærumnis. At vbi per hæc nil potuerit lædere, opem Deo ferente; eos, qui fide nobis cognati sunt, eiusdemque gentis incitat sæpe, atque ad simultates ac pugnam exacuere nititur. Id testatur Paulus illis verbis, [Periculis in falsis fratribus, periculis ex genere.] Ceterum, si hæc vana atque irrita fuerint, Deo sanctorum propugnatore diuinum illis metũ iniiciente, vt olim obstetricibus; tum vero aperte suos satellites excitat ad sæuitiam atque cædem. At vero tum quoque nos amorem illum confidentis animi, ac fortitudinis studium retinebimus, non ignari, quod illi odio sit, id esse Deo carissimum: nos quippe aliquo numero, & sua cura dignos habet, qui languorem ac mollitiem animi superarint. PALLAD. Assentior. In promptu est autem, vt opinor, id quoque nobis ex ipsa sacra Scriptura perspicere: neque enim tibi deesse poterunt eiusmodi sententiæ. CYRILL. Igitur, Deo donante dicamus quod in eo libro habetur, cui cognomen est Numerorum; est autem is Moysi libellus, [Et locutus est, inquit, Dominus ad Moysen in deserto Sina, in tabernaculo testimonij, in vna mensis, anni secundi, postquam egressi sunt de terra AEgypti, dicens, Accipite summam omnis cognationis filiorum Israel per cognationes suas, & per domos familiarum suarum, per numerum ex nomine ipsorum per capita eorum; Omne masculinum a viginti annis & supra, omnis qui egreditur in exercitu Israel, numerate eos cum exercitu eorum; tu & Aaron numerate eos.] Qui igitur mas sit, & ad pugnam aptissimus, & ad iuuentam peruenerit, id est, ad firmitatem spiritualem, & ad mensuram ætatis plenitudinis Christi, eum in descriptionem diuinam, & in librum Dei relatum esse perspicuum esse poterit vel maxime ex his verbis: neque enim alia de caussa numeratur, vt opinor, masculus, & vigesimum annum, aut supra natus, quam vt nos quoque ipsi intelligamus reiici a Deo, atque improbari, quod imbelle sit, ac sensu minime perfecto, quorum vtrumque inesse dicimus iis, qui adhuc sane adolescentes sunt, nec dum ad iuuentutis mensuram peruenerunt: quam quidẽ mensurã diuina lex & nouit & definit; isque est annus vigesimus: in pretio autem is est, & in numero habetur, & a Deo cognoscitur per populum & genus & capita & nomen, quisquis adulta iam ætate, & masculus est. Sanctis enim Apostolis, qui eiusmodi virili ætate iam essent, & in eam peruenissent rationis mensuram, dictũ a Christo est aliquando quidem, [Nolite gaudere, quia Dæmonia subijciuntur vobis; sed potius gaudete, quia nomina vestra scripta sunt in cælo.] Aliquando rursus, [Nonne duo passeres asse veneunt? & vnus ex illis non cadet super terram sine Patre meo, qui est in cælis: vestri autem & capilli capitis numerati sunt:] in quo cum dixit numeratos esse capillos, diserte significauit, vt opinor, quam diligenti cura eos prosequeretur. In librum igitur Dei, qui adulta sunt ætate, ac mares referuntur. Ea autem census descriptio per Moysen & Aaron fiebat, vt per vtrumque, vnum intelligamus Christum, vt in Moyse legis conditorem, vt in Aaron summum sacerdotem: factus est enim noster legislator simul & sanctus & innocens summus sacerdos, eiusque mediatoris opera eorum, qui virili sunt ætate, & virtute præ cæteris conspicua, in diuinis libris describitur census. Quos alloquebatur

2.Cor. 11. Num. 1. Luc. 10. Matth. 10.

A B C D

A quebatur etiam ſapientiſſimus ille Ioannes, cum diceret, [Scribo vobis iuuenes, quia fortes eſtis, & viciſtis Malignum:] huiuſmodi autem ſunt ij, de quibus modo diximus, [Omnis maſculus a viginti annis & ſupra, omnis qui egreditur in exercitu Iſrael.] His ab eorum opifice Deo prouideri, eorumque illi curam eſſe, vt qui ſit virtutis amator, etiam per ea, quæ conſequenter ſcripta ſunt, perſpicere, Palladi, facile poteris. Ait enim iterum Moyſi & Aaron, Deus proculdubio, [Et vobiſcum erunt ſinguli per tribum vniuſcuiuſque principis, per domos familiarum erunt: & hæc nomina virorum qui ſtabunt vobiſcum:] vnaquæque enim tribus eum, qui & gloria & virtute pugnan di ceteros anteiret, ducem inſtituit ac propugnatorem, & ſententiæ principem, & rerum gerendarum auctorem: quorum figuram præferunt Angeli, qui ſelectis illis viris, & in libro vitæ deſcriptis præfecti ſunt: ſcriptum eſt namque de vnoquoque iuſto, proboque viro, [Caſtramentabitur Angelus Domini *Pſalm. 33.*
B in circuitu timentium eum, & eripiet eos.] Quod autem Angelorum auxilio, ſic Deo volente cincti ſimus, manifeſtũ vndique fieri poteſt, ac ſuperuacaneum puto in præſentem locum congerere eius rei probationes; cum præſertim volentibus id facere in promptu ſit, & quidem facillime, ſi modo ita decreuerint. PALLAD. Ergo in figura Moyſi & Aaron, per Chriſtum fieri putas deſcriptionem ac cenſum virorum fortium? CYRILL. Ita cenſeo: ad hanc namque exponendi ratiõe haud improbabili coniectura nos perducit illud, quod eſt apud Danielem. PALLAD. Quodnam illud eſt? CYRILL. Contemplatus eſt enim ille tamquam ſenili ætate Patrem, candida cæſarie comptum, veſtitu niuis inſtar candido inſignem, dixitque, [Libri aperti ſunt, & *Daniel. 7.* iudicium ſedit: & vidi, & ecce cum nubibus cæli vt filius hominis veniebat, & vſque ad antiquum dierum peruenit, & in conſpectum eius perductus eſt, & ipſi datus eſt principatus & honor & regnum.] Cum enim ille Vnigenitus in
C noſtra ſpecie factus eſt, tunc & libros aperuit Pater, & ab iis iudicandis, qui rei peccatorum erant, conquieuit: poteſtatem quoque fecit fortibus viris, qua illis liceret deſcribi, ac ſuperis illis choris annumerari, & Dei memoria contineri. Audio etiam beatum Dauid pſallentem de iis, qui in Chriſtum debacchati ſunt, [Deleantur de libro viuentium, & cum iuſtis non ſcribantur;] exciderunt enim infirmitate rationis, & a Chriſti conuerſatione præ ignauia extorres facti ſunt, cum iiſdem, benigna, clementique Dei & Patris voluntate honor delatus eſſet: vocati namque ſunt ad nuptias, negligenter autem remiſſeque ſanctis inuitatoribus reſponderunt, dicentes, vnus quidem, agrum ſe coemiſſe, alter vero vxorem duxiſſe, nec poſſe venire; audis vbique eos dicere, Non poſſum: etenim humanus animus ad mundi voluptates propenſus infirmus eſt & inualidus ad ea exequenda, quæ Dei ſunt: idem porro erit diuini cæleſtiſque conuiuij expers. PALLAD. Soli igitur adulti & fortes viri,
D & prudentia iam ornati, in Dei deſcriptione cenſentur, & in libro vitæ; quique minime eiuſmodi ſunt, omnes improbantur, an ſecus? CYRILL. Si accurate vigilanterque ad Scripturam animum intenderis, intelliges profecto quid verum ſit: deſcribitur namque non ſolum qui adultus eſt, atque annum natus vigeſimum: ſed prius poſitum eſt, Omnis maſculus. An tu parum, quid dicam, intelligis? PALLAD. Intelligo. CYRILL. Si igitur cum fortitudinis duntaxat illius, quæ in Chriſto intelligitur, & eorum, qui idonei ſunt ad munera virtutis exequenda modus exquiritur, ſuam illi deſcriptionem habituri ſunt, qui ad hanc gloriam peruenerint, quippe qui fortes iam ſint, & ad pugnam promptiſſimi, & ſenſum puerilem ſuperarint, nonne, Palladi, quiſquis noſtri ſimilis fuerit, ei quoque locus aliquis deſcriptionis & gloriæ proprius

Marginal notes: *1. Ioan. 2.* (beside line 1); *Num. 1.* (beside "ron, Deus proculdubio"); *Pſal. 68.* (beside "derunt enim"); *Luca 14.* (beside "re, Non poſſum").

proprius ac decens conueniet, qui cum gestarum rerum splendore coæquetur? A
PALLAD. Fateor. CYRILL. Neque enim in sanctorum Apostolorum numero vnquam erit, qui illorum dissimilis fuerit; minime inquam. PALLAD. Ita est. CYRILL. Neque vero illud rursus asserimus, quem gradum assecuti sunt sancti homines ij, qui multis virtutum generibus illustres admodum fuerint, ac viuendi rationem legi diuinæ maxime consentaneam coluerint, eundem gradum assecuturum eum quoque, qui minime eiusmodi fuerit; sed eam tamen gloriæ portionem habiturum, quæ suæ mensuræ respondeat, non est obscurum. PALLAD. Recte dicis. CYRILL. Igitur in eo quod credimus in Saluatorem vniuersorum ac Redemptorē, & per baptismum illam
Act. 1. cælitus ac superne datam fortitudinem consecuti sumus, [induti namque sumus virtute ex alto.] (spiritu scilicet notati atque insigniti) eatenus relati nos quoque sumus in masculorum ordinem ac numerum, & in Dei libro recensiti. Est tamen nonnulla hic quoque distinctio: primi namque quodammodo in B
hac descriptione collocati sunt, ac proxime ad Deum accedunt, qui sacratiores sunt, ac sanctiores: quamuis enim vna sit in Christum fides, non omnes tamen fideles pares sunt morum ac vitæ genere; sed alij quidem sic, alij vero
1. Cor. 7. sic, vt beatus Paulus ait. Igitur qui vitæ grauitate ceteris præstant, ideoque sunt sanctiores, primum in descriptione diuina ac Dei monumentis locum tenent: at in quibus minor est sanctitas, eo ipso quod inferiores virtute sunt, secundū proculdubio in descriptionibus locum obtinent. PALLAD. Sed qua ratione hoc item fieri perspicuum potest? CYRILL. Ab ipso nimirum ipsius Scripturæ testimonio: neque enim id temere dicimus: nam post illam enumerationem, qua masculos atque vegetioris ætatis homines recensuit, modum nobis alterum descriptionis iterum designauit ille rerum vniuersarum Deus:
Num. 3. is autem eiusmodi est, [Et locutus est Dominus ad Moysen in deserto Sinai dicens, Numera filios Leui per domos familiarum suarum, per cognationes C
suas, per populos; omne masculinum ab vno mense & supra numerate eos. Et numerauit eos Moyses & Aaron per vocem Domini, quemadmodum præcepit eis Dominus:] hac descriptione facta per populos & per domos familiarum, totam continuo summam infert, dicens, [Omnis numeratio filiorum Leui, quos numerauit Moyses & Aaron per vocem Domini per populos eorum, omne masculinum ab vno mense & supra, duo & viginti millia.] His illico adiungit & ait, [Et locutus est Dominus ad Moysen dicens, Numera omne primogenitum masculum filiorum Israel ab vno mense & supra, & accipe numerum eorum ex nomine, & accipies Leuitas mihi (ego Dominus) pro omnibus primogenitis filiorum Israel, & iumenta Leuitarum pro omnibus primogenitis iumentorum filiorum Israel. Et numerauit Moyses, quemadmodum præceperat ei Dominus, omne primogenitum in filiis Israel; & fuerunt omnia primogenita masculina secundum numerum ex nomine ab vno mense D
& supra, ex numeratione eorum, viginti duo millia, & tres & septuaginta, & ducenti. Et locutus est Dominus ad Moysen dicens, Accipe Leuitas pro omnibus primogenitis filiorum Israel, & iumenta Leuitarum pro iumentis eorum: & erunt mihi Leuitæ, (ego Dominus) & redemptiones trium & septuaginta & ducentorum, qui supersunt supra Leuitas de primogenitis filiorum Israel; & accipies quinque siclos per caput, iuxta siclum sanctum: accipies viginti obolos per siclum, & dabis argentum Aaron & filiis eius, redemptiones eorum, qui supersunt in eis.] Quam minime in promptu est, Palladi, quamque difficile, res tam tenui subtilique discrimine distinctas posse intueri? PALLAD. Recte dicis: tamen adiice animum, quæso, ad eas res exquirēdas, Christo

bonorum

A bonorum omnium datore fretus. CYRILL. Animaduerte igitur in priore descriptione non nisi masculum, & qui esset viginti annos natus, requiri, id est, qui & prudentia esset & fortitudine præditus, & viribus maxime vigeret ad ea exequenda, quæ Deus vellet: sed de hac re hactenus: satis enim, vt puto, est a nobis dictum. in his vero duabus descriptionibus omne quidem masculinum ex tribu Leui diuinis sacrisque suffragiis adsciscitur: ab altera vero multitudine, non omne masculinum promiscue, sed primogenitum: illud tamen omnibus commune est, quod ab vno mense & supra recensentur. Ac Leuiticorum quidem puerorum summa duo & viginti millia complectitur; at primogenitorum summa duo & viginti millia, tres insuper & ducentos septuaginta. Deinde iubet Deus loco primogenitorum Leuitas sibi dicari. Verum, quia popularis census numero superior esse reperiebatur, abundareque capitibus ducentis septuaginta tribus, sanxit legis conditor, vt illorum vice pretia ad B tribum Leuiticam deferrentur, vt pro illis cultus diuinos exhiberent, & sacrificia offerrent; hac veluti mercede ab illis accepta, quo nulla re diuulsi distractique, assidue religioni deseruirent. An minime fateris, his verbis breuiter comprehensum esse propositæ scripturæ sensum? PALLAD. Fateor. CYRILL. Illud igitur mihi dicendum videtur, nec mea oratio a proposita re erit aliena, quatenus congruenter, atque probabiliter dici possit: vbi enim fortitudinis simul & prudentiæ, quæ in Christo intelligitur, mentio fiebat, atque, vt in figura, quæstio erat, tum describebatur masculinus sexus, qui haud imbecilla esset corporis ætate. Sed, quia præterea opus erat illam quoque descriptionem, quæ per fidem & caritatem in Christum fit, aperte significari, simul comprehenso illo discrimine, quod in iis qui credunt perspicitur, ex quibus alij simul atque fidem acceperunt, sacris operibus, ac Dei obsequiis incumbunt, alij se non integros Deo dicant, sed diuisi sunt, ac sui partem rebus C sæcularibus tribuunt; ea de caussa iure optimo legis conditor sacrum illud hominum discrimen, quod in genere Leuitico tamquam in figura intelligitur, vt alteri anteferatur, iussit; primumque locum vt in descriptione teneat, imperauit. Hac de caussa primum Leuitici generis mentionem fecit. Sequitur autem, illique adiuncta est masculorum, ac primogenitorum recensio: etenim in pretio apud Deum est illud hominum genus, quod tamquam spirituali fortitudine præditum, & Christo, qui est Primogenitus, conforme spectatur. Itaq. beatus Paulus ad quosdam, qui claudicarent circa fidem, & in frigidas opiniones effeminati essent, scribit, [Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis.] Admittitur ergo in Dei librum, quisquis primogenitus fuerit, vt qui sit Christo conformis: masculus item & prudentia ornatus. Illud vero animaduertas velim, ab aliis quidē tribubus, vt modo dixi, non omnem masculum nullo discrimine recenseri, sed solum primogenitum: ne- *Galat. 4.*
D que enim omnes homines fide insignes sunt, & Christo conformes; sunt enim plerique infideles: sed ille describitur solum atque numeratur, qui primogenitus fuerit; propter eum, qui in nobis in multisq. fratribus Primogenitus est. *Rom. 8.* At vero in Leuitarum censu omne masculinum promiscue, nullo delectu in descriptiones refertur, & in summam colligitur: nam, quod sanctum est, id omni ex parte est Deo cognatum. Ab vno vero mense & supra describūtur: ciusq. rei quænam afferri ratio potest? ea nempe, quod illa fideliū in Christo infantia minime a Deo reiicitur; nam illa ætatis exiguitas veluti nota est illius in Christo simplicitatis ac spiritualis infantiæ. Vt enim dicebamus tamquam eorum, qui essent ad pugnam promptissimi recte atque ratione factam esse descriptionem a vigesimo anno, & supra, sic dicimus illud mensis vnius tempus, illius in Christo

Christo infantiæ signum esse perspicuum. Tale quiddam etiam beatus Paulus A
1. Cor. 14. ait, [Fratres nolite pueri effici sensibus, sed malitia paruuli estote, sensibus autem perfecti. PALLAD. Sic igitur erit nobis existimandum, participes nos futuros eorum, quæ sancti viri suo quisque periculo feliciter gesserint, in eo quod viros se præstiterint, summoq. studio curarint, vt laudem mereri possent. CYRILL. Maxime vero: quamuis enim reuera ipsi diuinis pleni sunt charismatis, laboribusq. ac sudoribus hoc donum perceperint, infinitaq. certamina percurrerint; tamen in nos quoque ex caritate Dei sua dona refundunt.
Rom. 1. Itaque beatus Paulus quosdam, qui crediderant, alloquebatur, [Desidero, enim videre vos, vt aliquod vobis impertiar charisma spirituale.] An tu cæleste munus charismaque spirituale esse negas illam reprehensione erroreque vacantem de Deo cognitionem, certissimamque de rebus præstantissimis intelligentiam? PALLAD. Immo fateor: siquidem est ea res vitæ effectrix. Etenim nosse quis natura ac reuera sit rerum omnium opifex ac Deus, quod B
item optimum iter, id vero ad perpetuam illam, æternamque vitam perducit. CYRILL. Recte ais, atque hoc nos docuit Christus ipse, cum sanctis Apo-
Matth. 10. stolis præcepit dicens: [Gratis accepistis, gratis date.] Alia quoque ratione non inutilis est ceteris hominibus ille sanctorum virorum splendor: illorum namque rebus bene gestis, nostræ infeliciter gestæ obruuntur, & cum nobiliorum virorum animi fortitudinem attendit noster ille virtutis amator Deus, infirmioribus crimina condonat. Itaque Israelitæ, cum effrenate ad contemnenda diuina mandata procliues ferrentur, nullamq. nequitiæ partem omitterent, in quam non studium impenderent, legislatoris iram aduersum se necessario commouerunt: qui cum pœnas facinorum ab iis, qui se adeo immaniter offendissent, sumere vellet, supplicationes ei detulit propheta Hieremias: quid vero
Hiere. 5. ro ad hæc Deus? [Circuite, inquit, in viis Hierusalem, & videte & intelligite, & quærite in plateis eius; &, si inueneritis virum, si fuerit qui faciat iudi- C
cium, & quærens fidem; & propitius ero ipsis, dicit Dominus.] Sodomis
Genes. 18. quoque condonaturum se pœnas ignium dixit, si quinque modo ibi essent pij atque probi homines. Ergo sanctorum virorum nobilitas maximis quoq; peccatoribus quandoque, ne statim puniantur, impetrat, cum diuinam indignationem flectat, & iram reuocet: cum iis vero, qui fidem sincere susceperunt, nec tamen ad eam animi magnitudinem peruenire potuerunt, vt labore diuinorum charismatum copiam sibi compararent, propemodum suarum rerum gestarum laudem communicant, in eo quod eos, vt fieri potest, instituunt, ad eaque omnia, quæcunque Deo placent, perducunt; atque in societatem suorum fortium factorum illos adsciscunt; & quæ ipsi vix summis laboribus pepererunt, ea in aliorum hominum animis inserunt. Fore autem, vt vna cum sanctis viris claritatem, quæ illis inest, participemus, & eorum præclare gestorum socij simus, Deo ex benignitate atque clementia nostras res infeliciter D
gestas cum illorum recte factis veluti confundente ac permiscente, idque quod inchoatum est & imperfectum, cum eo quod est perfectius, vt gratū, acceptumque fiat, conferente; id hoc quoque testimonio manifestum fieri potest. PALLAD. Ecquod illud est? CYRILL. Moabitæ ac Madianitæ, impiæ quædam erant ac barbaræ gentes; incolebant autem promissionis terram, quam erant filij Israel possessuri: cumque proximum esset iam, vicinumq. bellum, ac quamprimum essent perituri, & ad congrediendum cum Israelitarum exercitu impares, tentauerunt magicis artibus, nefariisq. studiis, quibus ipsi dediti erant, hostem propulsare: cum vero omnia molirentur, nihilq. incommodarēt hosti; (quippe cuius Deus esset propugnator, falsumq. vatem Balaam, qui, vt

A qui, vt male precaretur, conductus mercede fuerat, ad benedicendum conuertisset) vt qui ad summam consilij inopiam essent iam adducti, hanc ipsi secum rationem inierunt, non se alia via posse Israelitas lædere, nisi Deum, in quo præsidium ipsis erat constitutum, offendissent, ac nudati superno auxilio, pugnam aduersus ipsos ineundam ducerent. Itaque, cum scirent feruidum esse masculinum genus ac præceps in feminas: & aduersus eiusmodi obscenissimas voluptates non esse tutam adolescentiam, mulierculas submiserunt exornatas, quæ si ios Israel ad turpem consuetudinem pertraherent; quarum specię facillime capiebantur quicunque ad carnis vitia procliues erant; & illarum sententiam sequentes sensim a Dei cultu deducebantur, Itaque illis ad fornica-
tionis morbum apostasiæ languor accedebat: scriptum est enim, [Et initiatus Num. 25.
est populus Beelphegor.] Id ipsum prophetarum quoque voce sic dixit Deus,
[Et populus intelligens coniunctus est cum meretrice.] Hæc flagitia grauis- Osee 4.
B sime tulit, nec immerito, legislator; neque impunita Israelitis ea res fuit; illico namque eius flagitij caussa mala passi sunt non ferenda: cum qui fornicati fuissent fratris ac proximi sui quisque manu interficerentur. Præcepit autem Deus continuo, vt aduersus Madianitas bellum susciperetur, dicens ad Moy-
sen illum sacrorum interpretem, [Vlciscere vltionem filiorum Israel de Madia- Num. 31.
nitis; & ad extremum adderis ad populum tuum. Et locutus est Moyses ad populum dicens, Armate ex vobis viros, & pugnate coram Domino contra Madian, reddere vindictam Domino de Madian; mille ex tribu, & mille ex tribu ex omnibus tribubus Israel mittite ad pugnandum. Et numerauit ex millibus Israel mille ex tribu, duodecim millia armatorum in pugnam, & misit eos Moyses mille de tribu, & mille de tribu cum exercitu eorum: & Phinees filius Eleazar filij Aaron sacerdotis, & vasa sancta, & Tubæ signorum in manibus eorum: & pugnauerunt contra Madian, sicut præcepit Dominus Moysi, & oc-
C ciderunt omne masculinum, & reges Madian, occiderunt simul cum vulneratis eorum, & Eui, & Rocom, & Sur, & Vr, & Roboc, quinque reges Madian, & Balaam filium Beor occiderunt gladio simul cum vulneratis eorum: & captiuas duxerunt mulieres Madian, & sup ellectilem eorum, & pecora eorum; & opes eorum depopulati sunt, & omnes ciuitates eorum, quæ erant in habitationibus eorum, & vicos eorum combusserunt igni, & ceperunt omnem prædam & omnia spolia eorum ab homine vsque ad pecus, & duxerunt ad Moysen & ad Eleazar sacerdotem, & ad omnes filios Israel captiuitatem & spolia & supellectilem in castra, in Arabath Moab, quæ est in Iordane contra Hiericho. Et exiit Moyses & Eleazar sacerdos, & omnes principes Synagogæ in occursum eorum extra castra, & iratus est furore Moyses contra episcopos exercitus millenarios & centuriones venientes ex pugna belli, & dixit eis Moyses, Vt quid viuum cepistis omne femininum? hæ enim fuerunt filiis Israel iuxta ver-
D bum Balaam, vt apostataretis, & contemneretis verbum Domini propter Phogor: & facta est plaga in Synagoga Domini: & nunc occidite omne masculinum in omni summa, & omnem mulierem, quæ nouit lectum masculi, occidite, & omnem summam feminarum, quæ non nouit lectum masculi, viuas capite eas.] Hæc cum iussisset Deus, lecti iuuenes ad bellum gerendum conueniebant, & a singulis tribubus, qui maxime laboribus tolerandis assueti erant, & ad pugnandum aptissimi, confluebant, vt quicunque de singulis tribubus excelluissent, ij gloriæ populo vniuerso essent, & partis vnius nobilitas ad plenitudinem totam pertineret; similiter atque est a Paulo sapientissime di-
ctum, [Siue patitur vnum membrum, compatiuntur omnia membra; siue 1. Cor. 12.
glorificatur vnum membrum, congaudent omnia membra] PALLADI.

Recte

Recte intelligis. CYRILL. Contendebat igitur aduerſus Madianitas for- A
tiſſima lectiſſimorum iuuenum acies, aderatque vna Phinees ſacerdos, ade-
rant etiam vaſa ſacra ac tubæ, quæ Signorum dicebātur. Semper enim vna cum
iis, qui ſe fortiter gerunt, ſimul in armis, & ad opem ferendam præſto eſt Chri-
ſtus, magnus ille pontifex noſter: ſimul quoque Angeli certant, qui ſacris va-
ſis ſignificantur: ſancta quippe vaſa, diuiniſq. miniſteriis apta, ſunt rationa-
les illi in cælo ſpiritus: ſunt enim a Deo ad opem nobis ferendam collocati.
Adſunt etiam nihilominus Tubæ ſignorum, id eſt, diuinorum prædicatorum
ſermones, qui apertiſſime ſignificent, quemadmodum aduerſus hoſtes, id eſt,
eas, quæ nobis inſitæ ſunt, animi perturbationes, ſtrenue pugnandum ſit. Er-
go ſacerdos quidem, Phinees inquam, Chriſti figura eſt, Angelorum verò
ſacra vaſa, eorum porro, qui nobis Dei verbum prædicant, Signorum tubæ.
Ita quippe nullo labore hoſtem in Chriſto ſuperabimus, illud dicentes, quod
Pſal.43. in Pſalmis canitur, [In te inimicos noſtros ventilabimus cornu, & in nomine B
tuo ſpernemus inſurgentes in nobis:] quod ipſum Iſraelitæ fecerunt: nam,
cum vniuerſas vrbes, omnemque Madianitarum regionem hoſtiliter deua-
ſtaſſent, captiuos omnes ad Eleazarum ſacerdotem, & ad omnem congrega-
tionem filiorum Iſrael attulerunt: præclara namque ſanctorum virorum geſta
velut ſacra lectaque dona Chriſto omnium pontifici dicantur, nec populis ob-
Luc. 8. ſcura ſunt, iuxta illud, [Non eſt occultum, quod non manifeſtetur; neque
abſconditum, quod non cognoſcatur, & in apertum veniat.] Ducitur ita-
que in conſpectum ſacerdotis, totiusque populi omnis illa ex captiuitate præ-
da, figurate, atque ſapienti adminiſtratione. Ceterum Moyſes victores obiur-
gauit, quod non accurata ſatis ratione, & quæ reprehendi nullo modo poſſet,
rem confeciſſent: neque enim oportuit, inquit, viuos capere maſculos, neque
item feminas, quæ nuptias eſſent expertæ. Ac ratio quidem hiſtoriæ probabi-
lis eſt: omnino namque opus erat, vt ab ea regióne, quæ paulo poſt in eorum C
ditione futura erat, virile genus excinderetur, quod breui tempore cum in
adultam ætatem ac robur peruenisset, hoſtile eſſet illi populo futurum: mu-
liebre quoque ſimul tollendum erat, quod occaſionem ſcandali præbuiſſet; &,
ſi ſeruaretur, iterum fortaſſe eſſet præbiturum. Quod autem ad contempla-
tionem pertinet ſpiritualem, illud, niſi fallor, intelligi poſſit in hac re non
incommode ſignificari. PALLAD. Quid illud? CYRILL. Lecti illi a
tribubus milites, quamuis parta victória, culpam tamen non effugerunt: quo
ſignificatur, atque adeo manifeſte, ne ipſis quidem illis, qui ſe fortiter ge-
runt, contingere vnquam, vt omni ex parte reprehenſione vacent: etenim hoc
ipſum, quod recte feciſſe videmur, nullo modo erit reprehenſionis & culpæ ex-
pers, ſi rem diligentius exquirat, & inueſtiget Deus. Ideoque ſcriptum eſt,
Pſal.129. [Si iniquitates obſeruaueris, Domine, Domine, quis ſuſtinebit?] atque ite-
Pſal.118. rum, [Ab occultis meis munda me, & ab alienis parce ſeruo tuo: ſi mei non D
fuerint dominati, tunc immaculatus ero.] Eſt igitur quandoque in ipſis quo-
que egreglorum virorum fortibus factis iuſtæ accuſationi locus, quem legiſla-
toris prudentia perſpicit, quamuis noſtram aciem effugiat: neque enim id
deprehendimus vllo modo, iuxta illud, [Delicta quis intelligit?] Quinetiam
Eſai.64. Eſaias ait, omnem iuſtitiam noſtram eſſe quaſi pannum menſtruatæ mulieris:
nam illud omni ex parte puritatem, integritatemque ſeruare poſſe, minime
1.Cor.4. nobis contingit. Paulus quoque vir ſapientiſſimus, quamuis dixiſſet, [Nihil
mihi conſcius ſum;] addidit tamen, [Sed non in hoc iuſtificatus ſum; qui au-
tem iudicat me, Dominus eſt.] Illa porro Moyſi reprehenſio non omnes nul-
lo diſcrimine perſtringebat, ſed ſolum epiſcopos, ac duces exercitus & mil-
lenarios,

A lenarios, ac centuriones: [de potentibus enim potenter quæstio fiet,] ac summo iure cum illis maxime agi par est: [apud quem enim, inquit, multum depofuerunt, multum ab eo quærunt.] Ideoque scriptum reliquit ille Saluatoris nostri discipulus, [Nolite plures magistri fieri, fratres mei, scientes quod maius iudicium sumemus.] In episcopos igitur, & eos, qui ordinibus præsunt, communis culpa confertur. Semper enim fere principum vigilantia fit vt ij, qui parent, laudabiliter se gerant: ideoq. scriptū est populis, qui sub imperio erant, [Obedite præpositis vestris, & subiacete eis; ipsi enim vigilant, pro animabus vestris tamquam rationem reddituri.] Post necem vero mulierum ac puerorum non permittit beatus Moyses, vt milites illoti se in castra recipiant; sed vt prius lustrentur iubet, dicens, [Et vos castrametabimini extra castra septem dies: omnis qui interfecerit animam, & omnis qui tetigerit vulneratum, lustrabitur tertia die, & die septimo, vos & captiuitas vestra, & omne indumentum,

Luc. 12. Iacob. 3. Heb. 13. Num. 31.

B & omne vas pelliceum, & omne opus ex caprina pelle, & omne vas ligneum expiabitis.] Vides etiam selectorum genus, quod apud nos optimum ac præstantissimum habetur, non omnino culpa vacare; [nemo enim mundus a sorde,] vt maxime quis inter probatissimos habeatur: illa namque perfecta sanctitas in futurum sæculum reseruata est. Igitur extra castra victores considere iubet, eosque lustrari oportere inquit tertio die ac septimo. Ac tertius quidem dies, aut tertium significat tempus, quo illa per Christum purgatio facta est, post Moysi tempus, & post illud præterea quo claruit sanctorum prophetarum chorus: aut tempus resurrectionis; quo Christus reuixit, cum affixisset venerandæ cruci chirographum, quod erat aduersum nos; ac passionem, quæ peccatum sustulit, nostri caussa subiisset. Septimus vero dies tẽpus illud, quod erit in consummatione præsentis sæculi, nos admonet intelligere; cum, omni ex parte sarcina peccatorum excussa, summam iam sanctificationem assecuti, simul cum Christo esi-

Iob. 14. Coloss. 2.

C mus, & in purgatissima illa mundissimaque vita, & Dei beatitudine felicissima versabimur. PALLAD. Bene se habet oratio, vt mihi quidem videtur. CYRILL. Ad hæc mysterium, quod continuo sequitur, profecto mirabere: excipit enim illico Moysi sermonem sacerdos Eleazar, & ait ad viros exercitus, qui veniebant ex acie belli, [Nonne hæc est iustificatio legis, quam præcepit Dominus Moysi? præter aurum & argentum, & æs, & ferrum, & plumbum, & stannum, omnis res, quæ transibit in igne, ducetur per ignẽ, & purgabitur, sed aqua expiationis expiabitur: & omnia, quæ non transeunt per ignem, transibunt per aquam: & lauabitis vestimenta vestra die septima, & mundabimini, & post hæc introibitis in castra.] Illud igitur obserues, velim, Moysen prius victoribus tempus quidem, quo abluerentur, exposuisse, non etiã modum. Prædicat namque Lex tempus purgationis, quæ per Christũ facienda erat: posteriore autem loco post Moysen sacerdos loquitur; is est Eleazar: tradit enim præcepta post

D Legem Christus; ac tempus quidem purgationis strenuis fortibusque viris minime declarat, illud enim ipsum erat tempus; sed modum exponit, atq. ipsum, prope dixerim, ob oculos ponit mysterium, cum quid præcipue Lex spectaret, interpretatur: præcepit namque, vt vasa, quæcunque vim ignis pati possent, ea per ignem traducerentur; quæcunq; autem firmitatem a natura non haberent, sed imbecilla essent, & quæ facile corrumpi penitus possent, vestis verbigratia, & quicquid e pellibus lignoq. confectum esset, ea per aquam ferrentur; videlicet nomine vasorum aureorum atque argenteorum, & quæ e ceteris metallis fabricata essent, nos figurate significans, qui purgatione illa per Christum facta, mundati sumus tamquam igni, & aqua: baptizati etenim sumus in Spiritu sancto & igni. Quod igitur ea, quæ ex captiuitate collecta essent, per ignem

Matth. 3.

G & aquam

& aquam traducuntur, nostrã paulo ante factam purgationem apte significat, A
Matth. 12. quos velut opes quasdam diabolicas sibi Christus acquisiuit, cum ingressus domum fortis, vasa eius diripuit, ac fortem alligauit. Tum vero tandem ingredi licere castra victoribus, Eleazar inquit, cum septima die vestes abluissent: atque ita denique puros fore; illa enim perfecta purgatio, & immunditiæ omnis depositio in extremis erit consummationis sæculi temporibus, vt modo dixi; cum, sublato omni ex parte peccato, ad veterem illam, pristinamque
Esai. 35. pulchritudinem, hominis natura reuocabitur. [Erit enim tunc, inquit, via munda, & via sancta vocabitur, nec pertransibit per eam immundus aliquis, sed ambulabunt in ea redempti a Domino.] Hanc autem explicationem huius loci non esse a proposito alienam puto. Sed, si quis aliter intelligendum existimet, illud dicimus, cuiusque victoris vas, siue illud aureum fortasse, siue argenteum, siue etiam ex ære, aut ex alia materia confectum, per ignem transi-
1. Cor. 3. re iussit: vt enim scribit beatus Paulus, [Vniuscuiusque opus, quale sit, ignis B probabit.] Iussit etiam, vt per aquam transirent; neque enim aliter probari sanctorum virorum animas Psalmi verba nobis insinuant, nisi quibusdam simi-
Psal. 65. libus modis. Itaque Dauid psallebat, [Probasti nos, Deus, igne nos examinasti, sicut examinatur argentum; transiuimus per ignem & aquam, & eduxisti nos in refrigerium.] PALLAD. Sed, amabo te, dicent fortasse, qui studiosiores sunt, Quomodo cum Madianitis conflixerint, atque vicerint lecti illi per tribus viri, quomodo etiam maculas ex pugna contractas absterserint, abunde nobis tua demonstrauit oratio: sed iam locus est, vt probes, num reuera strenuorum virorum fortitudinis participes futuri simus, ac præclare gestorum socij, quamuis par omnino in virtute momentum minime habeamus, eorumq. animi magnitudine longe inferiores simus; id enim tua nobis oratio pollicebatur. CYRILL. Atqui proxime sequitur, & adiuncta est hac de re constituta lex, euidentissimam sane probationem habens, neque arduam ac C difficilem intelligentiam, [Et locutus est, inquit, Dominus ad Moysen, dicens, Accipe summam spoliorum captiuitatis ab homine vsque ad pecus, tu & Eleazar sacerdos, & principes familiarum congregationis: & diuidetis spolia inter bellatores egressos ad bellum, & inter omnem congregationem: & separabitis tributũ Domino ab hominibus bellatoribus egredientibus ad bellum, vnam animam à quingentis, ab hominibus & a iumentis, & a bobus, & ab ouibus, & ab asinis, & a mulis, & ab omnibus iumentis accipietis, & dabis Eleazar sacerdoti primitias Domini: & a dimidio filiorum Israel accipies, vnum de quinquaginta, ab hominibus & a bobus, & ab ouibus, & ab asinis, & ab omnibus iumentis, & dabis ea Leuitis custodientibus custodias in tabernaculo Domini. Et fecit Moyses & Eleazar sacerdos, sicut præcepit Dominus Moysi;] continuo namque quod diuino iussum erat oraculo, perficiebatur. Ergo, cum minutissima atque diligentissima facta esset numeratio spoliorum, ac me- D dia ex parte distributio; cumque essent redditæ separationes seu primitiæ Domini tum sacerdoti, Eleazaro inquam, tum Leuitis; num tibi est animus adeo memor, vt obliuionem vincat, atque ad id, quod initio dicebamus, recurrere valeat? PALLAD. Ecquod illud est? CYRILL. Num enim millenos a singulis tribubus ad bellum gerendum conuenisse, sacræ litteræ prodiderunt? PALLAD. Prodiderunt illæ quidem. CYRILL. Partis item vnius splendorem ac laudem ad vniuersam plenitudinem fore vt pertineret, an non aperte ac manifeste dicebamus? benignitate Dei atque clementia hoc quoque in nobis sapienter administrante, vt tamquam vnius odoratissimi thymiamatis, ex variis aromatibus confecti, vnus omnium odor Deo offeratur, & simul cum par-

A cum parte probatissima, laudem acquirat ea, quæ non adeo probata est? PALLAD. Ita est; id ipsum namque nostra disputatio inuestigandum susceperat. CYRILL. Vide igitur hoc idem filiis Israel Deum aperte præcipere: illi namque lecti milites milleni per singulas tribus aduersus Madianitas contendebant; cumq. victoriam proculdubio labore ac sudore adepti essent, quæ ex bello collegerant cum vniuersa statim Synagoga diuiserunt, atque præclaris illis fortium virorum factis cetera multitudo honestata est; [diuidetis enim, inquit, spolia tu, & Eleazar sacerdos, & principes familiarum Synagogæ, & diuidetis spolia inter bellatores egressos ad pugnam, & inter omnem congregationem.] Fore autem, vt cum lectissimis illustribusque viris laudem illi quoque consequantur, quibus nonnihil ad virtutem deest, & illorum animi nobilitatem a tergo sequuntur, beatus quoque Paulus latenter indicauit; nam cum enumerasset priscos illos sanctosq. viros, qui fide commendati fuissent,

B quique præstanti in Deum pietate gloriam illustrem sibi comparauissent, [ex fide, inquit, mortui sunt hi omnes, & non acceperunt repromissiones, Deo pro nobis aliquid melius prouidente, ne sine nobis consummentur.] Scribit etiam ad alios, [Iam perfecti estis, sine nobis regnastis, & vtinam regnassetis, vt & nos vna cum vobis regnaremus.] Vides eos, qui ordine sunt inferioris, simul cum perfectis perficiendos esse; cum selectis quoque viris benedicuntur, qui non æque viribus valent: psallit nempe beatus Dauid: [Benedicti vos a Domino, qui fecit cælum & terram; benedixit Dominus domui Aaron, benedixit Dominus domui Israel; benedixit Dominus iis, qui timent se, pusillis cum maioribus:] simul enim cum maioribus benedicuntur ij, qui pusilli vocantur, qui de pari fortitudine gloriari non possunt, quique sunt animi alacritate ad labores tolerandos inferiores; zelo vero & fide forsitan æquales, atque fortitudine pro suæ facultatis modo Christum exhilarant. Ac Moyses,

Heb. 11.

1. Cor. 4.

Psal. 113.

C & Eleazar non absurde figuram tenent Christi, qui idem & sacerdos est, & legislator; distribuitque populo spolia, sanctis Angelis simul astantibus, quorum figuram gerunt illi principes familiarum Synagogæ. An tu minime putas multos esse in terris sanctos Angelos a Deo constitutos ad opem ferendam fidelibus, ac populos quodammodo moderandos? PALLAD. Ego vero fateor: cur enim negem? CYRILL. Venturus e cælo expectatur Christus cum sanctis Angelis; & sedebit in sede gloriæ suæ, ac distribuet digna cuique præmia, honoresque pro recte factorum ratione rependet. Ideoque Esaias ille sapiens de Christo dicit, [Propterea ipse dominabitur multis, & fortium diuidet spolia; propterea quod tradita est in mortem anima eius, & cum impiis reputatus est.] Per Christum igitur præmiorum distributio fiet, qui tamquam per Moysen & Eleazar figuratur. Christus enim legislator est simul & pontifex. PALLAD. Optime dictum. CYRILL. Si autem animaduer-

Esai. 53.

D tatur, quæ seruata sit in distribuendo ratio, an non admiratione dignissima iudicabitur? PALLAD. Sane quidem: æqua enim parte, qui bellum gesserant, & qui resederant, donati sunt. CYRILL. Minime vero æqua, minime, inquam; licet prædæ totius partem dimidiam habuerint pugnatores, alteram vero dimidiam tota Synagoga: vniuersus namque numerus filiorum Israel summã sexcentorum millium efficiebat, additis ad tria millia quingentis quinquaginta, seiuncta ex hoc numero atque exempta summa sacris ministeriis dicatæ tribus: numerus autem erat aptissimus pugnæ non maior quam milleni per singulas tribus. Spoliis igitur in æquas portiones distributis cum vniuersæ prædæ dimidia pars vtrique multitudini contigisset, multo plura præmia pauciores habuerunt, quam alij, qui plures erant, & numero longe superio-

res. Igitur quæcunque illa est gloria, mensuraque doni cælestis, quæ suo tempore vniuerso populo dabitur, eius pars dimidia velut diligenti ratione diuisa, selectis viris, qui se diuina inspectione dignos præstiterunt, tribuetur; altera pars dimidia vniuersæ multitudini dabitur, quamuis ea multitudo numero sit A
Matth.20. longe maiore: [multi enim vocati, pauci vero electi.] An ne intelligis, quod dico? nam obscurius est aliquanto, quod diximus. PALLAD. Intelligo; nam, etsi sanctorum gloriæ fumus futuri participes, attamen pauciora, quam illi, consequemur: id enim nobis obscurius hic Scripturæ locus insinuat. CYRILL. Recte ais. Sed aduerte aliud præterea, in quo maxime virorum strenuorum in Deum fiduciam videre facile possis. PALLAD. Quid illud est? CYRILL. Illis namque duodecim pugnatorum millibus ex illa totius prædæ dimidia parte, quæ ipsis tributa fuerat, singula e quingenis capita tam ex hominibus quam ex pecoribus afferre ad Pontificem iussit; id erat illis tributi loco Domino soluendum; sed multitudinem alteram animas e quinquagenis singulas tribui sacræ vt solueret, Dominus iussit. Cum igitur in se ipso Eleazar figuram gerat illius, qui vnus est ac solus vere summus Pontifex, id est, Christi, ipsi præcipue ac vere, & quodammodo proxime ac proprie consecrata sunt electorum virorum dona: ipsi enim offerunt, non alio, qui accipiat, interposito; quod ipsum beati illi discipuli fecerunt; faciunt etiam hoc tempore populorum principes, qui suceptos in diuina prædicatione labores velut donum quoddam proprium Christo dedicant. Illa porro altera probatorum hominum multitudo, offert quidem dona in Christi gloriam, non tamen nisi per sanctos viros interpositos, qui per sacram tribum intelliguntur: dictum B
1.Pet.2. namque est, [Genus electum, regale sacerdotium.] Igitur sanctorum virorum interiectu exhibetur quidem ab offerentibus illa in Deum reuerentia ac vene-
Num.15. ratio; non tamen eiusmodi donum ab iis offertur, quod proprie ad Christi
Act.24. personam proxime pertineat, cuiusmodi illud fuit, quod efficere studebant ij, C
2.Cor.9. qui collectas sic tum appellatas conferebant, & ministeria mittebant sanctis, qui erant in Hierusalem, vel quocunque alio obsequij genere homines Christo dicatos recreabant. Ergo Christo proprie dicata sunt præstantiorum hominum dona: sed illa quoque inferiorum oblatio per sanctos veluti per mediam manum ad eundem pertinet, ac locum quodammodo secundum tenet. Præterea illi quidem ex quingentis, hi vero ex quinquaginta vnam animam offerunt: minus quippe debent illi præstantiores: ideoque minor est eorum oblatio: at vero inferiores illi longe plura debent: quo fit, vt plura quoque sint numero, quæ ab illis offeruntur; siquidem pro cuiusque offensarum ratio-
Luc. 7. ne dona quoque pro iisdem offeruntur: cui enim plus dimittitur, inquit, plus diliget; & cui minus dimittitur, minus diliget. Decem igitur partibus plura quam illi selecti offerunt ij, qui minime sunt illis virtute pares; non quod religiosiores sint, laudabiliusque viuant, sed quod multo pluribus offensis obnoxij teneantur, illisque longe maiore purgatione sit opus: vt enim ait Sal- D
Ioan.13. uator, [Qui lotus est, non indiget nisi vt pedes lauet; sed est mundus totus:] minima porro purgatione sanctis viris est opus; laborat enim eo morbo hominum natura, vt peccati expers esse omnino non possit. PALLAD. Recte ais. CYRILL. Illi igitur e tribubus lecti viri diuinis legibus obsequuti, cum tota Synagoga belli prædam partiti sunt, oblationesque Deo obtulerunt, vt Lege constitutum erat: at vero selectorum duces, vt qui gloria, quam ceteri, essent illustriores, donis quoque præstantioribus Deum venerantur. Sic enim scribit rursus, [Et accesserunt ad Moysen omnes constituti in tribunatu exercitus, millenarij, & centuriones; & dixerunt ad Moysen, Serui tui acceperunt summam virorum

A viroru bellatorum, qui apud nos sunt, & non defuit ab illis ne vnus quidem, & obtulimus donum Domino; vir, qui inuenit vas aureum, murenulam & armillam, & dextrale, & torquem, vt sit propitiatio pro nobis coram Domino. Et accepit Moyses & Eleazar sacerdos aurum ab illis, omne vas elaboratum; & fuit omne aurum, quod segregatio quam segregauerunt Domino, sex & decemmillia & septingenti quinquaginta sicli, a tribunis & a centurionibus: & viri bellatores prædati sunt quilibet sibi: & accepit Moyses & Eleazar sarcedos aurum a tribunis & a centurionibus, & intulerunt ea in Tabernaculum testimonij memoriale filiorum Israel coram Domino.] Audis quam diligenter ait recensitos esse pugnatores, ita vt nemo abfuerit, quin donum, vt Deo placuerat, afferret: se quoque constituisse inquiunt offerre Domino etiam quæ ille, vt offerrentur, minime iussisset, murenulam, inquam, & armillam, & anulum, & ornamenta cetera ex auro fabrefacta: iusserat enim legislator, vt ab B hominibus & a pecoribus dona legerent, eaque iam, vt diuino cælestique præcepto iussum fuerat, oblata erant: sed ex iis præterea, quæ ex præda præcipua habebant, voluntaria dona offerunt lectorum militum duces, præscriptumque legis terminum magnificentia vincunt. Itaq. cum accepissent ea Moyses & Aaron, intulerunt in sanctum tabernaculum, eaque recondita vt monumenta essent ante Dominum curauerunt; qui enim populis præfecti sunt, & principes constituti, illustrioribus atque insignioribus donis Deum honorant, varietatemque virtutis velut ornamentum quoddam illi offerunt, atque dicant: cumque ipsum legis modum transiliant, illustriorem laudem consequuntur. PALLAD. Id vero quale tandem est? CYRILL. Iis, qui Euangelium annunciarent, ex Euangelio viuere constituit Christus: id ipsum Legis quoque præcepto confirmare curauit Paulus, cum scripsit, nunc quidem, Qui hostiis vescuntur, socij ac participes sunt altaris, nunc vero rursus, cum id omni C prorsus vacare culpa tamquam necessariis exemplis ostendit, dicens, [Quis plantat vineam, & de fructu eius non edit? quis pascit gregem, & de lacte gregis non manducat: an secundum hominem hæc dico? numquid non etiam Lex hoc dicit? in lege namque Moysi scriptum est, Non alligabis os boui trituranti: nunquid de bobus cura est Deo? an propter nos omnino dicit? propter nos enim scriptum est; quia debet in spe, qui arat, arare; & qui triturat, in spe participandi.] His deinde dictis, intulit continuo, [Si nos vobis spiritualia seminauimus, magnum est, si nos carnalia vestra metamus? si alij potestatis vestræ participes sunt, quare non potius nos? sed non vsi sumus hac potestate; sed omnia sustinemus, ne aliquod impedimentum demus Euangelio Christi.] Deinde denuo confirmat, [Quæ igitur est merces mea? vt Euangelium prædicans, sine sumptu ponam Euangelium.] Vides igitur quemadmodum supra, quam Christus, ac prisca lex constituerit, quamuis facultatē haberet ex Euan- D gelio viuendi, sine sumptu tamen ponat Euangelium; idque factum veluti voluntarium quoddam donum illi consecret? De vxore quoque non ducenda, neque vetus lex aliquid nobis, neque recens Euangelij prædicatio sanxit: itaque Paulus ait, [De virginibus autem præceptum Domini non habeo.] At, qui admodum strenui sunt ad studium pietatis, carnem conficiunt atque mortificant: itaque tamquam præclarum Christo donum continentiam, quæ vltra Legem est, & vitam ex verbo & opere præclare compositam, velut ornamentum artificiose elaboratum offerunt. Intulerunt autem Moyses & Aaron in sanctum tabernaculum, quæ oblata fuerant: nam fortium virorum facta Christo grata sunt, & præterea tamquam Ecclesiæ opes, ac præclara ornamenta, per quæ illi consequuntur, vt diuturnæ, immo vero sempiternæ memoriæ consecrentur;

1. Cor. 9.

Deut. 25.

1. Cor. 7.

taleſque ſe præſtant, vt inſpectione diuina digni habeantur: nam, quod dictum eſt, in conſpectu Domini poſita eſſe dona, huiuſmodi quiddam ſignificat. Magnum vero & eximium eſt, in oculis Dei quodammodo poſitum eſſe: nam eos plurimi ille facit, quos aſpectu ſuo dignatur. PALLAD. Multis igitur verbis id nobis ſignificare videtur, ita perſuaſum nobis eſſe debere, itaque ſentiendum, hoc ipſum, Dona offerre Deo, non alijs magis conuenire, quam qui ſe ſtrenue ac fortiter gerant, & ſæpe ex recte factis laudem ſibi pepererint. CYRILL. Euge, Palladi; recte namque exiſtimas, & non modo ipſa res ita ſe habet, ſed etiam ſcripturæ ſacræ teſtimonio confirmatur. Cum enim filiis Iſrael adhuc in eremo commorantibus, ſacrum illud tabernaculum erigere vellet Deus, quod Eccleſiæ ex gentibus collectæ figuram & imaginem gereret, iuſſit, vt, quæ in eam rem opus eſſent, congregarentur: A

Exo. 30. Itaque ſic ſacrorum interpretem Moyſen eſt allocutus. [Si acceperis ſummam filiorum Iſrael, in recenſione eorum dabunt vnuſquiſque pretia redemptionis animæ ſuæ Domino, & non erit in eis caſus in recenſione eorum; & hoc erit, quod dabunt, quicunque tranſeunt ad inſpectionem, mediam partem ſicli, qui eſt iuxta ſiclum ſanctum, (viginti obolos habet ſiclus) dimidium autem ſicli tributum Domino: omnis, qui tranſit in inſpectionem a viginti annis & ſupra, dabunt tributum Domino: diues non adiiciet, & pauper non minuet a dimidio ſicli, cum datur tributum Domino ad propitiandum pro animabus veſtris: & accipies argentum tributi a filiis Iſrael, & dabis illud ad opus Tabernaculi teſtimonij; & erit filiis Iſrael monnmentum coram Domino, vt propitietur pro animabus veſtris.] Ecce iterum diligentem recenſionem confici oportere legiſlator ait, conferreque iuſſit dona Domino dimidium ſicli. Qui autem ſint, qui offerre debeant, aperte definit: neque enim mulieribus id facere, neque adhuc pueris permiſit Deus: in quo, niſi fallor, improbauit imbelles ac molles, & qui prudentia minus perfecta ſunt: aſcripſitque in offerentium numerum adultum iam & vigentem iuuenem, & qui ad inſpectionem tranſiret; quibus ætatis annum præſcribit vigeſimum: ſoli enim digni ſunt offerre dona Domino iuxta legis præſcriptum, qui puerilem ſenſum, atque muliebrem animum tranſiliunt, iamque ad virilem menſuram peruenerunt, cum ætate, quæ in Chriſto intelligitur, & ſpiritualis eſt, plena ſint, & integra: hi tranſeunt ad inſpectionē, id eſt, ſe dignos præbent qui in oculis Dei verſentur, B C

Pſalm. 33. vt in Pſalmis canitur, [Oculi Domini ſuper iuſtos.] Ea porro redemptionis pretia pro ſalute offerentium, & ad ſancti tabernaculi opera, & in monumentum coram Domino offerebantur; præclara namque ſanctorum hominum geſta eccleſias conſtituunt, & ad ornatum ſacri tabernaculi vtilia ſunt, & ſimul animæ ſalutem efficiunt; & gloriæ ſempiternæ corona viros fortes exornant. An tibi parum vere dicere videmur? PALLAD. Mihi quidem veriſſime. CYRILL. Redemptionis igitur pretium ſeu ſiclum veluti cenſum quendam exigi iuſſit Deus, idque erat eorum tributum, qui ad virilem ætatem perueniſſent. At vero principes tribuum adiecerunt ijs quæ lege præcepta erant, ac maiora quædam & pretioſiora, ex ijs nempe, quæ apud ſe habebant præcipua, D

Exod. 35. obtulerunt: ſcriptum eſt enim, [Principes obtulerunt lapides ſmaragdi, & lapides completionis ad ſuperhumerale & rationale, & compoſitiones, & oleum vnctionis, & compoſitionem thymiamatis.] An non cum ijs, quæ paulo ante dicta ſunt, hæc congruunt? nam illa multitudo pugnatorum ex præda Deo obtulit, vt præceptum erat, ab homine vſque ad pecus: tribuni autem & centuriones his adiecerunt murenulam, & armillam, & torquem, & anulum, & omne vas aureum fabrefactum, quæ etiam in ipſo ſancto

tabernaculo

A tabernaculo repoſuit ſacerdos Eleazar ; & hic rurſus, cum vniuerſa quidem
adultorum multitudo ſolueret ſiclum, offerunt principes lapides electos ad ſu-
perhumerale & rationale conficiendum, quæ ad præſtantiſſimi ſacerdotis or-
namentum pertinent. Nam ſe ipſos populorum duces,vt ornamento ſint Chri-
ſto, perinde ac lapides quoſdam pretioſos offerunt:itaque Propheta, cum ſan-
ctos Apoſtolos nobis indicaret, [Lapides, inquit, ſancti voluuntur ſuper ter- *Zacch.9.*
ram;] qualis erat beatus Paulus, qui ab Hieruſalem ad Illyricum vſque cir- *Rom.15.*
cuibat prædicandi gratia. Lapides igitur pretioſi, & ad Chriſti gloriam pa-
rati,ſanctorum virorum cœtus eſt : idem quoque ſunt oleum vnctionis,& thy-
miamatis compoſitio, cum Chriſti cognitionem velut odorem ſpirent, & eo-
rum animos, qui myſteriis imbuuntur, doctrina & Sancti ſpiritus verbis tam-
quam oleo pinguiores reddant;id vero thymiama compoſitum erat; illa nam-
que de Chriſto cognitio compoſita ex duobus eſt; idem namque Deus & ho-
B mo eſt ; vnus tamen ex vtroque filius atque Chriſtus, cui certe dictum eſt, &
quidem a nobis ipſis, [Vnguentum exinanitum nomen tuum.] PALLAD. *Cant. 1.*
In inſpectione igitur Dei ſunt, qui ad pugnandum apti ac firmi ſunt, quorum
etiam fructus eſt eccleſiarum conſtitutio, & quæ ad gloriam Dei pertinent : id
enim Scripturæ loca ad contemplandum propoſita præſeferre videntur. CY-
RILL. Recte dicis. Sortem vero inſignem atque præcipuam, & omnis boni
communicationem iis, qui ita egregie ſe gerere ſoliti ſint, a Deo tribuendam
eſſe,quomodo aut vndenam ambigere quiſpiam poterit ? An tu minime exau-
dis concinentem Dauid , [Labores manuum tuarum manducabis ?] Paulum *Pſal. 127.*
item ſapientem illum atque ſacrum virum ita ſcribentem, [Quod enim ſemi- *Galat.6.*
nauerit quis hoc & metet ?] PALLAD. Audio ſane. CYRILL. Neque
enim quiſquam ſe fortiter geret,nulla mercede propoſita;eſtque ſine dubio ve-
rax omnino, qui ait, [Neque enim iniuſtus eſt Deus, vt obliuiſcatur laboris *Heb.6.*
C veſtri, & dilectionis, quam oſtendiſtis in nomen eius :] atque ille quidem mi-
nime obliuiſcetur; fore autem, vt iis laborum præmia tribuat, qui animi lan-
guorem ad peccatum perducentem ſuperarint, argumento ſunt ea rurſus quæ
ſcripta ſunt in Numeris, [Et locutus eſt Dominus ad Moyſen & Eleazarum ſa- *Num. 26.*
cerdotem dicens ; Accipite ſummam omnis congregationis Iſrael a viginti an-
nis & ſupra, per domos familiarum ipſorum : omnis qui egreditur ad pugnan-
dum in Iſrael.] Deinde facta enumeratione per populos & tribus,infert iterum,
[Et locutus eſt Dominus ad Moyſen dicens, His diſtribuetur terra,vt eam poſſi
deant ex numero nominum : pluribus maiorem hæreditatem dabis, & paucio-
ribus minorem dabis hæreditatem ipſorum : vnicuique,ſicut recenſiti ſunt, da-
bitur hæreditas eorum : per ſortes diuidetur terra nominibus; per tribus fami-
liarum ſuarum hæreditatem conſequentur:ex ſorte diuides hæreditatem ipſo-
rum inter multos & paucos.] Atque hæc quidem lex eſt, qua ſorte poſſeſſuri
D erant hæreditatem ij, qui annum iam vigeſimum agerent. Poſt recenſionem
igitur vulgaris turbæ, genus Leuiticum numerat. [Et filij, inquit, Leui
per populos eorum:Gerſon populus Gerſonitarum, Caath populus Caathita-
rum, Merari populus Meraritarum : hi populi filiorum Leui.] Inter hæc, cum
genus Moyſi & Aaron recenſuiſſet, infert iterum de filiis Leui,[Et fuerunt ex
recenſione eorum tria & viginti millia : omne maſculinum ab vno menſe & ſu-
pra:non enim connumerati ſunt in filiis Iſrael; quia non eſt eis data ſors in me-
dio filiorum Iſrael.Et hæc numeratio Moyſis & Eleazar ſacerdotis,qui numera
uerunt filios Iſrael in Araboth Moab, in Iordane,contra Hiericho;& in his non
erat homo ex iis,qui numerati fuerãt a Moyſe & Aaron,quos numerauerunt fi
lios Iſrael in deſerto Sina:quia dixit Dominus ipſis,Morte morietur in deſerto;
& non

& non fuit relictus ex eis neque vnus, præterquam Caleb filius Iephone, & Ieſus filius Naue.] Age igitur denuo curſim, ac per partes, ſingula perſequentes, dicamus clarius ac diſtinctius. PALLAD. Eloquere itaque nihil cunctatus; nam in eiuſmodi rebus, iucundum eſt anguſta oratione vti. CYRILL. Igitur in pauca propoſitorum verborum ſenſum conferentes, illud dicimus, Adultam rurſus, & belli non ignaram ætatem numerari iubet Deus: vt enim jam prius diximus, cogniti & deſcripti ſunt apud Deum, & in librum viuentium relati, non imbelles & infirmi, neque pueri adhuc ſenſu, ſed quicunque fortes & parati ad bellum cum vitiis atque peccato gerendum, & firma ac ſtabili ſunt ſapientia, & apti iam ad ea gerenda ac perficienda, quæ Deus velit; iidem per tribus & ex nomine, & ſingulatim terram partiti ſunt: hæredes namque Terræ ſanctæ, & ſperatorum bonorum participes erunt ij, de quibus loquimur, per tribus & familias, vt in illis verbis, [Beati mites, quoniam ipſi hæreditabunt terram; beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur:] & in aliis item beatitudinibus videre licet: eiuſmodi enim hæreditas miſericordium & mitium ac pauperum ſpiritu, & eorum qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam, quaſi propria eſt. Sed tamen ſingulis quoque & per nomina corona gloriæ datur, cum Deus cuique pro recte factorum ratione honores perſoluat, gratiamq. fortibus viris, quæ deerat, admetiendo adiiciat; quamuis ea fortaſſe tamquam maiore menſura, cumulatioreq. diſtribui intelligēda ſit, [Menſuram quippe bonam, inquit, & confertam, & coagitatam, & ſupereffluentē dabunt in ſinum veſtrum:] idq. ipſum ſignificare opinor, cum dicit Deus, [Pluribus maiorem hæreditatem tribues, & paucioribus minorem hæreditatem dabis: vnicuique, vt recenſiti ſunt, dabitur hæreditas ipſorum:] etenim numerus ille nominum maior, figura eſt aperta præſtantioris excellentiorisq. virtutis; hic enim ſic, ille vero ſic laudem meretur, vt ait beatus Paulus. Sorte autem diuiditur terra, ea fortaſſe ratione, qua dictum eſt Deo, [In manibus tuis ſortes meæ:] diuino quippe arbitrio fiet futurorum bonorum firma diſtributio, cum, quid cuique tribuere oporteat, eo tempore ille definiturus ſit, cui omnia noſtra cognita ſunt. Propria autem rurſus fit Leuitarum enumeratio ab vno menſe & ſupra; neque ſors illis datur in medio filiorum Iſrael; neque enim illis recenſentur: ſemper enim ſanctius eſt ceteris genus illud ſacratius; ideoq. illorum deſcriptio ab aliis tribubus exempta eſt, neque illorum ſors cum aliis permiſta; ſed tum inſpectionem atque recenſionem propriam habent, tum vero pars illorum atque ſors ille ipſe eſt vniuerſorum Deus, iuxta illud, [Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt:] nam, cum ij, qui pauperes ſpiritu vocantur, regnum cælorum hæreditate poſſeſſuri ſint; iique conſolationem habituri, qui lugere propoſuerint; miſericordiamq. conſecuturi, qui miſericordes fuerint; mundi, inquit, corde beati ſunt, quoniam ipſi Deum videbunt; hi vero ſunt, qui præ ceteris omnibus ſacratiores ac ſanctiores habentur, forſq. illis & pars conſtituta eſt illa excellens Dei viſio, id eſt, ipſius diuinitatis cognitio. Hoc ipſum Chriſtus ſanctis Apoſtolis largiturum ſe pollicebatur, cum diceret, [Hæc in prouerbiis locutus ſum vobis; venit hora, cum non amplius in prouerbiis loquar vobis, ſed palam de Patre annunciabo vobis.] Porro ab vno menſe ſacratiorum virorum fit deſcriptio, vt modo dixi: ex illo namque ſanctorum numero non ij ſolum in libro Dei deſcripti ſunt, qui viribus ſpiritualibus pollent, & ſapientiæ nomine ſunt clariores, ſed quicunque ſimplicitatem eam, quæ ſecundum Chriſtum eſt, amplexati ſunt, & malitia ſunt paruuli. Deſcriptum igitur eſt genus illud ſacratius vniuerſum, tum ij nimirum, qui ſapientiæ, tum qui ſimplicitate pollent. Facile eſt autem, Palladi, eiuſmo-

Marginalia: Matth. 5. (beside "loquimur, per tribus") — B — Luca 6. (beside "intelligēda") — 1. Cor. 7. (beside "tiorisq.") — C — Pſalm. 30. (beside "manibus tuis") — Matth. 5. (beside "lud, [Beati mundo") — D — Ioan. 16. (beside "pollicebatur") — A (beside first line)

A di, eiusmodi discrimen in sanctorum animis, sensibus quoque ac moribus perspicere. Illud quoque adiunxit, neminem ex iis fuisse, qui recensiti prius fuerant a Moyse & Aaron, quos recensuerat filios Israel in deserto Sina, quia dixit Dominus ipsis, Morte morientur in deserto, & non est relictus ne vnus quidem ex ipsis, nisi Caleb filius Iephone, & Iesus Naue: in quo perspicue ostendit, non ad incredulos pertinere possessionum distributionem, & illam in Dei libro descriptionem; sed eis potius conuenire, qui fidem nimirum in Christum amplexi sunt: nam de incredulis ait diuinus Dauid, [Deleantur de libro viuentium, & cum iustis non scribantur:] in quibus etiam verbis diuinus sermo nobis latenter ostendit, credentibus dari gratiam: ideoque mystice Scriptura dicit, prope Iordanem factam esse descriptionem: is enim describitur, qui baptizatus fuerit. Neque tamen vniuersus Israel a spe decidit: seruatæ namque sunt reliquiæ, iuxta Prophetæ vocem: cuius rei figuram gerunt Ca- *Psal. 68.* *Esa. 10.*
B leb & Iesus, soli ex omnibus relicti, qui hæreditaria illa sorte potirentur, & describerentur vna cum iis, qui infidelitatis crimine non tenebantur. Animaduerte autem vbique sanctorum hominum descriptionem & agrorum distributionem: geritur enim per Moysen & Aaron, qui sacerdotio præstantissimo fungebatur: vt, sicut iam antea dixi, per vtrumque vnum Christum intelligas, tamquam sacerdotem summum, atque legislatorem; per quem omnis gratia tribuitur, & illa fit in supernis illis libris descriptio: quos etiam beatus Daniel se vidisse dicit, [Libri, inquiens, aperti sunt:] nam, quia multiplex & diuersa descriptio est, ideo plures, non vnus liber. PALLAD. Recte igitur ac scite dictum illud e Prouerbiis admonet, [Diuitiarum pigri indigentes sunt: strenui autem fulciuntur opibus.] CYRILL. Fulciuntur illi quidem, Deumque habent propitium ac propugnatorem, qui cælestibus illos benedictionibus augeat, coronetque, ac præclarissimis honoribus, & insigni glo- *Daniel. 7.* *Prouerb. 11.*
C ria amplissime exornet. An minus vere loqui putas, cum dicit, [Viuo ego, dicit Dominus, quia glorificantes me glorificabo?] PALLAD. Etquidem maxime. CYRILL. Atqui perficit certe, quæ ad Dei gloriam pertinent, vt opinor, quisquis fuerit strenuus, & excoluerit spiritualem fortitudinem, & ad obsistendum spectabilibus occultisq. hostibus fuerit exercitatus, seq. & ceteros seruare nouerit, & omnia in Deo potuerit. PALLAD. Assentior. CYRILL. Visne igitur hoc ipsum in iis, quæ de beato Abraham ad maximam vtilitatem nostram narrantur, velut in tabula quadam leuiter adumbratum contemplemur? PALLAD. Velim equidem libentissime; quidni? CYRILL. Scriptum est igitur, Lot habitasse, versatumq. esse So domis: cum vero graue & asperum bellum in eam regionem inuasisset, cumq. proximæ ac finitimæ gentes vna cum ducibus suis vi eam vrbem cepissent, vna cum iis, qui captiui agebantur, Lot quoque abductum, simul cum aliis in hostium potesta- *1. Reg. 2.* *Genes. 14.*
D tem venisse: sed, cum quidam ex iis, qui euaserant, aduenisset, [nunciata res est, inquit, Abraham transfluuiali: ipse autem habitabat ad quercum Mambre, Amorrhæi patris Eschol, & patris Aunan, qui erant coniurati Abraham. Audiens autem Abraham, quod captiuus factus esset Lot fratris filius, numerauit proprios vernaculos suos trecentos decem & octo; & persecutus est eos vsq. Dan, & irruit super eos tota nocte ipse, & pueri eius, & percussit eos, & persecutus est vsque Chobal, quæ est ad læuam Damasci, & reduxit omnem equitatum Sodomorum, & Lot filium patris sui reduxit, & omnem substantiam eius, & mulieres, & populum. Egressus est autem rex Sodomorum in occursum illius, postquam reuersus est a cæde Chodorlaomor, & ceterorum regum, & Melchisedech rex Salem protulit panes & vinum; erat enim sacerdos Dei altissimi,

altissimi, & benedixit Abraham, & dixit, Benedictus Abraham Deo altissimo, qui fecit cælum & terram; & benedictus Deus altissimus, qui dedit hostes tuos subditos tibi. Et dedit ei decimam partem ab omnibus. Dixit autem rex Sodomorum ad Abraham, da mihi viros, at equitatum accipe tibi ipsi. Dixit autem Abraham ad regem Sodomorum, Extendam manum meam ad Deum altissimum, qui creauit cælum & terram, si a filo vsque ad corrigiam calceamenti accipiam de omnibus tuis, ne dicas quia ego ditaui Abraham, præter ea, quæ comederunt iuuenes, & partem virorum, qui venerunt mecum, Eschol, Aunan, Mambre; isti accipient partem. Post verba autem hæc factum est verbum Domini ad Abraham in visione dicens, Ne timeas, Abraham; ego protegam te, merces tua multa erit nimis. Dicit autem Abraham, Domine, quid dabis mihi? ego autem dimittor sine liberis; filius autem Masech vernaculæ meæ, hic Damascus Eliezer: & dixit Abraham, Quia mihi non dedisti semen, vernaculus meus hæres meus erit. Et statim vox Domini facta est ad eum dicens, Non hic erit hæres tuus; sed qui exibit ex te, hic erit hæres tuus. Eduxit autem eum foras, & dixit ei, Suspice in cælum, & numera stellas, si poteris numerare eas: Et dixit, Sic erit semen tuum.] Vides quam prompti sint ad audendum sancti viri, quamque sponte sua ad subeunda pericula parati, simul enim atque audiuit ipsum Lot in discrimen venisse, miseratus est propinqui calamitatem, arreptisque vernaculis & fœderatis quibusdam, qui Hebræi non erant, celeriter profectus est aduersus eos, qui dolorem inusserant; eosque nullo negotio subegit, liberauitque e captiuitate tum ipsum fratris filium Lot, tum eos quoque, qui in manus victorum venerant. Deinde, vt victori debitum honorem exhiberent, obuiam illi prodiere tum Sodomorũ rex, tum sacerdos quoque Dei altissimi Melechisedech, vt scriptum est; isque minime inanis; attulit quippe sacerdotij symbola illius, qui tum erat in more, panes inquam & vinum, & benedixit Abraham, & sacras illi voces præmij loco tribuit. Abraham igitur strenue rem gessit ac vicit: tales quippe semper fere sunt illi secundum Christum fortes viri, quique Deo gratissimam illam animi confidentis alacritatem mente conceptam tenent. Ac velut exempli loco ad fidem verbis faciendam sanctos Apostolos adiiciam, qui, cum Satanas omnia facillime diriperet, ij etiam, qui veritatis dogmatis obsistebant, simpliciorum hominum animas depredarentur, sese fortiter opposuerunt, & secum vna vernaculos armis instruxerunt, idest, eos, qui erant in sacris litteris educati; quosdam etiam fœderatos, qui Hebræi non erant, eos nempe, qui, quamuis adhuc ea, quæ sunt mundi, saperent, tamen simul cum sanctis viris certamen subibant, eosque imitari studebant. Itaque, cum se strenue gessissent, victoriam pepererunt, & ex illius tyrannico dominatu captiuos abripuerunt: alios enim ex idolorum cultu, & ab adoranda creatura potius quam creatore, alios a falsi nominis scientia extractos seruant. Sed ex hac adeo illustri excelsaque animi magnitudine eam mercedem assequuntur, vt non solum ab iis, qui in mundo sunt, honoribus afficiantur, [egressus est enim, inquit, rex Sodomorum in occursum Abraham:] sed etiam benedictionem consequantur illam, quæ per Christum datur, qui nos viuificante gratia tamquam pane ac vino lætificat. Itaque de se ipsis verissime dicunt, [Benedicti nos a Domino, qui fecit cælum & terram.] Est autem Christi sacerdotij figura Melchisedech; nec pluribus, vt opinor, ad eam rem demonstrandam opus erit; cum in hac parte sacræ litteræ sint satis. Cum vero Sodomorum rex beato Abrahæ tamquam victori dixisset, Da mihi viros, equos autem tibi ipsi accipe; nihil se acceptuum illico deierauit, nisi forte cibos eorum, qui vna laborem sucepissent,

Psal. 113.

A B C D

A sent,& partem fœderatorum Eschol, Aunan, & Mambre: quamuis enim pro hominum, qui perierint, salute sancti viri bellum gerant, ac strenue certent, omnemque laborem subeant; a mundo tamen nihil accipiunt, neque terrenas opes colligunt: in quo euitant maxime illam, quæ existere inde solet exprobrationem, [Ne dicas, inquit, quod ego ditaui Abraham:] tantum cibos accipiunt, qui ab iis, quos iuuerint, suppeditantur; [dignus est enim operarius mercede sua,] & iis, qui Euangelium annunciant, ex Euangelio viuere præcepit Christus. Fœderati tamen partes accipiunt, propterea quod, vt opinor, in iis quoque rebus, quæ ad præsentem vitam pertinent, sanctorum virorum æmulatores atque imitatores benedicit Deus: abundant enim illis bona pro suæ condicionis modo iusta ratione viaque parta; namque iis, qui nondum perfecte a terrenis rebus abscesserunt, & Deo ac mundo diuisi quodammodo sunt, etiam terrenas benedictiones tribuit Deus. Sic benedixit Iacob, cum eius Genes. 30.
B pecora multiplicauit. PALLAD. Recte ais. CYRILL. Iam vero, tanta laude, tantoque splendore comparato, tamquam germanis iam suis cultoribus haud torpescendum esse, inquit ille salutis auctor; fore etiam, vt non leuem recipiant mercedem, opportune pollicetur: in quo simul imbellis, ignauique animi affectum a grege timentium se quamlongissime repellit, & spe rerum, quas pollicetur, ad animi alacritatem exacuit, & fortiores efficit: idcoque etiam beatus Paulus, quia sic affectus erat, nonnumquam ait, [Omnia possum in eo, qui me confortat, Christo:] aliquando rursus, [Cursum consummaui, fidem seruaui; in reliquo reposita est mihi corona iustitiæ.] AEgre fert autem maxime Abraham, quod filium haberet vernaculum, & animo angitur: quid enim, inquit, mihi dabis, si sine liberis dimittor? nothumque habere fructum, perinde æstimat atque orbitatem. Deinde Deus ex libera fore illi filium, id est, Isaac pollicetur, in eoque patrem se fore multarum gentium,
C habiturumque semen sicut astra cæli: moleste namque ferebant sancti Apostoli, quod velut ex ancilla quadam, ex cultu nempe legali, nothum haberent fructum; atque ex libera potius, id est, ex Nouo testamento, filium expetebant: is autem erat Christus, in cuius quoque figuram Isaac per repromissionem, atque per fidem natus intelligitur. Itaque beatus Paulus de Legis ornamentis, quæ sibi inerant, ait, [Quæ mihi erant lucra, hæc arbitratus sum propter Christum detrimentum: verum etiam existimo omnia detrimentum esse propter eminentem scientiam Iesu Christi domini nostri, propter quem omnium iacturam feci, & arbitror stercora esse, vt Christum lucrifaciam, & inueniar in ipso non habens meam iustitiam, quæ per Legem est; sed quæ ex fide est Iesu Christi.] In Christo namque patres multarum gentium, & seminis innumerabilis, vt Abraham in Isaac facti sunt. Quod autem hac de re dictum est a nobis, id non solum priscis illis viris, ac sanctis Apostolis tribuemus, sed
D ad eos quoque, qui post illos sacerdotale sunt officium sortiti, & Ecclesiæ duces constituti, aut etiam ad quemuis sanctum probumq. virum referemus.

Luc. 10. 1. Cor. 9. Genes. 15. Philip. 4. 2. Timo. 4. Genes. 15. Philip. 3.

FINIS LIBRI QVARTI.




SANCTI



SANCTI CYRILLI ARCHIEPISCOPI ALEXANDRIAE

DE ADORATIONE IN SPIRITV ET VERITATE



LIBER QVINTVS.

De fortitudine, quæ in Christo est.



SANCTI viri igitur, & quicunque pro aliorum homi- A
num vita certant, id sibi propositum habent, Palladi,
vt erga rem, quæ quidem in hoc mundo sit, nullam affi-
ci velint : ita enim sapientes, ac potentes, & optimæ
spei pleni, & superna benignitate muniti erunt : idque
non aliter se habere, scias velim. Nam, si mundanis
distractionibus, ac temporalibus cupiditatibus ani-
mum excelsiorem habuerint, infirmis admodum vten-
tur hostibus; atque aduersarios, Deo eorum vires profligante, facillime supe-
rabunt : sin ipsi quoque mundanis affectibus capti erunt, & terrenis cupidita-
tibus inuoluti, facile persequentium incursionibus patebunt, & nullo negotio
expugnabuntur, ac manifeste diuino præsidio spoliati, velut paratissima præ-
da erunt hostibus propositi. PALLAD. Sed vndenam, hæc, quæ dixisti,
probari possint, plane scire cupio. CYRILL. E sacris litteris, quæ priscis B
hominibus contigerunt, vtiliter prædicantibus; numquid enim non ad nostram
1. Cor. 10. admonitionem illa scripta fuisse, beatus quoque Paulus ait ? PALLAD. C
Fateor : narrationes enim, quæ ex illis scripturis proferuntur, non mediocrem
nobis vtilitatē afferunt: illæ enim vmbræ & figuræ veritatis erant. CYRILL.
Iam igitur dicere aggrediamur. Cum Israelitæ Iordanem traiecissent, inuase-
runt vrbem Hiericho, diuinisq. iussis obsequentes, ad eam obsidendam inten-
ti erant, tamquam celerrime illam expugnaturi, atque capturi. Aderant igi-
tur milites ad pugnandum aptissimi, iuxta bellorum leges instructi. Scriptum
Iosue 6. est enim, [Ingressus est Iesus Naue ad sacerdotes, & locutus est ad eos, dicens,
Præcipite populo, vt circumeat, & circundet ciuitatem, & viri pugnatores
pertranseant armati ante Dominum.] Christo namque per principum vocem
Ephes. 6. iubente, aduersus hostes contendimus, bellumq. non aduersus carnem & san-
guinem

A guinem suscipimus, sed aduersus principes, & potestates, & aduersus eam legem, quæ in membris carnis dominatur: erimus etiam tunc in conspectu Domini, tum armatura quadam instructi diuina, atque spirituali; [arma namq. nostra non carnalia sunt,] vt Paulus ait, tum vero iustitiæ gloria insignes: aspicit itaque viros ad pugnandum paratissimos Deus ille vniuersarum rerum dominus, splendentibus iustitiæ armis indutos: idque est, in conspectu Christi pertransire pugnatores armatos. Honestum vero in primis & optandum sane, in conspectu Dei esse; si quidem non absurde intelligitur, Deum iis, qui se offenderint, hanc veluti pœnam imponere, vt se ab illis auertat, cum dicat, [Vbi manus extenderitis ad me, auertam oculos meos a vobis.] Cum autem obsidio vsque ad diem septimum perducta esset, dixit iterum Iesus Naue ad filios Israel, [Vociferamini ad Dominum: tradidit enim nobis Dominus ciuitatem; & erit ciuitas anathema, ipsa, & omnia, quæ sunt in ea, domino Deo exercituum Sabaoth. Verumtamen Raab meretricem seruate, ipsam, & omnia, quæ sunt in domo eius. Sed vos cauete ab anathemate, ne forte vos ipsi cogitantes accipiatis ab anathemate, & faciatis castra filiorum Israel anathema, & conteratis nos: & omne argentum & aurum & æs & ferrum sanctum erit Domino, in thesauros Dei inferetur.] Permisit enim fortibus viris, vt reliqua præda fruerentur; sed inferri oportere dixit in thesauros Domini argentum omne, & aurum, æs quoque ac ferrum: hoc enim erat illud, quod appellabatur anathema, id est, quod ab omnibus tribuebatur, & Deo segregabatur. Ceterum, nulla præcepti ratione habita, [accepit, inquit, Achar filius Charmi, filij Zambri, filij Zara, ex tribu Iuda, ex anathemate: & iratus est furore Dominus aduersus filios Israel.] Oportet enim, vt puto, qui contra sæculi voluptates, & huius vitæ distractiones firmum in Christo animum opposuerint, ac laudem per arma iustitiæ adipisci decreuerint, quiq. iam in conspectu Christi venerint, eos nihil ex iis expetere, quæ in hoc mundo admirabilia videntur, non opes, non gloriam, non potentiam, aut præstantem gradum, non impia ex gentili sapientia dogmata. Et illius quidem splendoris, qui in dignitatum gradibus & amplitudine spectatur, figura non inepta fuerit argentum; splendidum est enim hoc metalli genus; opum vero, aurum; illum porro linguæ sonum, quo mundi sapientes vtuntur, significare poterit æs; vires denique, atque potentiam, ferrum, quod & durum admodum sit, & cum omnium corporum materia pugnans: quæ si quis adipisci voluerit, quamuis ille præcipuo sit apud Deum loco, & inter bellatores numeretur, spirituali quoque animi magnitudine sit insignis, is proculdubio Deum offendit; cumq. eum furtiua subtractione offendere in animum induxerit, qui & in armis comes ac socius erat, & auxiliator, consequenti vindictæ subiacebit. PALLAD. Recte ais: assentior enim tibi. Ceterum illud mihi explices velim, parumper a re gesta & historia deflectens orationem, cur Deo argentum, & aurum, æs item ac ferrum sit consecratum, ac non potius ea vel tamquam inutilia fortasse, vel tamquam eiusmodi, quæ polluere possent, e castris abiecta sint: nam spiritualis contemplationis facultas abominanda fuisse demonstrauit. CYRILL. Quia splendor omnis, Palladi, sapientiaque, & opes, atque etiam vires conuenienter, ac iuste Deo tribuuntur; illius enim est gloria, & splendor omnis, & opes, & sapientia, & potentia. Ceterum quisquis ab illo acceperit, & ex illius thesauro ditatus diuitiis videlicet intellectualibus fuerit, gloriamque & sapientiam ac potentiam habuerit spiritualem, ille vero conspicuus erit ac felix; sin hæc eadem a mundo accipere maluerit, execrandus erit, & inuisus Deo virtutis amatori, ac iudicio pœnæq. obnoxius. Omnino enim diuitias consequitur

2. Cor. 10.
Esa. 1.
Iosue 6.
Iosue 7.

B, C, D (section letters in left margin)

voluptas;ſplendori autem,atque amplitudini vicina eſt continuo ſuperbia;potentiæ vero adiuncta iniquitas; ſapientiæ mundanæ denique peruerſitas dogmatum; quamuis eorum, qui illa ſcripſerunt, lingua ſuauiter ſonet. Huiuſmodi quiddam Paulus ait, [Si quis in vobis ſapiens, ſtultus fiat, vt ſit ſapiens: ſapientia enim huius mundi, ſtultitia eſt apud Deum.] Achar igitur, cum hæc non e Chriſti theſauro, ſed velut e mundo,ex ipſa vrbe Hiericho accepiſſet,offendit Deum. Sed, quæ inde ex ira Dei conſecuta ſunt,non ad eum ſolum pertinuerunt, qui eo crimine damnatus erat; ſed totam Synagogam affixerunt: ille enim quondam inuictus populus Iſrael expers præſidij ſuperni factus, infirmus, & imbellis fuit. PALLAD. Quomodo, aut vndenam edoceri poſſumus, verum eſſe, quod eſt a te hac de re dictum? CYRILL. Ex iis, quæ conſequenter ſcripta ſunt. Poſt illa enim, quæ circa vrbem Hiericho, & aduerſus eam ſunt præclare, ac fortiter geſta, ex vniuerſo Iſraelis populo lectos viros miſit Ieſus ab Hiericho in oppidum Gai dicens, [Aſcendentes conſiderate Gai:& aſcenderunt viri illi,& conſiderauerunt Gai,& reuerſi ſunt ad Ieſum, & dixerunt ei, ne aſcendat ad eã omnis populus,ſed circiter duo,aut tria millia virorum aſcendant, & obſideant vrbem:ne ducas eo vniuerſum populum;pauci namq. ſunt.Et aſcenderũt eo viri circiter tria millia, & fugerunt a facie virorum Gai,& interfecerũt ex ipſis viri Gai viros circiter triginta ſex; & perſecuti ſunt eos a porta,& contriuerunt illos a decliui loco:& pauefactũ eſt cor populi, & factum eſt velut aqua.] Qui vrbes ceperant,ac regiones populati fuerant,& ſæuiſſimas gentes nullo negotio vicerant, in homines Gai tamquam inuictos incidunt, vixque ſalutem tuentur, nec ſine iactura diſcedunt, qui prius ne vniuerſum quidem pugnatorum numerum in armis eſſe voluerant, quique facillime vel a paucis expugnari poſſe vrbem, aperte profeſſi fuerant, Ne ſimul aſcendat, inquiunt, vniuerſus populus; ſed circiter duo millia virorum. Hunc inopinatum caſum, inſperatamque calamitatem, cum grauiſſime ferret Ieſus, & veſtem diſcinderet, & ante Deum procideret, ac quid tandem ea res eſſet, admiraretur, dixit Deus, [Surge; cur tu ſic concidiſti in faciem tuam? peccauit populus,& tranſgreſſus eſt pactum meum,quod cum illis pepigi, & furati ex anathemate miſerunt in vaſa ſua. Non poterunt filij Iſrael ſubſiſtere ante faciem hoſtium ſuorum; ceruicem, ac tergum vertent in conſpectu hoſtium ſuorum; quia facti ſunt anathema: non adiiciam vltra, vt ſim vobiſcum, niſi abſtuleritis anathema a vobis ipſis.] Igitur,cum indicatus eſſet Achar, interrogauit eum Ieſus dicens, [Da gloriam hodie domino Deo Iſrael,& da confeſſionem, & nuncia mihi, quid feciſti, & ne abſcondas a me. Reſpondit autem Achar Ieſu, & dixit, Vere peccaui coram domino Deo Iſrael; ſic & ſic feci. Vidi inter ſpolia pſilen variam, & ducentos ſiclos argenti, & linguam vnam auream quinquaginta ſiclorum, & cogitans de ipſis accepi; & ecce abſconſa ſunt hæc in terra in tabernaculo meo, & argentum abſconſum eſt ſub illis.] Intelligis eum, qui furtum fecerat, dicere vidiſſe ſe inter ſpolia pſilen variam, & ducentos ſiclos argenti, & linguam auream quinquaginta didrachmorum, [& cogitaſſe de ipſis,] id eſt, ad eorum nefariam cupiditatem veniſſe. Pſilen igitur quidam militarem eſſe ſtolam putant, & chlamydem eſſe dicunt varie contextam: eſt autem ea veſtis militaris, & iniquitatis ſymbolum: inſitum eſt namque militari hominum generi, vt libentiſſime ſibi pluſquam æquitas patitur, vindicet. Porro ſplendoris mundani figura eſt argentum; lingua vero ſuauiloquentis gentilium ſapientiæ ſignum: eiuſmodi eſt apud gentilium ſapientes lingua & eruditio; tamquam aurea, & in primis pretioſa, quod ad dictionis claritatem pertinet. Peccato autem iam detecto, pœnæ addixit

Margin notes: 1. Cor. 3. — Ioſue 7. — Section letters: A, B, C, D.

A ipsum Achar Iesus, quod non in se ipsum modo, qui sceleris auctor erat, sed in vniuersam Synagogam perniciem, e sua impotenti cupiditate profectam, attulisset. Et hoc illud est fortasse, quod optime, ac sapientissime est nobis Pauli voce dictum, [Auferte malum a vobis ipsis: modicum fermentum totam massam corrumpit.] Nonne igitur est tibi aperte demonstratum primum quidem in Abraham, sanctis viris nihil obesse illam ex fortitudine gloriam, ac facile, ex ea sequi, vt expugnare hostes possint, si nihil mundanũ quærere voluerint? deinde in Achar rem in contrarium processisse, cum is e recta via declinasset; & ad ea, quæ in mundo sunt, propensus fuisset? PALLAD. Maxime vero: euidens namque fuit oratio. CYRILL. Oportere autem sanctos viros vbique vnius moris videri, non in sententia parum sibi constare, id vero planum fiet, ex eo quod Lex aperte dicit, [Non erunt vasa viri super muliere, neque rursus vir induetur stola muliebri: quoniam abominatio est in conspectu Domini, quisquis hoc fecerit:] nam æque abominatur Deus ac turpissimum spectaculum putat tum fortitudinis opinionem in molli vita, hoc enim est, esse vasa viri super muliere; tum in forti viro mollis animi languorem; id enim perinde est, ac si muliebri stola vir induatur. PALLAD. Quale istud est, quod ais? CYRILL. Nonne & apud Deum, & apud homines praua atque improba res est hypocrisis? PALLAD. Verum est. CYRILL. Num igitur, si quis voluptarius fuerit, & intemperans, & ex ipsis suis factis talis esse coarguatur; deinde confictam probitatis opinionem sibi comparare studeat, hunc hominem, Palladi, probes? PALLAD. Minime equidem. CYRILL. Iam vero temperatum reuera hominem, & honestum, nonne in eadem sententia firmum, nec diuersum ab eo, quod est, spectari oportere censes? PALLAD. Fateor. CYRILL. Ne igitur vnquam solutus quorundam hominum & mollis animi sensus fortitudinis opinionem subeat: hoc enim est, Ne sit

1.Cor.5.

Deut.22.

B

C vas viri super mulierem: neque rursus ille reuera fortis mollitiem quærat: hoc namque est vicissim, Ne vir induatur stola muliebri: est enim par in vtraque re vitium, eaq. crimina similem iniuriam virtuti faciunt. PALLAD. Periculosa res est, nimirum mollities animi, neque vero impunita. CYRILL. Nihil omnino dubites: auersandum id est enim sane, & exosum Deo vitium. Itaq. e sacris etiam legionibus reiicitur, qui huiusmodi forte criminibus tenetur; opus enim esse censeo, vt ille reuera fortis, ac strenuus nusquam animũm suum per incuriam frangi patiatur, sed eum a formidine; atque cunctatione omni liberum seruet; ac fide perfecte nixus, dicat, [Omnia possum in eo, qui me confortat,] Christo: caueatque, ne terrena sapere velit; vt pote cum ea res perniciem nobis afferat, & apud Deum improbos esse demonstret. Itaque rursus in Deuteronomio scriptum est, [Si exieris ad bellum aduersus hostes tuos, & videris equum, & ascensorem, & populum maiorem te; ne timeas ab ipsis, quia

Philip.4.

Deut.20.

D dominus Deus tuus tecum est, qui ascendere te fecit de terra AEgypti: & erit, cum appropinquaueris ad bellum, & sacerdos accedens loquetur ad populum, & dicet ad eos, Audi Israel, vos proceditis hodie ad bellum aduersus hostes vestros, ne dissoluatur cor vestrum, ne formidetis, neque conteramini, neque declinetis a facie eorum; quia dominus Deus vester, qui procedit vobiscum, debellabit vobiscum hostes vestros, & saluabit vos. Et loquentur scribæ ad populum dicentes, Quis est homo, qui ædificauit domum nouam, & non dedicauit eam? vadat & reuertatur in domum suam, ne forte moriatur in bello, & alius homo dedicet eam. Et quis est homo, qui plantauit vineam, & non est lætificatus ab ea? vadat, & reuertatur in domum suam, ne moriatur in bello, & alius homo lætificetur ab ea. Et quis est homo, qui despondit vxorem,

& non accepit eam? vadat, & reuertatur in domum suam, ne moriatur in bello, & alius homo accipiat eam. Et adiicient scribæ loqui ad populum, & dicent, Quis est homo timidus, & formidolosus corde? vadat, & reuertatur in domum suam, ne timere faciat cor fratris sui, vt suum ipsius.] PALLAD. Atqui oportere Dei auxilio fretos excellere virtutibus, & ad ea omnia, quæ recta sunt, strenue niti, etiam ipse fateor. Quomodo autem nonnulli a bello tamquam inepti reiiciantur, non intelligo. CYRILL. An ignoras neminem apud Deum probatum fore, neque vero posse quemquam statuere, sibi pro pietate labores esse tolerandos, nisi huius mundi vitam incolatum putauerit? Quod ipsum optime nobis, atque euidentissime in sanctorum hominum conuersatione, tamquam in imagine figurisq. descriptum est. Nam & vir admirandus Abraham in tabernaculis diuersabatur, & ex locis aliis in alia loca dimigrabat: & vniuersus Israel per desertum frequenter mansiones mutabat, atque in tabernaculis itidem habitabat: beatus vero Dauid ea de re etiam gloriabatur, sic dicens ad Dominum, [Remitte mihi, quia aduena ego sum in terra, & peregrinus sicut omnes patres mei:] Expetebat etiam vehementer supernas illas mansiones, cum sic diceret, [Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum! concupiscit & deficit anima mea in atria Domini.] Eiusmodi homines, quæ sursum sunt, sapiunt, ac sitiunt eas, quæ in cælo sunt, mansiones, quas etiam ipse Saluator diligentibus se pollicetur, dicens, [Vado, & præparabo vobis locum; & iterum veniam, & assumam vos mecum: vt vbi ego sum, & vos ibi mecum sitis.] Eius igitur, qui præsentem vitam incolatum putare non sustinet, figuram gerit ille, qui domum ædificat, & in hoc opus studiosius incumbit: cupidi autem hominis, & auari, is, qui vineam plantat: qui vero feminarum amori deditus fuerit, & voluptatibus eneruatus, quique carnis concupiscentiis animum tradiderit; eum significare potest ille, qui ad despondendum vxorem accessit. Itaque militaris præconis voce ex illa sacra, & ad pugnam aptissima cohorte recedunt. Quæ autem verisimile erat eos, qui eiusmodi vitiis implicati essent, & cogitare & dicere, ea præco prius clamabat. An vero negari potest, quin ij, qui eiusmodi vitiis laborant, libenter in persecutionibus vacationem a laboribus amplectantur, nec studia sequantur, quæ pro Dei caritate suscipienda sunt, dum cogitant, se in eo certamine, si quid pati contigerit, domos, possessiones & carissimarum rerum fructus esse amissuros? ex quo fit, vt formidolosi, & ignaui deprehendantur. Quæ igitur consentaneum erat, vt illi & sentirent & dicerent, eadem scriba prædicabat, obliquis veluti reprehensionibus, & facetis exprobrationibus feriens ignauum hominem, excusantem excusationes in peccatis, & tamquam escam quandam suæ formidini mundanas voluptates colligentem. Quamobrem iussit Deus, vt extremam vocem ille militaris præco apertam & detectam emitteret, [Et adiicient, inquit, scribæ loqui ad populum, & dicent, Si quis est homo timidus, & formidolosus corde, vadat in domum suam, ne timere faciat cor fratris sui, sicut suum ipsius:] propemodum enim illud dicere videtur, Qui in terrenis rebus hæret, & domos ædificat, & plantat vineas, & carnis voluptatibus vincitur, omnino formidolosus erit, & imbellis: eiusmodi autem homo prorsus improbatur, & ceteris damnum dabit: [corrumpunt enim mores bonos colloquia mala:] & qui metu facile vincitur, is etiam fortem interdum ac magni animi virum ad ignauiam pertrahit. Itaque etiam beatus Paulus obiurgabat nonnullos, qui ipsum prohibere volebant, ne ascenderet Hierosolymam; ait enim, [Quid facitis flentes, & affligentes cor meum? ego enim non solum ligari, sed & mori paratus sum pro nomine domini nostri Iesu Christi.]

Marginalia: A; B; Psal. 38.; Psal. 83.; Ioan. 14.; C; D; Cor. 15.; Act. 21.

A Notandum etiam, eorum, qui ad nuptias inuitati erant, hanc excusationem fuisse, [Villam emi, vxorem duxi, & non possum venire:] sic enim in Euangelicis parabolis est scriptum. Minime vero difficile est, e veteribus exemplis, si ita videtur, fidem huic rei facere. PALLAD. Dic igitur sine vlla cunctatione: vtilissimam enim rem feceris. CYRILL. Igitur ad hunc modum in Numeris legimus, [Et posthæc profectus est populus ex Aseroth, & castrametati sunt in deserto Pharan: & locutus est Dominus ad Moysen dicens, Mitte tibi viros, & explorent terram Chananæorum, quam ego do filiis Israel in possessionem, singulos per singulas tribus; secundum populos familiarum ipsorum mittes illos, omnem principem ex ipsis; & misit eos Moyses ex deserto Pharan per vocem Domini; omnes viri principes filiorum Israel.] Deinde numeratis iis, qui missi sunt, per tribus & genera, adiungit iterum, [Et cum ascendissent, explorauerunt terram a deserto Sin, vsque Roob, intrantibus Emath.] Num. 12.13.

B Et post nonnulla, [Et venerunt vsque ad Vallem botri, & considerauerunt eam, & absciderunt inde palmitem, & botrum vuæ vnum super eum, & sustulerunt illum in vectibus; & de malogranatis, & de ficis; & locum illum appellauerunt Vallem botri, propter botrũ, quem absciderunt inde filij Israel. Et reuersi sunt inde, postquã explorauerunt terram, post quadraginta dies; & euntes venerunt ad Moysen & Aaron, & omnẽ congregationem filiorum Israel in desertũ Pharan, in Cades; & responderunt illis verbum & vniuersæ congregationi; & ostenderunt ipsis fructum terræ, & narrauerunt ei dicentes, Venimus in terram, quo misisti nos, terram fluentem lacte, & melle, & hic est fructus eius: nisi quod audax est gens, quæ habitat in ipsa, & vrbes munitæ, & muratæ, & magnæ vehementer; & stirpem Enac vidimus ibi.] Intelligis illos timidos, ac meticulosos Terræ promissionis exploratores manifeste regionẽ illã vitibus ferendis aptam esse ac pinguem, & maturis fructibus abundantem confessos esse: verumtamen

C his ea connectunt, quæ timorem incuterent; audacem videlicet gentem, quæ illic habitaret, appellantes, vrbes quoque munitas, atque muratas identidem dictitantes, & a spe victoriæ populum Israelis deducentes, & metu ad ignauiam impellentes. PALLAD. Sic se habet. CYRILL. Sed qui inter illos erant sapientes, ac strenui, Caleb & Iesus, illorũ timori & portentosis vanisq. sermonibus obstiterunt, dicẽtes ad populũ, & ad Moysen, [Minime; sed ascendentes ascendemus, & possidebimus illam; quia potentes poterimus aduersus illos:] ceteri autem, qui missi fuerant, finem nullum afferendi faciebant, inexpugnabilem fore filiis Israel Promissionis terram. Deinde, inquit, [Eleuans vniuersa congregatio dedit vocem, & fleuit populus tota illa nocte; & murmurauerũt aduersus Moysen, & Aaron omnes filij Israel: & dixit ad eos vniuersa congregatio filiorum Israel, Vtinam mortui essemus in terra AEgypti, aut in hac solitudine si mortui essemus: & cur Dominus inducit nos in terram hanc, vt cada- Num. 13. Num. 14.

D mus in bello? vxores nostræ & liberi erunt in direptionem. Nunc igitur melius est nobis, reuerti in AEgyptum. Et dixerunt alter ad alterum, Constituamus principem, & reuertamur in AEgyptum.] Ad eam infelicitatem & ignauiam delapsa est vniuersa congregatio. Cum vero illos ad animi firmitatem transferre quodammodo conaretur, Iesus Naue filius, & vestem discinderet, multasq. laudes de terra illa prædicaret, confirmare animos nolebant: sed stulte illos abiiciendo, suum propugnatorem Deum grauiter offenderunt, seq. spei suæ compotes fieri posse, suis viribus tribuerunt. Itaq. ille etiam iurauit dicens, [Si videbit aliquis horum hominum terram, quam iuraui patribus eorum, præter Caleb filium Iephonæ, & Iesum Naue.] Num igitur est ambiguum, quin homo timidus, & laboris impatiens, & modicæ fidei secum etiam ceteros perdat, quos

corrumpit malis colloquiis, ac fortis illius, ſpeiq. in Deum ſit expers? Contraq. ille fortis ac ſtrenuus, & ſpei compos, & amicus Dei ſit futurus? PALLAD. Minime quidem ambiguum: ſatis enim probatum eſt. CYRILL. Igitur, vt à principio dicebamus, qui detinetur mundanis voluptatibus, is ineptus eſt, qui in acie ſpirituali numeretur. PALLAD. Et merito. CYRILL. Illud quoque addiderim, (id enim quod prodeſſe poteſt, magnopere obſeruandum arbitror). Qui virtutem aliquam colere nuper cœperit, eum minime adhuc ad pugnam aptum eſſe, ſed poſſe ad vitium facile detorqueri. PALLAD. Qui tandem iſtuc aſſeris? CYRILL. In Deuteronomio ſcri-
Deut. 24. ptum eſt, [Si quis nuper vxorem duxerit, non egredietur ad bellum, neque imponetur ei vllum negocium: immunis erit in domo ſua anno vno, lætificabit vxorem ſuam, quam accepit.] Num igitur, Palladi, ſoli, ac nudæ litteræ inhærendum eſt, & auctor ille Legis, cum ſit virtutis amator, domi ſuæ ſcilicet collocat pugnatorem, neque permittit laudem de virtute quærere, leui ac frigido mulieris coniuctu ſuperatum, & carnis cupiditatem neceſſariis rebus præuertentem? PALLAD. Minime vero hoc illud eſſe conceſſerim, quod Legis auctori placuerit: ſed par eſt, probabilem aliquam in ea re latere rationem. CYRILL. Igitur illud ipſum, quod dixi, repetam, Qui virtutem attigerit, nec dum illam perfecte admodum adeptus ſit, facile in contrarium detorqueri poteſt. PALLAD. Dic, quonam modo? nondum enim admo-
Prouer. 7. dum ſequor. CYRILL. Ait certe Salomon, [Dic ſapientiam, tuam ſororem eſſe, & prudentiam tibi amicam facito:] familiares namque nobis virtutes reddimus, ſi ex illis fructum ferre imprimis ſtuduerimus: hic enim verbigratia, ſapientiæ, quæ in rerum cognitione verſatur, ille manſuetudini, & lenitati dat operam, aut eiuſmodi certe alteri virtuti, quam conſequi propoſuerit. Num igitur ſtatim, atque in huiuſmodi rebus mediocriter verſari cœpit animus, idoneus erit, qui probetur ac tentetur? & qui ſapientiæ contubernio, vti recenter inceperit, ſi in eos inciderit, qui recta peruertunt, nonne peruertetur potius, quam vincat & illorum perniciem depellat, quippe cum non ſatis adhuc ſtabilis ac fixus in ſapientia ſit? PALLAD. Conſentaneum videtur. CYRILL. Præterea, qui manſuetudini ſtudet, prouocante aliquo, ſi nondum in ea virtute ſit exercitatus, nonne facile ſuccenſebit? PALLAD. Ita opinor. CYRILL. Exercitatus autem ſapiens cum ſapientibus pugnabit, & illorum aſtutiæ rectam rationem fortiter opponet. PALLAD. Verum eſt. CYRILL. Quid vero ille, qui manſuetudinem eſt perfecte conſecutus, nonne difficile ſuccenſebit, quamuis nonnunquã ab aliquibus prouocetur? PALLAD. Fateor. CYRILL. Recte itaque Lex, cum eleganter velut in mulie-
Deut. 24. ris ſpecie virtutem ſanctorum coniugem depinxiſſet, [Si quis, inquit, nuper vxorem acceperit, non egredietur ad bellum, neque vllum munus ei imponetur: immunis erit in domo ſua anno vno, lætificabit vxorem ſuam, quam accepit:] onerari namque laboribus ac perſecutionibus non permittit eum, qui nuper veluti compactus eſt, & recentiori eſt erga virtutẽ ſtudio; ſed tamquam curis vacuum atque apud ſe manentem ac fotum virtutis amoribus confirmari ſinit. Eiuſmodi quippiam ſanctos Apoſtolos feciſſe reperiemus, qui ad gentiles
Act. 15. nuper conuerſos, & ad Dei agnitionem vocatos, ſapienter ſcribunt, [Viſum eſt enim Spiritui ſancto & nobis, nihil vltra inponere vobis oneris, niſi vt abſtineatis vos a fornicatione, & ſuffocato & ſanguine:] prætermiſſis enim ſapienti gubernatione mandatis grauioribus, pauca quædã ac neceſſaria ſeruare iuſſerunt; cum illorũ, qui paulo ante ad Deum colendũ adducti eſſent, infirmas in aſperis rebus tolerãdis vires nõ ignorarent. Itaq. huiuſmodi hominibus, ille vniuerſorũ

Deus,

A Deus,& iras & culpas remittit; tametsi in pusilli animi vitium inciderint, dum insuetam laborum viam ingrediuntur. Sed postea repetit pœnas & iræ suæ commotionibus subiicit, cum haud, propterea quod laborum insueti sint, ideo adhuc sint infirmi; sed potius ad illecebras atque mollitiem proiecti, libentissime se, in id, quod ipsi displicet, effundant. An vero non ardua est virtus, & asper ad illam accessus, ac sudet necesse est, qui illius compos fieri voluerit? PALLAD. Fateor. CYRILL. Non est autem absurdū, imo vero æquum, atque conueniens, qui nuper sunt ad hoc perducti, eos cum animi alacritate nondum satis confirmati sint, sed veluti teneris adhuc pedibus ambulent, & imbecillitate laborent, indulgenti moderatione regi: contraq. illum exercitatum pœnis ac terrore durius gubernari, ac veluti necessitate quadam ad laborum patientiam, & obsequendi facillitatem adduci. PALLAD. Optime ratiocinaris. CYRILL. Neq. vero ea res obscura est, si quæ in figura priscis il-

B lis viris acciderūt, diligenter exquirere velimus: sic enim scriptum est, [Eduxit autem Moyses filios Israel de Mari rubro, & duxit eos in desertum Sur, & ambulauerunt tres dies in deserto, nec inueniebant aquam ad bibendum. Venerunt autem in Merran, nec poterant bibere aquam ex Merra; amara enim erat: ideo vocauit nomen loci illius Amaritudinem:& murmurauit populus aduersus Moysen, dicentes, Quid bibemus? Clamauit itaq. Moyses ad Dominum, & ostendit illi Dominus lignum, & iniecit illud in aquam, & dulcis facta est aqua.] Nuper enim ex AEgyptiorum terra profecti filij Israel, cum seruitutis illius, qua sub illorum dicione premebantur, graue iugum & non ferendum abiecissent, ad promissam olim patribus terram, Deo vocante, properabant: ac primus illis occurrit labor ex aquarū inopia, quas vix tandem, posteaquam diu laborauerant, repererunt; neque tamen earum vsus vacabat molestia; erant enim amaræ, sicut scriptum est; sed ligni admistione dulces ac suaues factæ sunt, Exo. 15.

C cum beato Moysi viam, quā id fieret, Deus ostendisset. Cum enim diuina lex nos doceat a seruitute vitiorum extractos Deum sequi, & ex Dæmonum dominatu recedere, sub tentationum labore sudare necesse est; & seuerioris exercitationis laboribus carnis vitia consumendo, atque immites illos motus, qui semper ad voluptatem spectant, non secus ac tetram, & immanem belluam siti & inedia mansuefaciendo, illam laudis coronā adipisci: volentibus enim continentiæ virtutem tenere, prima nobis pugna aduersus carnem & eius vitia occurrit; neque vnquam alia ratione virtutem quispiam excolere poterit. Igitur sitis illa, quæ priscis illis hominibus in deserto contigit, seuerioris exercitationis laborum figura fuit;&, quæ ad corpus pertinent, initia sunt exercitamentorū. Illud enim animaduertas velim, illos non ab initio statim in bellum incidisse: neque enim, qui nuper aduersus vitia fortiter se gerere, ac virtutis munera exequi cœperunt, ab iis statim pugna suscipitur aduersus principatus, &

D potestates, propterea quod qui exercentur, adhuc parum strenui, neque satis admodum firmi sunt; sed in laboribus aduersus carnem susceptis exercentur; quod Deus laboris molestiam, eorum qui tentantur, habitu, ac facultate metiatur: hocq. illud est, opinor; [Tentatio vos non apprehendit nisi humana: fidelis est autem Deus, qui non permittet vos tentari supra quam potestis; sed faciet cum tentatione etiam exitum, vt possitis sustinere.] Cum vero pro virtute suscepti labores amari admodum sint, a Christo suaues, ac dulces redduntur, qui & dicitur, & est lignum vitæ. Ait autem etiam ipse profecto in scripturis euangelicis, [Si in viridi ligno hæc fecerunt, in arido, quid facient?] sic videlicet viride lignum ac florens appellauit. Ostenditur præterea beato Moysi lignum a Deo: solus enim Pater Filium reuelat, qui eum etiam solus nouit; 1. Cor. 10. Luc. 23.

[nemo

Matth.11. [nemo namque nouit quis est Filius, nisi Pater.] Igitur per Christum, vitæ lignum, dulcia fiunt, quæ amara sunt, & tolerabilia, quæ minime ferri poterant, & ad vitam vtilia, quæ ex sua natura interitũ afferre consueuerant. PALLAD. Quonam modo? CYRILL. Siquidem verum est, labores, cum amari admodum sint, corpus interimere; animam vero æternæ vitæ participem efficere. Itaque dixit etiam beatus Paulus, [Cum infirmor, tunc potens sum. Et iterum, Etsi enim exterior homo noster corrumpitur, sed interior renouatur de die in diem.] Sed quis tandem velit labores tam acerbos perferre, nisi dulcem habeat spem in Christo? PALLAD. Nemo prorsus, opinor. CYRILL. Vide igitur (iam enim, Palladi, ea repetere necesse est, quæ a principio diximus,) Israelem in deserto sitientem, & aduersus sapientissimum virum Moysen murmurantem, & tamen in tantam animi abiectionem impune lapsum; neque enim pœnas luit, neque diuinæ iræ vltionem sustinuit, quamuis Deus eius criminis reos punire sit solitus. Est namque miseratione dignus ab initio, qui in exercitatione adhuc pro virtute suscepta labitur nonnumquam: at postea nimia illa paruitas animi, & effrenatus ad absurdas concupiscentias cursus expers est veniæ. Itaque in Numeris de filiis Israel narrant sacræ litteræ, [Et profecti sunt ex monte Dei itinere dierum trium; & arca testamenti Domini præibat illos ad explorandam ipsis requiem: & factum est, dum eleuaretur arca, dixit Moyses, Exurge, Domine, dissipentur inimici tui; fugiant omnes, qui oderunt te. Et dum deponeretur, dixit, Conuerte, Domine, mille myriadas in Israel: & nubes vmbram faciebat super illos per diem, cum proficiscerentur e castris: & erat populus murmurans pessime contra Dominum. Et audiuit Dominus & iratus est ira, & succensus est ignis in eos a Domino; & deuorauit partem quandam casttorum. Et clamauit populus ad Moysen, & orauit Moyses ad Dominum, & cessauit ignis; & vocatum est nomen loci illius, Succensio, quia succensus est in eos ignis a Domino.] Et post hæc rursus, [Et profecti ex monte Hor per viam maris rubri, circumierunt terram Edom; & fatigatus est populus in via, & detrahebat populus aduersus Deũ, & contra Moysen dicentes, Cur eduxisti nos de terra AEgypti, vt interficeres nos in deserto? neque enim est panis, neque aqua; & anima nostra perosa est panem hunc inanem. Et immisit Dominus in populum serpentes mortiferos, & mordebant populum; & moriebatur populus multus e filiis Israel.] Vides igitur, quemadmodum igni ac serpentibus ille susurrator, & murmurator populus consumptus sit. Proficiscuntur enim illi quidem ex monte Dei, cum illos arca præcederet, & illis requiem quæreret, Moyses quoque oraret, ac deprecaretur, nubes etiam illos contegeret: at illi panem de cælo datum inanem appellantes, plurimum de Deo, ac Moyse conquerebantur. Quamobcaussam necessario illi quidem ignis opus effecti sunt; hi serpentium morsibus continuo perierunt. PALLAD. Sed quidnam in vtroq. Scripturæ loco obseruandum est, quidve est mons Dei? CYRILL. Montem Dei, opinor, dicit Sina, in quem ille vniuersorum opifex, ignis specie descendit, ac visus est omni populo, sicut scriptum est, legesq. sanxit rerum agendarum; [constituit enim ibi filiis Israel iustificationes ac iudicia.] Ceterum qui olim illa sanxit, Christus fuit. Itaque leges illas per Moysen datas, sua verba vocat: ait enim, [Amen dico vobis, donec transeat cælum & terra, iota vnum, aut vnus apex non præteribit a Lege, donec omnia fiant: cælum, & terra transibunt, verba autem mea non transibunt.] Age igitur, historiæ crassitudinem relicta, spiritualium sensuum subtilitatem contemplemur. Igitur, qui iam Dei aspectu atque cognitione dignati sunt, splendoremque diuinæ naturæ mentis oculis velut in monte, id est, in supre-

Margin notes: 2. Cor. 12. (beside "re. Itaque dixit etiam beatus Paulus"); 2. Cor. 4. (beside "rum, Etsi enim exterior"); Num. 10. 11. (beside "pers est veniæ"); Exo. 15. (beside "scriptum est, legesq."); Matth. 5. (beside "que leges illas"). Section letters A, B, C, D in right margin.

A in supremam, sublimique admodum excellentia conspexerunt, (nam illa Dei gloria ac natura vltra omnia est) qui quodam modo se ipsos Christo per fidem exhibuerunt, & eius verba audierunt, atque obedientiam polliciti sunt, (nam id quoque tum fecit Israel, cum dixit, [Omnia, quæcumque dixit dominus Deus tuus, faciemus, & audiemus]) ij diuina illa prouidentia, quæ iam domesticis conuenit, perfruentur; neque diuinæ erga se curæ, quatenus illis ad salutem sit satis, expertes erunt; ipsum enim habebunt ducem, & propugnatorem, ac præcursorem, qui illis requiem exploret: primus namque Christus propter nos ac pro nobis Satanæ olim victori, se se opposuit, cum ieiunauit, ac tentatus est in deserto, vt nos illum victum, & abiectum, & sub nostris pedibus prostratum videntes, requiem haberemus. Itaque etiam dicebat, [Pressuram habebitis in mundo: sed confidite, ego vici mundum.] Et iterum, [Ecce dedi vobis potestatem calcandi super serpentes, & scorpiones, & super omnem potestatem inimici.] Primus propter nos, & pro nobis cum Morte congressus, illius quidem imperium dissoluit, nobis vero requiem prouidit, cum ad immortalitatem nos renouasset. Primus in Paradisum introiuit, cum veluti cohibuit illam versatilem rhomphæam, peccatumque a nobis auertit, quod nos ab ingressu prohibebat: exoluit enim ipse pro nobis debita: & [liuore eius sanati sumus,] sicut scriptum est. Primus ascendit ad Patrem, & Deum, cum superum illum ingressum nobis initiauit, & supernas illas mansiones præparauit: itaque etiam dicebat, [Vadam, & præparabo locum vobis.] Præfigurabatur igitur in arca Christus: extructa enim erat illa ex lignis imputribilibus, diuinamq. legem in se tegebat, quæ est verbum Dei. Videre autem licet illud in Christo mysterium, cum hac quoque re congruere. Deus enim verbum erat in incorruptibili templo. Præibat igitur arca prouisura filiis Israel requiem: præit etiam nos Christus iis modis, quos modo diximus: ac

Exo.14. *Ioan.16.* *Luca 10.* *Esa.53.* *Heb. 10.* *Ioan.14.*

C præterea mediatoris munus implens, aduocatus fit apud Patrem, ac propitiatio pro nobis; vt olim quoque Moyses, qui, dum proficisceretur arca, dicebat, [Exurge, Domine, dissipentur inimici tui, & fugiant omnes, qui oderunt te.] Cum vero deponeretur, [Conuerte, Domine, mille myriadas in Israel.] Cum enim exurrexit ad nos adiuuandos ille Vnigenitus, qui olim Psallentis voce dicebat, [Propter miseriam inopum, & gemitum pauperum, nunc exurgam, dicit Dominus;] tunc ceciderunt hostes, ac fugerunt, qui aduersabātur & aduersus Dei gloriā pugnabant: triumphauit enim in cruce Principatus, & potestates, ac mortuus destruxit principem sæculi huius, sicut scriptum est: ac, posita quodammodo, & ad finem perducta tota dispensatione per resurrectionem ex mortuis, & ascensum in cælum ad Patrem, vniuersam terram conuertit, & mille myriadas suos effecit adoratores: [cum enim, dicebat, exaltatus fuero a terra, omnes traham ad me ipsum.] Igitur illa Moysi oratio non

1.Ioan.2. *Num.10.* *Psal.11.* *Coloss.2.* *Ioan.12.*

D absurde figura interuentionis Christi fuerit, cum ex humano habitu nobis res præclarissimas a Deo & Patre orat ac postulat. Vt enim beatus Ioannes ait, [Aduocatum habemus apud patrem, Iesum Christum iustum; & ipse est propitiatio pro peccatis nostris; non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi.] Præterea ipsum habemus protectorem, vt qui in nube adumbrante intelligatur: audiat enim is, qui fide, quam in illum habet, iustificatur, [Per diem sol non vret te, neque luna per noctem.] Dicunt etiam quidam in illa secundum Euangelicam parabolam, distributione mercedis, [Nos portauimus pondus diei, & æstum;] vehementem, nisi fallor, & acrē efferatarum voluptatum, aut fortassis etiam tentationum vim ad vrendum, æstum ac diei pondus appellantes: adiutor igitur & protector in salutem factus est nobi Christus.

1.Ioan.2. *Psalm.120.* *Matth.20.* *Exod. 15.*

Quicun-

Quicumque igitur posteaquam Dei aspectu dignati sunt, ac diuinas prædicationes audierunt, & per professionem credendi factam, veluti iam dicto se audientes fore polliciti, deinde in peius commutati reprobauerint illum præeuntem ac ducem, Christum inquam, qui illis requiem prouidet, qui vt in mediatoris persona pro illis interuenit, qui vt in figura nubis intelligitur protector; ij aliquando tandem iustissime, suæ ipsorum stultitiæ ratione repetita, sæuas ignibus pœnas luent: hocq. illud est, opinor, quod ipse quoque sapiens vir Paulus dixit, [Voluntarie enim peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis, non amplius pro peccatis relinquitur hostia, sed terribilis quædam expectatio iudicij, & ignis æmulatio, quæ cõsumptura est aduersarios.] PALLAD. Igitur, qui totam dispensationem eam, quæ in Christo intelligitur, peccati culpa reprobauerint, esca ignis erunt. Illa porro murmuratio, vt videtur apostasin significat, & nolle eos ab illo profectam salutem libenter amplecti, quamuis gustauerint Dei gratiam, & rerum iam præteritarum experimentum, pro firmo futurarum pignore teneant. CYRILL. Ita, inquam. Alteri quoque, pusillo animo cum essent, ad eundem modum conquerebantur, & ignauiter aduersus Deum, & Moysen susurrabant, panem vacuum appellantes manna illud e cælo datum. Sed a serpentibus perierunt: qui enim ingratitudine sua illum omnium hominum Saluatorem ac Redemptorem contemnunt, neque vllo numero libertatis gratiam habent, ac præterea viuificum ipsius verbum, & Spiritus sancti donum vt inutile carpũt, in morsus cruenti serpentis incident. Qui vero in tam graues culpas lapsi non sunt, vna cũ nequitia imminens quoq. illi supplicium ac pœnas effugient, & hostes superabunt: super aspidem quippe ac basiliscum ambulabunt, & conculcabunt leonem, & draconem. Conclusum est igitur, & ipsarum rerum gestarum testimonio nobis comprobatum, periculosum esse, qui iam exercitati sunt, ac nonnullam curam atque operam impẽderunt, vt e laboribus laudem consequerentur, sed versati iam & assueti ad sudores pro virtute suscipiendos, eos desidia torpere, & ignauiam se deiicere. PALLAD. Conclusum & quidem vere. CYRILL. Asseuerabat vero nostra oratio, non modo Deo odiosum esse, & pœnæ obnoxium crimen, murmurare contra Deum; & sic deiicere animum vt ipsa pusillanimitas quædam sit de Conseruatoris benignitate cõquestio atque accusatio, quãuis exigui in medio labores existant, sed etiam æque execrandum esse, remissiorem, ac solutiorem vitam quærere; cumque sit in promptu, diuinis muneribus sine culpa frui, & supernis, & Spiritu sancto inspiratis sermonibus enutriri; ad caducas potius voluptates, & impuras carnis cupiditates effrenate ferri: nam res vitiosas præferre, manifesta est optimarum, ac salutarium iniuria; estq. ille animi calculus in primis nefarius, quo terrena, quamuis maximam in se turpitudinem contineant, cælestibus anteponuntur; ac recte hos propemodum lacrymis prosequitur propheta Esaias cum dicit, [Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum; qui dicitis dulce amarum, & amarum dulce; qui ponitis tenebras lucem, & lucem tenebras.] Huiusmodi grauibus culpis irretitos inueniemus filios Israel: postquam enim dederunt suæ murmurationis pœnas, vicino statim, & adiuncto morbo turpissimarum rerum concupiscentia laborauerunt. Nam, cum Dei munera quodammodo respuerent, atque cælestia dona non sine impietate moleste ferrent, necessario aduersum se iudicem commouerunt. Scriptum est enim, [Promiscuus, qui erat in ipsis concupiuit concupiscentiam, & sedentes flebant filij Israel. Quis nos cibabit carnibus? recordati sumus piscium, quos comedebamus in AEgypto gratis, & cucumerum, & porrorum, & ceparum, & alliorum: nunc vero anima nostra arida est; nihil nisi in manna sunt oculi nostri

Marginalia: Heb. 10. — Psal. 90. — Esai. 8. — Num. 11. — A — B — C — D

A li nostri. Et audiuit, inquit, Moyses illos flentes per populos suos, vnumquemque in ianua sua; & iratus est ira Dominus valde, & coram Moyse visum est malum.] An indignum ira diuina crimen, & sanctorum virorum iudicio minime damnandum putas, homines iam exercitatos ad eam mollitiem & ignauiam cogitationum peruenisse, vt impotenti cupiditate redeundi ad tam absurdas impuritates laborarent? & tanta intemperantia dissoluti essent, vt pueriliter deflerent veluti acrem illum concupiscentiæ impetum non ferentes? PALLAD. Recte ais. CYRILL. Cum vero Moyses æstuaret, & hac de caussa grauiter anxius esset, atque aperte clamaret, se nunquam populum, qui adeo facile ad vecordiam & apostasim spectaret, solum posse sustinere, viros numero septuaginta, eius curæ socios, & adiutores elegit Deus, quos etiam Sancti spiritus dono insigniores effecit: (prophetarunt enim in castris) atque ad Moysen ait, [Et populo dices, Sanctificamini in crastinum, & comedetis *Num.* 11.
B carnes quoniam fleuistis ante Dominum dicentes, Quis nos cibabit carnibus? quia bonum nobis est in AEgypto: & dabit Dominus vobis carnes ad comedendum, & comedetis carnes, non vno die comedetis carnes, neque duobus, neque quinque diebus, neque decem diebus, neque viginti diebus, vsque ad mensem dierum comedetis, donec exeat ex naribus vestris, & fit vobis in choleram: quoniam rebelles fuistis Deo, qui est in vobis, & fleuistis coram eo, dicentes, Quid opus erat nobis exire ex AEgypto?] Grauiter enim ferebat ille Redemptor Israelem ipsam quoque seruitutem non curare, & AEgypti labores carnium, & olerum pessime olentium desiderio, pro nihilo ducere. Nobis ipsis quoque sæpenumero ardentes, atque acres voluptates persuadent, leuem putare illam sub Diaboli dominatu seruitutem, neque refugiendum, pro corruptibilibus terrenisq. cupiditatibus peccati iugum. Sed tum quoque concessit carnibus vesci non vno, neque decem, sed triginta diebus; quo significatur
C diuinæ in illos iræ diuturnitas: permittit etiam nunc iis, qui intemperanter ad mundanas voluptates inhiant, vt, si libet carnalibus cupiditatibus, & quidem interdum longiori tempore fruantur; sic enim dicitur tradidisse quosdam in reprobum sensum, vt facerent, quæ non conueniunt. Sed illis cibus ille versus *Rom.* 1.
est in choleram: & iis itē, qui carnalia diligunt, & manna illi spirituali, hoc est, verbo Dei res corruptibiles, atque terrenas præferunt, in mortis exitum desinet ille conatus, hocque illud est, opinor, [Qui seminat in carnem, de carne *Galat.* 6.
metet corruptionem.] Fortassis autē ab eiusmodi morbo illa leuatio est, [Spiritu ambulate, & desideria carnis non perficietis: caro namque militat aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem: hæc enim sibi inuicem aduersantur.] *Galat.* 5.
Nam si voluissent Israelitæ putare, ad voluptatem sibi satis esse, quod manna tribueretur, quod est panis angelorum intelligibilis, & figura dulcedinis eius, quæ per Spiritum datur, nunquam perfecissent concupiscentiam carnis, neque
D corruptionem ex illa messuissent. Notissima vero fuerunt illius populi monumenta: ibi namque, inquit, sepelierunt concupiscentem populum, iuxta illud, [Erunt in visionem omni carni:] & qui illo malo affectus est, populus concupiscens est apellatus, iuxta illud, opinor, quod est de quibusdam dictum, [Quorum gloria in confusione ipsorum:] a peccato enim deducta est eorum appellatio, & misero quodam modo super mortuis sempiterna ignauiæ exprobratio, & earum rerum nota, ex quibus condemnabantur, pro titulo quodam inscripta. PALLAD. Ita est. CYRILL. Iis igitur, qui reuera discipuli esse velint, summopere vitanda est illa in laboribus impatientia, & iners murmuratio, & ingrata vani sermonis iactatio, & quod magis, quam cetera, nefarium est, cauendum, ne inquinamenta expetamus ea, quæ de nequitia & carnis cupidi- *Num.* 11. *Esai.* 66. *Philip.* 3.

nis cupiditatibus proficiscuntur: qui enim sic affectus est, vacillat in vtramque A
Eccl. 2. partem, & rationis tibias claudicantes habet: scriptum est enim, [Væ cordibus timidis, & manibus dissolutis, & peccatori ingredieti per duas semitas.] Oportet autem mea quidem sententia patientiam, & sustinendi tolerantiam in ma-
Matth. 16. ximis rebus numerantes, meminisse Christi dicentis, [Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me], hoc est, Si quis voluerit meus esse discipulus, eundem cursum passionum, quem ego tenui, alacriter sequatur, ac veluti eandem viam ingrediatur, & diligat: is enim mecum vna requiescet, & simul versabitur: hoc namque nobis ipse petebat
Ioan. 17. a Deo, & Patre, cum diceret, [Volo, vt, vbi sum ego, ibi etiam ipsi mecum sint.] Aliter quoque simul cum Christo sumus, cum ambulamus quidem super terram, non tamen carnaliter, sed spiritualiter conuersamur: &, quod ei placuerit, id pro diuersorio ac requie habere studemus. Habes in Numeris scri-
Num. 9. ptam huius rei figuram, [Et die, inquit, qua statutum est Tabernaculum, B texit nubes Tabernaculum, Domum testimonij; & vesperi erat super Tabernaculum velut species ignis vsque mane: ita fiebat semper, nubes tegebat illud die, & species ignis nocte; & cum ascendisset nubes a Tabernaculo, postea promouebant filij Israel; & in loco, vbi steterat nubes, ibi castra collocabant filij Israel: per præceptum Domini castra collocabunt filij Israel, & per præceptum Domini promouebunt: omnes dies, in quibus obumbrat nubes supra Tabernaculum, in castris erunt filij Israel; &, cum produxerit nubes supra Tabernaculum dies plures, custodient filij Israel custodiam Dei, & non promouebunt: & erit, cum texerit nubes dies numero super Tabernaculum, per vocem Domini in castris erunt, & per præceptum Domini promouebunt: & erit cum fuerit nubes a vespere vsque mane & ascenderit nubes mane, & promouebunt die, vel nocte, & ascenderit nubes, promouebunt die, vel mense diei abundante nube, & obumbrante super illud, in castris erunt C filij Israel, & non promouebunt; quoniam per præceptum Domini promouebunt: custodiam Domini custodierũt per præceptum Domini in manu Moysi.] Erecto sancto Tabernaculo in deserto, nubem ait illud impleuisse; deinde simul cum illo proficisci, simulq. sistere filios Israel iussisse Deum, identidem accuratissime profectionum tempora obseruare præcipientem: quo ipso iis, qui desides esse vellent, indicauit periculosam esse eius rei transgressionem. Atque hæc quidem, quod ad historiam pertinet, dicta sunt. Iam vero idem spiritualiter contemplemur. Simul enim atque erectum est, & exortum super terram illud verissimum Tabernaculum, idest, Ecclesia, repletum est gloria Christi: nam, quod vetus illud Tabernaculum opertum est nube, nihil aliud, mea sententia, nisi hoc significat. Sua igitur gloria Christus impleuit Ecclesiam; & iis quidem, qui in inscitia, & errore, tamquam in nocte ac tenebris versantur, ignis instar effulget, spiritualem nimirum illustrationem immittens; iis D autem, qui iam illuminati sunt, & quorum in corde spiritualis illuxit dies, a se vmbram protectionemque largitur, ac spirituali rore, idest, supernis & per Spiritum adhibitis consolationibus illos impinguat: hoc enim est, quod tamquam ignis specie videtur per noctem, nubis autem specie per diem. Nam adhuc pueris illustratione atque illuminatione opus erat, quæ illos ad Dei cognitionem adduceret: ij vero, qui supra hos erant, iamque per fidem illustrati, protectione, atque auxilio indigebant, vt æstum præsentis vitæ ac
2. Timo. 3. pondus diei perferre fortiter possent: nam [omnes, qui volunt pie viuere in Christo, persecutionem patientur.] Porro, discedente nube, Tabernaculum quoque simul proficiscitur; & consistente, simul consistit; & vna cum illo idem

A lo idem faciebant filij Israel: Christum enim vbique sequitur Ecclesia, sanctaq.
illa multitudo credentium ab eo, qui vocat in salutem, nunquam disiungitur.
PALLAD. Quidnam vero profectionem nostram, atque itineris cessatio-
nem, præeunte ac deducente Christo, intellecturi sumus? CYRILL. Nul-
lum est inter hæc Scripturæ verba, mea quidem sententia, discrimen; cum tam
hoc ipsum, simul cum nube proficisci, quam illud, simul consistere, figuram vo-
luti quandam ostendat nostræ voluntatis, qua cum Deo esse cupimus: tamen,
vt ad intelligentiam, quam maxime fieri poterit subtilem, animum appella-
mus, illud dicemus, primam quidem profectionem esse, qua ab infidelitate ad
fidem, & ab ignorantia ad cognitionem, & ab inscitia illius, qui natura vere-
que Deus est, ad claram eius notitiam, qui vniuersarum rerum & dominus &
conditor est, proficiscimur. Profectio autem post hanc modo dictam secunda
est, eaq. perutilis, cum a nequitia atque intemperantia eo tendimus, vt iam
B libeat meliora tum sentire tum facere. Hac præstantior est tertia & gloriosior,
cum ex eo statu, cui aliquid desit, ad perfectionem factorum simul & dogma-
tum transimus. An non paulatim ad augmentum, quod in Christo intelligi-
tur, tendimus, cum proficimus in virum perfectum, & ascendimus in mensu- Ephes.4.
ram ætatis plenitudinis eius? Atque hoc illud est fortasse, quod beati Pauli vo-
ce nobis canitur, [Eorum, quæ retro sunt, oblitus; in ea vero, quæ ante sunt, Philip. 3.
extentus, ad destinatum persequor ad brauium supernæ vocationis.] Cum igi-
tur spiritualiter ex ignorantia ad cognitionem, ex inscitia ad scientiam, ex in-
fidelitate ad fidem proficiscimur, ac semper in virtutibus proficimus, nonne
in locum ex loco demigramus; & ex certa quadam affectione, aut habitu in
alium nos transferentes; iis, qui iter faciunt, nonne quamsimillimi quodam-
modo videmur? PALLAD. Intelligo quod dicis. CYRILL. Atqui
neque vt a nequitia proficiscatur, neque vero vt ad meliora perueniat, & quo-
C dammodo diuertat, consequi poterit quisquam, nisi Christo comite ac duce.
Itaque sanctis illis discipulis dicebat; [Sine me nihil potestis facere.] Igitur ex Ioan.15.
eo quod est simul proficisci, nube proficiscente, simulq. cum quiescente quie-
scere, hoc declarari per ænigma videtur, vna cum Deo esse, & omnia cum illo
facere. Verumtamen, inquit, per præceptum Domini promouebunt: & hoc Num. 9.
mea sententia significat; qui Christum sequi statuerint, eos etiam sermone,
qui ad fortitudinem, atque honestatem, quæ sanctos decet, exhortetur, in-
digere: ait enim, [Omnia honeste & secundum ordinem fiant.] Eius item rei 1. Cor.14.
figura est id, quod consequenter scriptum legimus; sic enim inquit Deus ad
Moysen sacrorum interpretem, [Fac tibi duas tubas ductiles; argenteas facies Num.10.
eas, & erunt tibi ad conuocandam Synagogam, & ad castra mouenda: & ca-
nes in illis; & congregabitur omnis Synagoga ad portam Tabernaculi testimo-
nij. Quod si in vna cecinerint, venient ad te omnes principes duces Israel: &
D canetis signum secundum, & proficiscentur castra, quæ tetenderunt ad Orien-
tem: & canetis signum alterum, & promouebunt castra, quæ tetenderunt ad
Austrum: & canetis signum tertium, & promouebunt castra, quæ tetenderunt
ad Mare: & canetis signum quartum, & promouebunt castra quæ tetenderunt
ad Aquilonem: signa canent in promotione eorum: sed, quando congregabi-
tis Synagogam, tuba canetis quidem, sed non signum. Et filij Aaron sacerdo-
tes canēt tubis: & erit vobis legitimum sempiternum in generationes vestras.]
PALLAD. Quid igitur illud tubarum par esse dicimus? quidve signorū dif-
ferentias? ductiles præterea & ex argēto qua de caussa fieri iussit? CYRILL.
Duo quidem tubæ duplex est in Ecclesiis genus ad hortandum accommodatæ
prædicationis, quorum alterum ad recta dogmata credentes perducit, ac per-

uerſorum hominum ſermonem velut adulteratum notat; qualis. ſermo eorum A
1. Timo. 4. erat, qui prohibebant nubere, & abſurdiſſime docebant abſtinere a cibis, quos
Deus creauit, ad percipiendum fidelibus: in his recenſuerim etiam Iudæorum
doctores; qui id quod erat diuina lege probatum atque ſancitum, tamquam ſci
licet obſoletum eſſet, abiicientes, neque vllo numero habentes, in ſuis doctri-
nis, humanisq. mandatis diſcipulos acquieſcere iubebant. Alij quoque non-
nulli eos circũcidi, qui fide iuſtificati eſſent, ſtulte docebant, vt in aliena carne
Galat. 6. gloriarentur, vt ſcriptum eſt: ſed de illis dictum eſt, [Foris canes, foris mali ope-
Apoc. 22. rarij.] Alterum vero genus ad morum correctionem ducit, & illius in Chriſto
Philip. 3. conuerſationis viam declarat. Argenteæ ſunt porro tubæ: in quo propria me-
talli natura prædicationis vtriuſque ſplendorem ſummamq. ſinceritatẽ elegan
ter oſtendit. Tubis vero euocetur, inquit, ad Tabernaculum populus. Prædica-
tione enim eos, qui velut in priuatis tabernaculis degunt, ad Eccleſias congre-
gamus: quos, vbi conuenerint, etiã hortamur, vt a minus honeſte factis ad ea, B
quæ ſanctificatos homines decent, proficiſcantur, atque vt a nequitia ad bo-
nos mores quodammodo demigrent, præclare docemus. An vero negari po-
teſt, quin prædicatio facilem obſequentemq. hominem, & illius in Chriſto vi-
tæ verum amatorem, ad rectam dogmatum ſententiam, ac morum correctio-
nem perducat? PALLAD. Ita fateor. CYRILL. Igitur duæ ſunt tubæ,
quæ populum ad Tabernaculum cogunt. Sed ſi vna tuba cecinerint, inquit, Ve-
nient ad te omnes principes duces filiorum Iſrael. Egent enim, vt opinor, admo
nitione atque exhortatione illi quoque, qui perfectiore ſunt habitu; ſed non
tanta, quantam requirit cetera multitudo: ob eamque rem alios quidem om-
nes duæ vix conuocant tubæ, ſed eximios vna; ſapienti namque pauca ſunt ſa-
Prouer. 9. tis; & occaſionem ſi acceperit, adiiciet reliquum, iuxta illud, [Da ſapienti oc-
caſionem, & ſapientior erit: notum fac iuſto, & adiiciet accipere.] Deinde iuſ-
ſit, vt quatuor darentur ſignorũ differentiæ, quibus caſtra mouerentur, ac pro- C
ficiſcerentur, qui ad Orientem & Occidentem, Aquilonem & Auſtrum eſſent:
per hoc igitur arbitror quatuor Euangeliorum libros ſignificari, per quos dog-
matum ſimul ac morum ſcientia vniuerſus orbis imbuitur. Ac ſi aliud quid-
piam excogitandum dicendumq. ſit, nihil cunctabimur; & inertiæ ac labori vti-
litatis conſiderationem præferemus. Noſtræ igitur prædicationis quatuor di-
ſcrimina reperiemus, per quæ vniuerſus orbis optimam, ac reuera probatiſſi-
mam vitæ rationem tenebit; vnum ac primum, quo ad veritatis cognitionem
ac luminis diuini ſuſceptionem, vocare conſueuimus eos, qui creaturæ potius
Rom. 1. quam creatori ſeruiunt, ac ſtulte ligno dicunt, [Pater meus es tu; & lapidi,
Hiere. 2. Tu me genuiſti,] vt prophetæ verbis vtar: iis autem qui iam crediderunt, tria
reliqua prædicationis genera apte conuenient; ſiquidem etiam tria eſſe vitæ ac
conuerſationis genera Saluator docuit; dixit enim, iacta illa in terram bonam
Matth. 13. ſemina feciſſe fructum, vnum quidem centeſimum, alterum vero ſexageſimum, D
tertium denique trigeſimum. Horum igitur vnicuique genus item eſt quoddam
ſermonis maxime conueniens: neque enim recte fecerimus, ſi legitimis nuptiis
coniunctos, ob eamque rem Deo ac mundo diuiſos; & eos item, qui præſtan-
tiſſimam ac religioſam vitam, aut aptam ſacerdotali muneri ſuſceperunt; iiſ-
dem ſermonibus nullo diſcrimine iuuandos putauerimus; ſed illis quidem di-
1. Cor. 7. cemus, [Alligatus es vxori? noli quærere ſolutionem; ſolutus es ab vxore? no-
li quærere vxorem;] & quæcumque alia matrimonio iunctis & ſentire conue-
nit & facere: religioſis autem, & qui ſeuerioris vitæ aſperitatem tolerare de-
Coloſſ. 3. creuerint, [Mortificate membra veſtra, quæ ſunt ſuper terram, fornicationem,
Rom. 8. immunditiã, libidinem, concupiſcentiã malam,] & illud, [Non ſunt condignæ
paſſiones

A passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis:] iis denique, qui ad sacerdotium vocati fuerint, [Labia sacerdotis custodiant scien tiam, & legem exquirent de ore eius;] & quæcunque ad Timotheum scribens iubet vir sapientissimus Paulus. Num igitur hæ, quas e Scripturis attuli narrationes, ab eo, quod deceat, aberrant, & eo detorquentur, quod minime rectum sit? PALLAD. Minime vero. CYRILL. Illud autem animaduertas velim, Deum iis dumtaxat, qui sacerdotes electi essent, tubarum vsum tribuere; quod populi scilicet doctoribus, & sacerdotibus consecratis assignet, vt opinor, prædicationem, quæ de mysteriis doceat, & ad virtutem expetendam instituat. Itaque ob eam caussam, vt ego existimo, dicit Moysi, [Fac tibi duas tubas:] eamq. rem veluti lege confirmans, [Et filij, inquit, Aaron sacerdotes canent tubis; & erit vobis legitimum sempiternum in generationes vestras.] PALLAD. Igitur signorum modos, sermonem vnicuique statui bene ac laudabiliter viuentium, apte & accommodate exhibitum accipiemus. Ita simul quoque cum nube promouebimus, simulq. ab itinere cessabimus; hoc est, simul cũ Christo spiritualiter ambulabimus, simulq. requiescemus. CYRILL. Recte ais. Sic namque sentire persuadet prophetæ quoque dictum, quod sic habet. [Et nunc, Israel, quid dominus Deus exquirit a te, nisi facere iudicium, & diligere misericordiam, & promptum esse ad ambulandum cum domino Deo tuo?] PALLAD. Atqui rem quidem esse manifeste præclaram ac plurimi faciendam, & quæ fortitudinis opinionem conciliet, ambulare cum domino Deo, quis neget? Sed tamẽ illud rursus mihi explices velim, quidnam sit, [Promptum esse.] CYRILL. Faciam vero: cur enim negem? Si enim in promptu sit nobis positum, vt quæ Dei sunt & sentiamus, & celeriter faciamus, nihilq. sit, quod prohibeat aut pertrahat in reprobum sensum, hoc illud est, mea quidem sententia, [promptum esse ad ambulandum cum Deo.] PALLAD.

Malach. 2.

Num. 10.

B

Mich. 6.

C Quos vero omnino dicimus eos, qui Deum sequi cupiant quidem, non tamen id ex toto animo velint efficere, sed præ ignauia succumbant, & asperatum rerum tolerantiam vitent? CYRILL. Qui, cum tardiores sint, & vix eo vsquè progrediantur, vt ea sapere velint, quæ Deo placent, non tamen integro, totoq. animo sanctæ conuersationi adhærescunt; qui sui studij, atque alacritatis exiguam partem diuinæ caritati tribuunt, reliquum vero omne perdite & intemperanter in huius vitæ distractionibus laboribusq. inutilibus acerbisq. curis consumere statuerunt: quorum figuram non absurde tenent filij Ruben, & Gad: scriptum est enim item in Numeris, [Et pecorum multitudo erat filiis Ruben, & filiis Gad, multitudo copiosa valde. Et viderunt regionem Iazer, & regionem Galaad; & erat locus, locus pecoribus; & accedentes filij Ruben, & filij Gad, dixerunt ad Moysen, & Eleazar sacerdotem, & ad principes Synagogæ dicentes; Ataroth, & Debon, & Iazer, & Nambra, & Sebon, & Eleale, &

Num. 32.

D Sabama, & Naua, & Bæan terra, quam dedit Dominus coram filiis Israel, apta est pecoribus pascendis; & seruis tuis sunt pecora. Et dixerunt, Si inuenimus gratiam coram te, detur hæc terra seruis tuis in possessionem, & ne transferas nos trans Iordanem. Et dixit Moyses filiis Gad, & filiis Ruben, Fratres vestri eunt ad bellum, & vos sedebitis hic? & cur peruertitis mẽtes filiorum Israel, vt non transeant in terram, quam dominus Deus dat ipsis?]. Deinde, exprobrata illis parentum contumacia, & iis commemoratis, quæ ea de caussa ipsis euenerant; mortui namque sunt, inquit, in deserto, cum Promissionis terram, vt ita dicam, ne aspexissent quidem: infert iterum, [Et ecce surrexistis pro patribus vestris, conspiratio hominum peccatorum, vt adiiciatis adhuc ad iram indignationis Domini aduersus Israel, quia auertemini ab ipso, vt adiiciatis adhuc, vt

huc, vt derelinquatis ipsum in deserto; & peccetis in vniuersam congregationem hanc. Et accesserunt ad ipsum & dixerunt, Caulas ouium ædificabimus nobis hic pecoribus nostris, & vrbes impedimentis nostris, & nos armati in primo ordine ante filios Israel, quousque perducamus ipsos in locum ipsorum: & erunt impedimenta nostra in vrbibus mutatis propter habitatores terræ; neque reuertemur ad domos nostras, quousque diuidantur filij Israel vnusquisque in possessionem suam, & non amplius possidebimus inter eos a trans Iordanem & vltra; quia recepimus possessiones nostras in loco trans Iordanem in Oriente.] Intelligis pecorum alendorum, & possessionum cura, amoreque erga vxores ac liberos detentos eiusmodi homines nullo modo prorsus transituros fuisse Iordanem, atque adeo ne attingere quidem omnino vllam belli ac pugnæ partem ausuros, neque cum aliis in communionem gloriæ ac speratorum bonorum venire curaturos; cum præcipuum illis & optandum in primis videretur, ibi remanere, ne iniecto quidem, vt ita dicam, in Iordanis fluenta pede: sed, exprobrante Moyse, diuinamq. iram vt pertimescerent ac formidarent, admonente, vix tandem pollicentur se vna cum ceteris transituros esse Iordanem, atque cum illis labores in bello atque pugna communicaturos; nō tamen ea spe tamquam participes possessionum vna futuri sint, quod possessionem trans Iordanem recepissent. Horum persimiles sunt nonnulli, qui, cum præsentis vitæ curis districti sint, totumque cor iis rebus sapiendis, quæ sunt super terram, quodammodo dedicarint, in rebus necessariis vix exiguam curam collocant, & ea quæ Dei sunt, inter seria minime numerant. [Multi namque sunt vocati, pauci vero electi.] Qui igitur, quod ad fidem attinet, inter vocatos censentur, neque tamen etiam inter electos numerantur, quod sint ad voluptatem remissiores; ij nonnumquam vel ad ipsam sancti Baptismatis gratiam tardi sunt ac pigri admodum: horrent autem pro Dei gloria, suæque vtilitatis caussa labores tolerare, qui sanctos decent, & vna cum veris Dei seruis persecutionem pati, quamuis tempus id efflagitet: sed, exprobrante illis Dei lege, atque diuina nonnunquam ira eos deterrente, ad salutare Baptisma grauate veniunt, & labores cum electis participant vel vna cum ceteris remissius ieiunando, vel simul zelum assumendo interdum, cum oppugnantur Ecclesiæ: non tamen etiam animum inducunt, vt, quæ in mundo sunt, contemnant; sed ad terrenarum rerum voluptates atque oblectationes, veluti ad attributam sibi possessionem, redeunt: ideoque recte sententiæ amatoribus, & pietatis colendæ studiosis dicebat Christus, [Attendite ne forte grauentur corda vestra curis & solicitudinibus sæcularibus.] An vero, Palladi, non eam rem perniciosam esse fateris? PALLAD. Quidni fatear? CYRILL. Atqui, si in ea, quæ scripta sunt, acres animi oculos conieceris, mirum in modum huius imaginis pulchritudinem admiraberis. PALLAD. Quonam modo? CYRILL. Qui pecorum alendorum caussa, liberorumq. & vxorum, necnon caularum & ædificiorum studio, ignaui ad res præclaras facti sunt, Ruben & Gad fuerunt. PALLAD. Quid vero illud est? CYRILL. Hic enim erat ex Iacob primogenitus, alter ex ancilla Zelpha editus. PALLAD. Verum est. CYRILL. Igitur vocati homines, sunt illi quidem propter fidem primogeniti, hæreditatemq. apud Deum, quod ad gratiam pertinet, eximiam sortiti; sed tamen propter propensam ad res parum honestas voluntatem, non sunt libertatis amatores; eos porro qui fide iustificati sint, Ecclesiam primogenitorum descriptorum in cælis appellatos esse dicimus. Verū is primogenitus minime libertatis amator fuit, sed comes potius ac sodalis eorum, qui seruitutis dedecus non effugerunt. PALLAD. Præclare dicis.

Margin: A (at "congregationem"); B (at "in Iordanis"); Matth. 10. (at "curam collocant"); C (at "vna cum"); Luc. 21. (at "bus, & pietatis"); D (at "liberorumq."); Heb. 12. (at "sint, Ecclesiam")

A CYRILL. Sed mihi iam, dura oratio subit littus, ac veluti rudentes iacit, repetendum atque rursus commemorandum videtur, oportere ea omnia fortiter aggredi, quæ sunt vtilia, putandumq. labores exercitationẽ esse virtutis, neq. aliter existimandum, quam Deum esse, qui salutem exercitationẽ præstat, quiq. aduersarios, licet multo maioribus viribus, quam nostræ sint irruant, vt vincere possimus, largitur. Nam haud inutiliter insudare, cum pro virtute labores toleramus, docebit Moyses, qui dicit in Deuteronomio, [Et recordaberis totius viæ, per quā duxit te dominus Deus tuus in deserto; vt affligeret te, & tentaret te, & cognita faceret, quæ sunt in corde tuo, si obseruabis mādata eius, an nō.] Neq. vero ille sinit nos ignaua formidine laborare, cum suam illam protegentis manum aspicimus. Itaque rursus ad hunc modum scribit; [Si vero dixeris in mente tua, Maior est numero gens hæc quam ego; quomodo potero exterminare illos? non timebis illos: memoria memor eris eorum omnium, quæ fecit B dominus Deus tuus Pharaoni, & omnibus AEgyptiis, tentationum omnium, quas viderunt oculi tui, signorum prodigiorumque magnorum illorum; & manus illius potentis, & brachij excelsi, vt eduxerit te dominus Deus tuus; sic faciet dominus Deus vester omnibus gentibus, quas tu times a facie ipsarum.]

Deut. 8. Aug. Deut. 7.


FINIS LIBRI QUINTI.





SANCTI CYRILLI ARCHIEPISCOPI ALEXANDRIAE

DE ADORATIONE IN SPIRITV ET VERITATE



LIBER SEXTVS.

Ei, qui secundum naturam Deus est, soli nos adhærere oportere, & illum ex tota anima, totoq́ corde diligere.



E Christiana quidem fortitudine roboreq. spirituali di- A
ctum est a nobis, vt videtur, Palladi, satis; quibus vero in rebus hæc a nobis præstari possint, rursus, vt arbitror, circumspicere necesse est. PALLAD. Recte dicis. CYRILL. Age igitur, mentis oculos circumquaque versemus, iisq. in accuratam actionum nostrarum considerationem iniectis, diligenter aspiciamus, quam ingredientes viam, clari esse, & illa pro recte honesteq. factis approbatione velut corona quadam ornari possimus: an tibi parum recte sapere videor, qui in his rebus quid probandum sit, decernere velim? PALLAD. Prorsus rectissime: nam etiam ipse non negauerim prius ad fortitudinem incitari oportere, atque ita ea esse amplectenda, per quæ clarus esse, rectaq. ad vitam culpa carentem peruenire quisque possit. CYRILL. Iam igitur ordiamur. Totius quidem domus firmitas est fundamentum; nauis vero B
initium carina; eius autem, qui virtutis munus exequi velit, fundamentum ac basis & initium est cognitio veritatis, ac de fide in eum, qui vnus, ac natura
Esai. 7. & vere Deus est, sincera prædicatio: [nisi enim credideritis, non intelligetis,] inquit sacra scriptura: quod si nihil ex iis, quæ necessaria sunt, intellexerimus, cessare ab opere necesse est, cum recte facere nesciamus. An vero, si quid esse putamns ea recte facere, quæ facere necesse est, non necessarium esse fateris ad laudem assequendam, illam de omnibus rebus agendis inquisitionem? PALLAD. Fateor. CYRILL. Est igitur fides intelligentiæ nutrix: Intelligentia vero res a nobis agendas examinat. Itaque, cum Israelitis ille vniuersorum Deus legem per Moysen datam, veluti pædagogum quendam sapientemq.

A temq. rectorem apposuit, tamquam basem quandam & firmum initium, vnius veraeq. diuinitatis cognitionem praestruxit; neque enim putabat posse illos ad vitam innocentem puramq. pertingere, aut a Lege, quae ad res praeclaras hortabatur, eorum mores componi, & facile mandatis obsequi, nisi illam in Deum fidem animo suscepissent, quo perinde ac muro praemuniti, voluptatibus, quae ad ignauiam illos alliciebant, strenue obsisterent. Opus igitur erat, opus erat, inquam, vt illi veteres prius veluti morbum quendam animi deponerent errorem, quo multitudo Deorum colebatur, & fide in eum, qui vnus & natura & vere Deus est, optime confirmarentur; ideoq. ipsis illa prima lex praefulsit, [Ego sum dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra AEgypti, *Exod. 20.* de domo seruitutis; non erunt tibi Dij alij praeter me: non facies tibi ipsi idolum, neque vllius rei simulacrum, quaecunque in caelo sunt sursum, & quaecumque in terra deorsum, & quaecunque in aquis sub terra: non adorabis ea, B neque seruies illis: ego enim sum dominus Deus tuus, Deus zelotes, reddens peccata patrum in filios, vsque ad tertiam, & quartam generationem iis, qui oderunt me: & faciens misericordiam in millia iis, qui diligunt me, & seruant praecepta mea.] Oportebat enim, vt duris terroribus commouerentur, qui mandato aditum praeclusuri erant; ideoque & zelotem se Deum appellat, & peccata parentum liberis imponere se dicit; si tamen similiter atque illi viuere, & cum patriis certare culpis velint: neque enim dicimus in eos, qui nihil deliquerint, peccata parentum redundare; cum disertis verbis testetur Deus, [Non morientur patres pro filiis, neque filij pro patribus: vnusquisque in *Deut. 24.* suo peccato morietur.] Sed, si parentum sententiam liberi sequantur, ac patriae impietatis fuerint imitatores, peruenit interim ad ipsos quoque Dei indignatio. Ac, si eueniat ex ipsius insita benignitate, vt Deus, qui est super omnia, primis illis remittat poenas; at certe secundis tandem, aut ter-C tiis commeritam ab initio ac debitam impiq generi infert iram. Compulit igitur eos ad timorem, cum se zelotem Deum appellauit: alia quoque ratione eosdem in fide confirmauit, pollicendo facturum se misericordiam in millia iis, qui se diligerent. His vicinum cognatumque mandatum adiecit; ait enim, [Non accipies nomen domini Dei tui in vanum; non enim insontem habebit Dominus eum, qui accipit nomen eius in vanum.] Hoc nonnulli faciebant, lignis ac lapidibus Dei appellationem tribuendo; & illud nomen, quod est super omne nomen, stulte ad humanae manus artificium atque operam deiiciendo; de quibus dixit Deus per Esaiae vocem, [Postquam *Esa. 44.* elegit faber lignum, constituit illud in mensura, & glutine composuit illud vt formam viri, & vt pulchritudinem hominis, vt statueret illud in domo; excidit lignum a silua, quod plantauit Dominus, & imber auxit, vt sit hominibus in combustionem: & accipiens ab illo calefactus est; & accendentes D coxerunt panes super ipsis: de reliquo vero fecerunt Deos, & adorant illos.] Et post alia, [Cognoscite, quia cinis est cor eorum, & errant.] Hi accipiunt nomen Domini in vanum. Ceterum, qui iam e Diaboli laqueis exierunt, ac Deum verum cognouerunt, eos censeo non debere ad ineptas intelligentias claudicando labi, neque in hac re degenerem sensum stulte complecti, in eam opinionem adductos, vt alios agnoscant Deos, aut certe arbitrentur omnino quosdam esse, praeter eum, qui vnus & verus sit. [Etsi enim dicantur Dij non- *1. Cor. 8.* nulli, ac Domini, & in caelo & in terra; sed nobis vnus Deus, pater nempe, ex quo omnia, & nos in illum; & vnus Dominus Iesus Christus, per quem omnia, & nos per ipsum; & vnus Spiritus sanctus, in quo omnia, & nos in ipso:] neque enim diuinitatis naturam in solum vnum Deum & Patrem iudaice contrahemus; sed

mus; sed illam quodammodo dilatando in sanctam consubstantialemq. Trini- A
tatem, atque tum personarum qualitate, tum hypostasis proprietate distinguen
do, in vnum rursus Deum contrahemus, propter eandem trium substantiam;
& ipsi seruiemus, ipsumq. adorabimus, inuocando Patrem & Filium ac Spiri-
Exo. 20. tum sanctum: [non enim erunt, inquit, Dij alij præter me:] & iterum, [Do-
Deut. 10. minum Deum tuum adorabis, & ipsi soli seruies.] Quoniam vero vnus est
Matth. 4. Deus, Pater; & vnus Dominus, Filius, & vnus Spiritus sanctus, procedens; ne-
que vnum Deum illum ex vera dominatione pellemus; neque eum, qui vere
ac natura Dominus est, excludemus, quo minus sit Deus: nam diuinitatem,
quæ secundum naturam est, consequitur omnino dominatio; dominationem
rursus veram, diuinitatis gloria. PALLAD. Rectissime a te est ac sapien-
tissime dictum. CYRILL. Vnum igitur Deum agnoscemus, Palladi, nemi-
nem omnino cum illo recensebimus, impiumq. ac nefarium duplicis animi vi-
tium, vt arrogantiæ ac superbiæ plenum longissime a nostro animo abiiciemus, B
3. Reg. 18. ne aduersus nos ipsos sermo sacer inclamet, [Quousque claudicabitis vtroque
poplite? aut Baal Baal, aut Deo Deo:] vnius namque moris nos esse oportet,
non diuersa sentientes, atque fluctuantes, & ad ea quæ minime conuenit, fa-
cillime transeuntes: nam claudicare in vtramque partem, ac fluctuare, mea
quidem sententia impium est in primis. Itaq. vetus quoque lex morte mulctat
Exo. 22. inconstantem; ait enim, [Sacrificans diis, exterminabitur, nisi Domino soli:]
nam aduersus diuinam gloriã erigi, & quæ illi ac soli tribuenda sunt, ea quem-
que, quibus velit, & iis, qui natura dij non sunt, audere largiri, morbi ge-
nus est omnium turpissimum, immo vero extremæ impietatis culpa, atque
crimen. Ab eiusmodi itaque vitiis eum abesse necesse est, qui vere sincerus
sit, & Dei amator: neque solum purgatum cor habere, sed ne fando quidem,
Exo. 23. e lingua emittere vnquam idoli nomen: scriptum est enim, [Nominis deorum
aliorum non memores eritis, neque audietur ex ore vestro:] nam, quæ sentire C
turpe est, ea loqui non est impunitum: & qui vbique fidei sinceritatem colere
decreuerint, eos meminisse oportet beati Pauli, ad hunc modum scribentis,
Hebr. 6. [Impossibile est enim eos, qui semel illuminati sunt, & gustauerunt bonum Dei
verbum, virtutesq. sæculi futuri, & prolapsi sunt, rursus renouari ad pæniten-
tiam:] nam, qui per sanctum baptismum semel ad cælestis ac diuinæ gratiæ
perceptionem perducti sunt, & de resurrectione, ac de Christi regno verum ac
vitalem sermonem acceperunt; si ad veterem statum recurrere, morbumq. prio
rem subire voluerint, fieri non potest, vt secundo baptismate ad purgationem
Rom. 3. renouentur: non enim illorum infidelitas fidem Dei euacuabit, vt inquit bea-
tus Paulus; neque, propterea quod eam nonnulli contempserunt, ac retro abie-
runt, ideo diuinæ gratiæ inconstantiæ notam inuremus; sed pœnis potius ille
vniuersorum Iudex subiiciet eos, qui parum cauerunt, quominus in eam im-
pietatem prolaberentur, vt filium Dei conculcarent, & sanguinem testamen- D
ti communem putarent, & spiritui gratiæ contumeliam facerent, in quo san-
Heb. 10. ctificati, diuinæque naturæ participes facti erant. Vt enim militem, qui cly-
peum abiecerit, ac de prælio fugerit, secundis insigniri characteribus non opor-
tet; sed iam puniri, & ignauiæ pœnas luere; ad eundem modum, qui in adeo
augustam atq. admirabilem gratiam iniurij fuerint, eos non dono secundo spi-
ritus ornari, cũ prius illud improbauerint; sed pœnis subiici decet. Nam semel
illuminatis eam sententiam, eamq. cogitationum firmitatem esse assumendam,
vt vnum sciant, qui natura sit Deus, & illos execrentur, qui præter hoc aliud
quidpiam suadent; optandumq. in primis ducant in idola insilire, ac templa di-
sturbare, & gentilium numina nihil esse putent, id quoque veteris legis locus
docebit:

A docebit: scriptum est enim in Numeris, [Et locutus est Dominus ad Moysen in occiduis partibus Moab prope Iordanem contra Hjericho dicens, Loquere filiis Israel, & dices ad eos, Vos transitis Iordanem in terram Chanaan, & perdetis omnes habitantes in terra ante faciem vestram, & auferetis speculas eorum, & omnia idola eorum conflata destruetis, & omnes titulos eorum auferetis.] Intelligis igitur iis, qui Iordanem transierint, opus esse vt aras & lucos e medio tollant, eosq. sine cunctatione vna cum idolis ac titulis disturbent: nam huiusmodi pestibus parcere, manifestum est indicium, non satis nos esse confirmatos, neque cor criminis expers Deo consecrasse, aperte de impiis atq. peruersis dicenti, [Non adorabis Deos ipsorum, neque coles eos, non facies iuxta opera eorum, sed destruendo destrues, & conterendo conteres titulos eorum; & seruies domino Deo tuo; & benedicam panem tuum, & vinum tuum, & aquam tuam, & auertam infirmitatem a vobis; non erit infecunda neque sterilis in terra tua, numerum dierum tuorum explebo.] Neque enim est obscurum, quin hominibus bene confirmatis, & ex integra mente vniuersorum Deo deditis, atque eius rei certissimum argumentum præbere studentibus, id ipsum, quod aras & titulos, & ludicra hominum mente corruptorum euertunt, diuina sit illis dona conciliaturum. PALLAD. Verum est. CYRILL. Nam, si manu fabricata simulacra destruxeris, inquit, ac Deo seruieris mores illorum perosus, [benedicam panem tuum, & vinum tuum, & aquam tuam:] mysticus hic sermo est atque abditus; nam sinceris Dei cultoribus illa Christi mysteriorum communicatio, & sancti baptismatis gratia ad spiritualem benedictionem valet; iis autem, qui duplici sunt adhuc animo, & ad defectionem, & apostasin spectant, ita & condemnatio & malorum omnium cumulus est illius spiritualis benedictionis perceptio: idq. illud est, vt puto, quod sapiens vir Paulus dixit, [Qui manducat & bibit Christi corpus & sanguinem indigne, iudiciũ sibi manducat & bibit, non diiudicans corpus. Probet autem, inquit, homo se ipsum; & tunc de pane illo edat, & de calice bibat.] Iis igitur, qui vere Dei sunt amatores pro benedictione, inquit, erit illa sanctorum mysteriorum communicatio; & ab infirmitate liberabuntur, idest, ne libenter ei morbo succumbant, qui lædit, & ad ignauiam abducit; neque infecunda, inquit, erit in illis, neque sterilis: fecundissima quippe est omnis Dei amans & sancta anima, & fructibus sanctis, gloria inquam virturum ornata. PALLAD. Sic se res habet. CYRILL. Quia vero infirmo corde nos esse minime patitur, artificiose ad stabilitatem fidei pietatisq. firmitatem amplectendam conuertit: nonnunquam enim conuenientibus rationibus ad id, quod melius est traducens, idolorũ sacrificium adorationemve negligere, immo vero auersari prorsus, vt rem perniciosam iubet; eiusmodi morbum grauissimi criminis, immo vero extremæ impietatis plenum esse demonstrans: nonnunquam D vero metum, pœnæ inquam formidinem, veluti pædagogum aliquem, atque seuerum custodem, nobis apponens, vndique ad id, quod sibi placet, adducit. Itaque in Deuteronomio inquit beatus Moyses, [Et hæc sunt præcepta & iudicia, quæ seruabitis, vt faciatis in terra, quam dominus Deus patrum vestrorum dat vobis in possessionem, omnibus diebus, quibus vos viuitis super terram. Perditione perdetis omnia loca, in quibus seruierunt gentes diis eorum, quæ vos possidebitis, in montibus excelsis, & in collibus, & sub arbore opaca: & euertetis aras eorum, & conteretis titulos eorum, & lucos eorum succidetis, & sculptilia deorum eorum comburetis igni, & perdetis nomen eorum ex loco illo.] Græcorum quidem sapientes & eximij inter ceteros, poetæ vero maxime, Oreadas quasdam, & Hamadryadas nymphas, Dæmonas videlicet,

Num. 33. Exo. 23. B C 1. Cor. 11. Deut. 12.

delicet, appellant. Erant etiam qui, cum locis editioribus suos Deos venera- A
ri vellent, aris extructis in montibus, boues immolare studebant; & cum circa formosiores arbores statuas & simulacra Dæmonum constituissent, ouibus cædendis operam dabant. Sed necesse erat, vt ei, qui natura & verus Deus est, subiecti homines, nihil pertimescentes, errantium hominum ludicra demolirentur, & ab illorum moribus longissime recederent: ideoque rursus dicit,
Deut. 12. [Cum vero exterminauerit dominus Deus tuus gentes, ad quas tu ingredieris, vt possideas terram, a facie tua, & possederis eos, & habitaueris in terra ipsorum, caue tibi ipsi, ne studeas sequi eos, postquam exterminati fuerint a facie tua; non exquires Deos eorum, dicens; quomodo faciunt gentes hæ diis suis, sic & ego faciam: non sic facies domino Deo tuo: abominationes enim, quas Dominus odit, fecerunt diis suis: nam etiam filios suos, & filias suas comburunt igni diis suis.] Bene prohibet omnino Legislator, ne errantium ritus imitentur; & ab impia illa liberorum cæde recedere iubet; illosq. sanguinis cupidos, & falsi nominis Deos corruptores ac perditores humani generis esse coarguit, qui teterrime, præ sua libidine ipsa quoque necessariæ beneuolentiæ iura B
Sapient. 1. contemnant: [creauit enim omnia Deus, vt essent, & salutares sunt generationes mundi, & non est Inferorum regnum in terra: inuidia vero Diaboli mors
Sapient. 2. introiuit in mundum.] Ac diuina quidem voluntas euertit mortem, interitumque destruit, & ea, quæ sunt perire non patitur, creauit enim, vt essent, omnia, sicut scriptum est: qui vero Dæmonum cupiditate tamquam retibus ad errorem pertracti sunt eorum interitum, qui, vt viuerent, sunt editi; eorumque mortem, qui, vt essent, creati sunt, velut condimenta quædam & odoratissima thymiamata Satanæ offerunt. Pulcherrime igitur illorum mores grauissimis criminibus esse plenos ostendit; violariq. apud eos naturam, optabilisq. erga liberos amoris iura conculcari; vt auditorum animum ingenuum, & vitiorum inimicum, ad ea amplectenda, fortiterq. arripienda, quæ ipse vellet ac iuberet, aptissime transferat. Atq. hæc ad illorum impietatem euertendam olim edicta sunt. Supremo præterea supplicio sanxit, siquis confirmatum hominem & qui veritatis cognitionem pie suscepisset, a sententia deducere tentasset: sic C
Deut. 13. enim rursus ait, [Quod si surrexerit in medio tui propheta, vel somnians somnium, & dederit tibi signum aut prodigium; & venerit signum siue prodigium, quod locutus fuerit ad te, dicens, Eamus, & seruiamus diis alienis, quos non nouistis: non audietis verba prophetæ illius, aut eius, qui somniault somnium; quia tentat vos dominus Deus vester, vt sciat, an diligatis dominum Deum vestrum, ex toto corde vestro, & ex tota anima vestra: post dominum Deum vestrum ambulabitis, & ipsum timebitis, & mandata eius custodietis, & vocem eius audietis, & illi seruietis, & illi adhærebitis; & propheta ille, vel qui somnium somniauit, morietur: locutus est enim, vt abduceret te a domino Deo tuo.] Quam iusta est hæc lex, ac Deo conueniens? Nam si corporum occisoribus omnino mori necesse est secundum leges; quomodo non æquissimum est, vt idem discrimen subeat, qui animo perniciosum errorē inuexerit, & eum qui iuxta Saluatoris ipsius vocem, corpore præstantior est, in perditionis foueas coniecerit? Iustissimum igitur putauit Deus, vt extremo supplicio lueret pœnas deceptor & impostor; eandemq. similiter pœnam aduersus eos constituit, qui leuē mobilemq. animum eiusmodi hominibus adhibuissent: cui enim, inquit, effugere licebat; ad veritatem vigilanti animo respicienti, is quam ob D
Deut. 17. caussam sponte ad perniciem refugit? [Quod si inuentus fuerit in vna vrbium tuarum, quas dominus Deus tuus dat tibi, vir aut mulier, quæ faciat malum in conspectu domini Dei tui, vt transgrediantur pactum eius, & abeuntes seruierint

A uierint diis alienis, & adorauerint illos, solem videlicet, aut lunam, aut quemuis alium ornatum cæli, quæ non præcepi tibi, neque annunciata sunt tibi: & inuestigabis diligenter; & ecce verum factum est verbum, & facta est abominatio hæc in Israel: educes hominem illum, seu mulierem illam, qui fecerunt rem hanc malam, & lapidabitis eos lapidibus, & morientur: in duobus testibus, vel in tribus testibus morietur, qui moritur; non morietur in vno teste: & manus, inquit, testium erit super ipsum in primis ad interficiendum eum, & manus totius populi in extremis:& auferetis malũ a vobis ipsis.] Dei namque cultu violato misericordia commoueri, minime tutum est; sed in primis periculosum importuno tempore ad mutuæ beneuolentiæ ignauiam emolliri: idque illud est, opinor, quod ait Christus, [Qui amat patrem aut matrem plusquam me, non est me dignus.] Valeat enim eo tempore pietatis lex, recedat naturalis amoris vis, & ea omnia, quæcunque ad hominum dilectionem *Matth. 10.*

B spectant, &, vt ita dicamus, pia duritia colatur Deus. An vero non pium esse censes, qui nullam caussam dicere possint, cur defecerint, & in apostasin lapsi sint, eos sine vlla miseratione puniri; quippe qui illam supra omnia gloriam offendant, eumque temere iniuria afficere non vereantur, cui æquum erat stabilitatis studio lætitiam afferre? PALLAD. Prorsus pium: quidni? CYRILL. Commemorabo autem eius verba, priscis illis hominibus dicentis, [Quid inuenerunt in me patres vestri delicti, quia recesserunt longe a me? & abierunt post vanitates, & vani facti sunt?] Cumque filiorum Israel veluti meram stultitiam detestaretur, ait, [Obstupuit cælum super hoc, & inhorruit extra modum, dicit Dominus; quia duo mala fecit populus meus; me dereliquit fontem aquæ viuæ, & foderunt sibi lacus contritos, qui non possunt aquam continere.] Eos enim ab omni recto consilio aberrare, haud absurde censuerim, qui discedentes a Dei cultu, creaturæ seruiunt potius, quam creatori *Hiere. 2.* *Hiere. 2.*

C atque conditori; aut ad turpiorem adhuc errorem delapsi, adorant opera manuum suarum: cum esset perfacile, si recte sapere voluissent, summæ illius & ineffabilis naturæ pulchritudinem contemplari, neque solum ex creatura mundi, sed etiam ex rerum, quæ conditæ sunt, concinnitate principem ac ducem & opificem huius vniuersitatis intelligere. Sed nonnulli e priscis illis hominibus consilium adeo suspiciendum & admirabile respuentes, aurea, vt est apud græcos poetas, pro æreis permutauerunt. Quare, abiecta Dei, qui secundum naturam est, adoratione pueriliter conuersi sunt ad inutilem & vanum idolorum cultum. Itaq. dedecus risu dignum suo capiti asperserunt, suaq. sponte superni auxilij destitutionem amplexi sunt. Ideoq. dixit Deus, [Vt dedecus furis cum deprehensus fuerit, sic erubescent filij Israel, ipsi, & reges eorum, & principes ipsorum, & sacerdotes eorum, & prophetæ eorum: ligno dixerunt, Pater meus es tu; & lapidi, Tu genuisti me: & verterunt ad me terga, & non *Homer. Iliad. Z.* *Hiere. 2.*

D facies suas:& in tempore malorum suorum dicent, Surge, & salua nos. Et vbi sunt dij, quos fecisti tibi ipsi? Si surgent & saluabunt te in tempore afflictionis tuæ? quia iuxta numerum vrbium tuarum erant dij tui, Iuda; & iuxta numerum viarum Hierusalem, sacrificabant Baal. Cur loquimini ad me? omnes vos impie egistis, & omnes vos inique fecistis in me, dicit Dominus.] PALLAD. Grauecrimen, Cyrille. CYRILL. Sed est aliquis, vt opinor, nonnunquam e nostro quoque numero adhuc non admodum confirmatus, qui fucatam ac simulatam erga Christum caritatem sectetur, & ouis quodammodo pellem sibi circumposuerit, nempe vt ad speciem esse Dei amator videatur, cum tetra sit, & immanis bellua, malignus item ac varius, adeo vt domi quidem ac de nocte, latenter inquam, Dæmoniorum culturæ sit deditus; idem

tamen,

tamen, vt verisimile est, putet se posse Deum quoque ipsum effugere, & illam A
ineffabilis illius naturæ intelligentiam fallere. Facile autem ostendi potest, qui
ita sentiat, eum gentilium quoque stultitia turpiora cogitare: nam græco-
Homer. Iliad. B. rum sapientibus Sol, qui conditus ac factus est, luminare inquam illud ma-
gnum, & ad hoc ipsum a Deo conditum, iure optimo omnia aspicere & om-
nia exaudire videbatur: putabant enim, quod pro Deo susciperetur, id di-
uinæ naturæ proprietatibus præditum esse oportere: est autem summæ natu-
ræ proprietas, omnia scire atque perspicere. Sed illi quidem ita sentiebant:
Hiere. 23. ad nos vero Deus olim clamabat, [Deus propinquans ego sum, dicit Domi-
nus, & non Deus de longe: & a me abscondetur aliquid?] nihil enim latere
potest eum, qui natura vereq. Deus est: idque diuinus Dauid nos docebit di-
Psal. 93. cens, [Intelligite, insipientes in populo, &, stulti, aliquando sapite: qui plan-
tauit aurem, non audit? & qui finxit oculos, non considerat?] dicebant enim
scilicet nonnulli præ stultitia, [Non videbit Dominus, neque intelliget Deus B
Iacob:] an non desipientiæ summæ est dicere, minime eum scire, qui cognitio-
nis tributor sit; ac putare eum non exaudire, qui hunc sensum rebus a se con-
ditis dederit? PALLAD. Absurdum omnino. CYRILL. Ille igitur so-
lus atque modis omnibus est adorandus dominus Deus, vt Scripturæ tradunt;
Deut. 18. alius vero præter ipsum nullus: scriptum est enim, [Perfectus eris ante domi-
nũ Deum tuum.] Porro spiritualis perfectio est firmitas fidei, & integer cultus,
& irreprehensibilis in Deum caritatis pulchritudo. PALLAD. Sic sentio.
CYRILL. Num igitur, Palladi, qui minime illi quidem deos alienos aut
certe creaturam potius quam creatorem adorare in animum induxerint, sed
iidem, nescio qua ratione tamen, falsis idola colentium vaticiniis fidem ha-
bent, eos reprehensione atque culpa vacare dicemus? aut eosdem desertorum
crimine liberos pronunciare, iis tutum esse putabimus, qui vere sincereq. Dei
amatores sint? PALLAD. Minime. CYRILL. Astrorum quoque præ- C
stigiosæ obseruationes & omina, & falsæ diuinationes, & dæmoniacæ dece-
ptiones illis solis, vt opinor, conueniunt, quibus absurdissime placuit igno-
bilem atque execrabilem idolorum cultum in animum admittere. PAL-
LAD. Recte dicis: nã diuinus quoque sermo nobis præcipit eiusmodi rerum
Deut. 18. dedecus ac turpitudinẽ abominari. Sic autem habet, [Cum vero ingressus fue-
ris in terram, quam dominus Deus tuus dat tibi, non disces facere iuxta abo-
minationes gentium illarum: non inuenietur in te lustrans filium suum, aut fi-
liam suam in igne, diuinans diuinationem, & ominans, & augurans, veneficus,
incantans incantationem, Pythonem habens, & portentorum inspector, &
interrogans mortuos: est enim abominatio domino Deo tuo omnis, qui facit
talia.] Et post alia rursus ait, [Perfectus eris coram domino Deo tuo: gentes hæ,
quas tu possidebis, hæ omina & diuinationes audient: tibi vero non sic dedit
dominus Deus tuus. Prophetam ex fratribus tuis, vt me, excitabit dominus D
Deus; ipsum audietis iuxta omnia, quæcunq. petisti a domino Deo tuo in Ho-
reb, in die congregationis.] CYRILL. Præclare ais, Palladi: neque enim
sequemur portentorum coniectores, & necromantiæ operam dantes: iam vero
neque volatus auium, tamquam verum aliquid polliceantur, accipiemus,
quamuis dextrorsum ferantur aut sinistrorsum; aut ad occasum vel ad ortũ So-
lis: sunt enim hæc extremæ dementiæ: ducem vero ad omnia sequemur Chri-
stum, illum propter nos similem nobis factum, & prophetam; ab ipso accipie-
mus rerum necessariarum cognitionem, ipsiq. assidebimus, ac falsa dæmonio-
rum oracula abiiciemus & contemnemus. Vt enim rebus vniuersis & vitam tri-
buere & ortum dare, secundum naturam ac proprie soli Deo tribuendum est;

A sic, vt opinor, omnium quoque rerum cognitionem habere: est autem eius naturæ proprium res futuras manifeste scire, & rerum vniuersarum cognitionem in se ipso veluti collectam tenere. An tibi parum sapienter ac vere dicere videmur? PALLAD. Immo vero maxime. CYRILL. In ipsum igitur peccabimus, & ad illius supremæ gloriæ iniuriam nostrum crimen pertinebit, si nefariis & impuris spiritibus inesse credemus ea, quibus ille decoratur, & admodum insignis est. Iam enim adeo stulte sentientibus licebit illud suspicari: vitam quoque tribuere posse, atque adeo conditorem esse Satanam, si quæ omnium præstantissima sunt, & proprie Dei naturæ tribuuntur, non solum ipsi concedemus, verum etiam natura insita esse dicemus: proprium est porro atque eximium summæ illius naturæ bonum cognitio rerum futurarum. An verum non est, quod dico? PALLAD. Et quidem maxime: ait enim quibusdam per Esaiæ vocem, qui ea quæ Dei sunt, ad creaturam deferrent, [mementote horum, & ingemiscite, pœnitentiam agite, qui erratis; & redite corde, & mementote priorum a sæculo, quia ego sum Deus, & non est alius præter me, annuncians prius extrema, antequã fiant, & simul completa sint, & dixi, Omne consilium meum stabit; & omnia, quæ decreui, faciam.] Vt enim ostenderet, non esse alterum præter se natura ac vere Deum, auditoribus illud tamquam indicium attulit, nempe annunciare se posse extrema, priusquam fierent. CYRILL. Præclare ais, Palladi. Sed velim, vt adhuc diligenter veritatem dispiciamus, atque illud consideremus, qua ratione, si omnino inter eos censemur, qui recte & euangelice viuere volunt, falsarum diuinationum assentationes sequamur; & cum ita simus intenti, tamquam ab illis aliquid vere dicatur, quomodo non Saluatoris nostri vocem de mendacio condemnemus: dixit enim profecto arrogantibus superbisq. Iudæis, [Vos ex patre vestro Diabolo estis, & desideria patris vestri vultis facere; ille homicida fuit ab initio, & in veritate non stetit; quia non est veritas in ipso: cum loquitur mendacium, ex propriis loquitur; quia mendax est ipse, & pater eius.] Quomodo igitur, qui mendax est, verax erit vnquam? aut quomodo non omni ex parte mendax, qui in veritate non stetit? Nonne igitur iam, Palladi, cuiuis manifestum erit, si Dæmoniorum vocibus veritatem tribuemus, fore vt de mendacio Christum condemnemus, & mentiri veritatem dicamus? PALLAD. Haud longe aberimus. CYRILL. Quinetiam (nam illud quoque iis quæ dicta sunt, adiiciam) a Christo didicimus, impurorum spirituum verba non admittere, ne si velint quidem interdum inaccessam sibi & insuetam afferre veritatem. PALLAD. Quomodo istud asseris? CYRILL. An vero minime aduertis sanctos Euangelistas, qui scripserunt Dæmonia ad Christum accessisse clara & maxima voce clamantia, [Sine; quid nobis & tibi, Iesu Nazarene? venisti ante tempus perdere nos: scio, quod sis sanctus Dei: ille autẽ increpans, inquit, non sinebat ea loqui, quia sciebant ipsum esse Christum.] Atqui qua de caussa, (merito enim dubitarit aliquis) illos, cum verum proclamarent, increpauit Christus? Sed nimirum res gesta nobis vtilis futura erat: hac enim re docemur, illorum verbis, etiam si ipsam prædicare velint veritatem, & ea dicere, quæ sunt euidenter vera, non debere niti; nam interdum veris inferentes falsa, nocent audientibus, non dissimili ratione, vt mihi quidem videtur, ac nonnullos facere videmus, qui mellis admistione sensum amariorum rerum auferunt, & dulcium infusione volunt eorum, quæ insuauia sunt, latenter gustũ eripere. PALLAD. Est igitur omnino periculosum imposturis diuinatorũ addictũ esse. CYRILL. Id quidẽ a Deo morte mulctatur, & inter pessima crimina recensetur: sic enim ait in Leuitico, [Et anima, quæ secuta fuerit pythonis

Esai. 46.
B
Ioan. 8.
C
Mar. 1.
D
Leuit. 20.

pythonis spiritum habentes, & incantatores, vt fornicetur post ipsos, obfirmabo faciem meam aduersus animam illam, & perdam illam ex populo suo: & sancti eritis, quia ego sanctus sum dominus Deus vester.] Et post alia rursum, A
Leuit.21. [Et vir aut mulier, quicunque ex ipsis fuerit pythonis spiritum habens, aut incantator, morte moriatur, & lapidibus lapidabitis eos: rei sunt.] Interdixit enim primum, ne qui fallaces diuinationes ex astrorum aut mortuorum obseruatione sequerentur, alienissimam esse eam rem a sancta conuersatione asserens; & ab iis, qui Deo dediti essent, maxime abhorrere: deinde aduersus alteros extremum supplicium constituit, ac reos esse inquit, non permittens, qui ad hoc scelus progressi essent, vt laqueus mortis fierent, & rete animarum in-
Prouerb. 9. nocentium, & perditionis hostium, & Inferorum profundum, & quæ non hu-
iuxta LXX. ius generis pestis? vt iis a nobis misericordia tribuatur. Illud autem sapienter ac vere intelligi puto, hanc adeo acerbam, &, quæ omnia mala superet, pœnam non esse in eos a Deo constitutam, qui & scire & effari ceteris futura pos- B
sunt, & de futuris rebus nonnihil vere prædicere: neque enim veritatis sermo punitur; sed mentiri est execrabile: quod, si quis facere, idque tamquam Deo auctore deprehendatur, is in ipsam proculdubio naturam ineffabilem coniecit calumniam; itaque cum ipsi veritati mendacium, tamquam rem, quæ ad illam pertineret, tribuerit, pares criminibus pœnas dabit, & in perditionem abibit: neque enim Scriptura iis, qui ex Deo futura prædicunt, pœnas constituit. absit: excipiatur enim a pœna ille sanctorum prophetarum ordo: sed iis, qui illa tamquam ex Deo sint, fingunt; quod prædicendi munus ne a mendacio quidem liberum faciant. Itaque, quia, cum a veritate non acceperint, loquuntur quæ volunt ex se ipsis, ideo peccant. PALLAD. Num igitur in hoc dignoscemus, vtrum Deus sit, qui responsa dederit, an illi ex se ipsis loquantur? CYRILL. Et quidem maxime: nam id quoque nobis diuina lex, iam per- C
Deut.18. suadebit: sic enim dixit Deus in Deuteronomio, [Quod si dixerit quispiam in corde, Quomodo cognoscemus verbum, quod Dominus non est locutus? quæcunque locutus fuerit ille propheta in nomine Domini, id autem nec factum fuerit, neque contigerit, hoc est verbum, quod non est locutus Dominus; in impietate locutus est ille propheta: non abstinebitis ab illo.] Intelligis ex rerum prædictarum frustratione certissimum argumentum sumi, quod non ex Deo quippiam prædictum sit: veritatis enim amica est veritas. Huiusmodi quiddam
Hiere. 23. etiam per Hieremiæ vocem ait, [Deus propinquans ego sum, dicit Dominus, & non Deus de longe: si abscondetur homo in occultis, & ego nō videbo eū? nonne cælum & terram ego impleo? dicit Dominus. Audiui quæ loquuntur prophetæ, quæ prophetant in nomine meo falsa.] Deinde, accusatione graui diuinas leges contemnentium interiecta, quæ prædictiones ex Deo sint, quæve non sint, tamquam euidens indicium affert, ipsam nempe veritatem: ait enim iterum, [Propheta, in quo est somnium, narret somnium suum, & in quo est D
verbum meum in veritate.] Nam, si quid visum fuerit a veritate discrepare, illud ipsum continuo suum parentem atque auctorem esse mendacem prodet, & a suo corde loquentem non ex ore Domini, sicut scriptum est. PALLAD. Placetne aliquid, quod necessario sit quærendum, proponamus; an id missum faciamus, ac potius pergamus, quo nos tua duxerit oratio? CYRILL. Atqui, Palladi, quæ ad vtilitatem necessaria sunt, non in minimis ducimus: itaque minus libere, si quid videatur, proferre, equidem reprehendendum putem; idque iure optimo: quamobrem nihil veritus dic, si quid velis. PALLADIVS. Si non ab ore Domini loquuntur nonnulli; sed eructant, vt ais,
1.Reg. 28. de corde suo; quonam igitur modo sanctum Samuelem, quamuis iam mortuum

A tuum Pythonissa illa mulier ad Saul produxit, qui illi rerum futurarum exitum exponeret? hæc enim sic esse gesta, neque aliter accidisse, quidam putant. CYRILL. Num tu quoque non ita se rem habere putas, in eoque rectius existimas; an ridicule iusti viri animam reuera coactam esse dicis; & muliercula vocante venisse? PALLAD. Equidem compertum non habeo, quid dicam; sed, nisi fallor, quid verum sit, declarabit inquisitio. CYRILL. Recte dicis. Igitur illud ante alia diligenter interim inuestigemus, vtrum Dei munere hæc portenta edant atque efficiant, qui huiusmodi rebus student, an malorum spirituum opera. PALLADIVS. Quis vero ad tam ineptas cogitationes perueniat, vt arbitretur Dei opera portenta hæc edere necromantas & pythones, & incantatores? nam contra commemorabo legem, quæ supplicium extremum decernit, quisquis hæc facere ausus fuerit: Atqui quomodo non dementia sit cogitare, eum, qui capitis condemnetur, Deo non displicere? neque enim ille cum suis legibus
B pugnare censendus est. CYRILLVS. Optime ratiocinaris. Iam vero isto modo sanctorum virorum animas, quæ e corporibus excesserunt, contemptas esse putabimus, neque vllo numero haberi, atque adeo in eas miserias peruenire, vt etiam nequam spiritibus subiectæ sint, & inuitæ sequantur eos, quocunque illi voluerint, nullo negotio circunferentes. Atqui Ioannes ille sapiens, qui Apocalypsis libellum conscripsit, qui patrum iudicio comprobatus est, sanctorum animas sub ipso Dei altari se conspexisse, aperte confirmat: quod si eas ex illis quoque supernis mansionibus trahunt, & de sacratissimis locis deferunt secure, nemine prohibente, primum omnibus quidem Dæmoniis est in cælum accessus; deinde iisdem patet, vt consequens est, Paradisi ianua: cedit præterea flammea illa rhomphæa: sic enim consequi videtur, neque ingressum atque exitum illis modo liberum præbet; *Apocal. 6.*
C sed licet eis etiam, si libeat, aliquos eo ingressos educere: nonne ergo hoc est, spem, quam in Christo habemus, irridere? & miserrimam esse ostendere admirabilium virorum vitam? PALLAD. Ita videtur. CYRILL. Sed id quidem minime obscurum est. Quomodo autem melius erat beato Paulo resolui,& esse cum Christo?nam,si postea quam e terrenis rebus excesserimus, & cum Christo fuerimus, aduersariis spiritibus subiiciendi sumus, exinanita est fides, vt scriptum est; ac versari in corpore, quam esse cum Christo, quiuis,opinor,longe præstantius esse posthac iudicabit; &, quod hoc ipso quoque sit minus ferendum,si,cum adhuc in hac vita versamur, subiecti minime sumus Diaboli cupiditatibus, sed calcamus potius super serpentes & scorpiones, & super omnem potestatem inimici, iuxta Saluatoris nostri vocem; ergo, vbi cum Christo fuerimus, quomodo peiore condicione futuri sumus? quomodo etiam verax erit ipse, cum dicit, [Oues meæ vocem meam audiunt; & *Philip. 1.* *Rom. 4.* *Luc. 10.* *Ioan. 10.*
D ego cognosco eas; & sequuntur me; & ego vitam æternam do eis; & non peribunt in æternum; & non rapiet eas quisquam de manu mea: pater meus, qui dedit mihi, omnibus maior est; & nemo potest rapere ex manu patris mei?] Decepit etiam scilicet pietatis in Christũ athletas beatissimus Petrus, cum ad hunc modum scripsit, [Itaque & ij,qui patiuntur secundum volũtatem Dei, fideli creatori commendent animas suas:] quod si Deo commendatam animam cogit Satanas,agitq. ac fert, quocunque pro tempore voluerit, quomodo ille sanctorum protector, qui vniuscuiusq. spiritum veluti depositum commendatum accepit, fidelis intelligi poterit? Deliramenta igitur sunt hæc, immo vero stupor immanis, putare prophetæ animã reuera frigidis scelestissimæ mulierculæ carminibus ex attributis sibi sedibus esse detractã. PALLAD. *1. Pet. 4.*

Quænam igitur fuerit rerum, quas considerandas proposuimus, explicatio? A nam hæc adeo turpia ne simplicibus quidem, vt ita dicam, cogitationibus admittenda censeo. CYRILL. Propositis prius sacræ scripturæ verbis, tum quæ animo occurrunt, exponemus; & vbiq. decorum diligenter retinebimus.

1.Reg. 28. Ea sic habent, [Et Samuel mortuus est; & planxerunt eum vniuersus Israel; & sepeliunt eum in Armathaim, ciuitate eius: & Saul abstulit pythonicos, & cognitores a terra. Et congregantur Allophyli, & veniunt & castrametantur in Sonam; & congregat Saul omnem hominem Israel, & castrametantur in Gelboe. Et vidit Saul castra Allophylorum, & timuit, & consternatum est cor eius valde: & consuluit Saul per Dominum, & non respondit ei Dominus per somnia neque in manifestis, neque in prophetis. Et dixit Saul seruis suis, Quærite mihi mulierem pythonissam, & ibo ad illam, & quæram per illam. Et dixerunt serui eius ad eum, Ecce mulier pythonissa est in Aendor. Et coopertus est Saul, & induit se vestibus aliis, & vadit ipse & duo viri cum ipso ad B mulierem nocte; & dixit illi, Diuina mihi in Pythone, & euoca ad me quemcunq. dixero tibi. Et dixit mulier ad illum, Ecce iam tu nosti quæcunque fecit Saul, qui exterminauit pythonicos, & cognitores de terra: & cur tu insidiaris animæ meæ, vt occidas eam? Et iurauit illi Saul dicens, Viuit Dominus, si eueniet tibi mali quidquam in verbo hoc. Et dixit mulier Sauli, Quem excitabo tibi? Et dixit, Samuelem excita mihi. Et vidit mulier Samuelem, & exclamauit voce magna, & dixit mulier ad Saul, Cur decepisti me? & tu es Saul. Et dixit illi rex, Ne timeas; dic quem videris. Et dixit illi, Deos vidi ascendentes e terra. Et dixit ad illam, Quid cognouisti? Et dixit illi, Virum rectum ascendentem de terra, & hic amictus diploide. Et cognouit Saul, quod Samuel esset hic, & inclinauit se in faciem suam in terram, & adorauit eum. Et dixit Samuel, Cur inquietasti me, vt ascenderem? Et dixit Saul, Coarctor valde; & Allophyli bellum gerunt aduersum me; & Deus recessit a me, & non exaudiuit me adhuc neque in manu prophetarum, neque per somnia; & nunc vocaui te, vt indices mihi, quid faciam. Et dixit Samuel; Cur interrogas me? C & Dominus recessit a te, & abiit ad proximum tuum: & fecit tibi Dominus, sicut locutus est in manu mea; & discindet Dominus regnũ de manu tua, & dabit illud proximo tuo Dauid; quia non audisti vocem Domini, & non implesti iram indignationis eius in Amalec: propter hoc verbum fecit tibi Dominus in die hac; & tradet Dominus Israel tecum in manus Allophylorum: & cras tu, & filij tui tecum cadent, & castra Israel dabit Dominus in manus Allophylorum.] Num igitur posthac dubitare poteris, quin Saul sua sententia condemnatus, extabuerit? nam, cum eorum vires ad pugnandum, qui aduersum se congregati fuerãt, pertimesceret, quæsiuit a Deo discere quid euenturũ esset: illo autem tacente, & nihil reuelante, ad eius offensam, qui tacere statuerat, conuertitur. Itaque ad mulierem necromantiæ operam dantem pergit; quamuis ipse cognitores sustulisset: cognitores autem dico, qui se existimant futura D cognoscere. Deinde inquit, Excita mihi Samuelem; non quod ea vis carminum vel magicæ artis esset, vt Sancti viri animam euocare posset: sed quod semper diuinantes huiusmodi voce vtantur. Audiui autem eos occultis quibusdam verbis illicere Dæmonia; &, aqua incantanda, simulacra & vmbras & tamquam in speculo formas quasdam conspicari, Dæmoniis videlicet eorum figuras apte fingentibus, qui euocari dicuntur. Itaque dixit primum illa mulier, Video deos ascendentes a terra: deinde [Et vidit, inquit, mulier Samuelem.] Nihil vero prohibet, vmbram visam fuisse atque simulacrum persimili beato Samueli figura Dæmoniorum opera efformatum. Quod si quis putet euocatam

A euocatam reuera fuisse prophetæ animam, & mulieris verbis tribuerit veritatem; ergo, quia eadem dixit, deos e terra ascendentes se vidisse, non diuinandi consuetudini condonet falsitatem; sed reuera deos esse putet quosdam eiusmodi ordinis, qui existant e terra; cum ille, qui secundum naturam Deus est, vnus sit ac solus. PALLAD. Est quidem a te recte dictum: ceterum dicet fortasse quispiam, Atqui vera dixit, Saule quæ futura essent, sciscitante: non est autem a nobis exigua orationis pars in eo consumpta, vt probaremus, non inesse in impuris spiritibus veritatem. CYRILL. Non inquam: neq. enim componi atque coagmentari simul possunt lux & tenebræ, Christus & Belial: verum irritantibus ac sæpe offendentibus reuelat futura Deus, interdum etiam per quos minime conuenit, insonantibus humano animo sanctis Angelis ea, quæ si ij didicerint, qui curiose sciscitantur, admodum intabescent; eaque prænotione veluti quibusdam iræ ac pœnarum sibi imminentium primitiis tor-
B quebuntur. In sanctis enim prophetis resident, eisque communicantur plerunque non tristia solum, & quibus mærere & in luctu iacere quispiam possit; sed etiam quæcunque nonnullis lætitiæ & iucunditati futura sunt: impiis autem ac nefarijs diuinationum studiosis Deus mala, quæ ipsis euentura sunt, aperit. PALLAD. Quomodo autem, aut vnde hæc probari poterunt.
CYRILL. Ab ipsis litteris sacris; nam, quæ priscis illis hominibus acciderunt, scripta sunt, vt figura nobis essent & modus, quo mystice imbueremur. An ignoras Balac filium Sephor, illum Moabitarum & Madianitarum tyrannum, cum fortem & inuictam Israelis multitudinem pertimesceret, ac breui se cum ceteris gentibus simul periturum existimaret, mercede pacta conduxisse Balaam? [veni, inquit, & maledic Israeli: cumque venissent nuncij, *Num. 22.*
Diuersamini, inquit, hic nocte hac; & respondebo vobis quicquid dixerit Dominus ad me.] Cumq. frigida, & a Dæmoniis immissa somnia quæreret, &
C quæ ex carminibus & magicis artibus sibi contingere solebant, speraret, Dominum dixit secum locuturum: Deum enim se inuocare simulabat. Quamuis autem sacræ litteræ consuetis incantamentorum vocibus vtantur; non tamen sapienter existimabimus eum, qui natura, & vere Deus est, velut ex caritate profanorum hominum animis immittere veritatem, & cum homine sceleratissimo, & mago & idolis dedito colloqui. Verumtamen [venit, inquit, Deus ad Balaam, & dixit illi, Quid homines isti penes te?] eoque causam aduentus eorum exponente, [Dixit, inquit, Dominus ad Balaam, Ne eas cum illis, neque maledicas populo: est enim benedictus.] Ecce iam aperte beatus Angelus ex persona Dei deceptorem illum, atque nugatorem magum auertit, ne maledicere audeat illi, qui sit a Deo benedictus, neque diuinis decretis opponat humani infelicisq. consilij commenta: non quod illa maledictio officere aliquid posset; sed vt aperte ac manifeste, qui in eiusmodi spem stulte adductus
D esset, per illum quoque certior fieret, nunquam fore, vt a Moabitis vel Madianitis Israel expugnaretur, cui protector esset, ac propugnator Deus, qui populum benedictum, sibiq. deditum sua benignitate muniret. Atque hæc quidem beatus Angelus & dixit, & facere præcepit. Sed, posteaquam promissis muneribus ad eundum ille vates illectus est, quod fortasse vires sibi reuera non defuturas opinaretur, abire quidem permisit Angelus; sed in media conspectus est via fulgenti gladio: in quo manifeste docuit, eum, si maledicere vellet iis, qui benedicti erant, bellum & aduersus Deum, & aduersus Angelos suscepturum. Posteaquam vero ad Madianitam peruenit, aras extruxit, & boues immolare iussit, prophetaq. iam factus est, non qualis ante solebat, falsus, sed vi diuina, & ineffabili præter spem in contrarium est conuersus: non enim

maledixit, sed benedixit potius Israeli, & in acerbos dolores coniecit Balac; A
Num.24. sic namque scriptum est, [Indignatus est Balac aduersus Balaam, & complosit manus suas, & dixit Balac ad Balaam, Vt malediceres inimico meo vocaui te; & ecce benedicens benedixisti eum tertio. Et dixit Balaam ad Balac, Nonne etiam nuntiis tuis, quos misisti ad me, locutus sum dicens, Si mihi dederit Balac plenam domum suam argento & auro, non potero præterire verbum Domini, vt faciam ipsi bonum aut malum a me ipso? quæcunque dixerit mihi Deus, hæc dicam.] Consueuerunt enim falsi diuinatores iis quoque fallacibus vti vocibus, ac simulare se sciscitantibus verum omnino responsuros. Sic igitur habeto, verum loqui, esse ab incantatorum & magorum arte prorsus alienum: fieri autem interdum, vt a Deo veritas adiungatur, vt nefariorum hominum animi prædictione rerum futurarum vehementer æstuent. PALLAD. Assentior. CYRILL. Nam odisse Deum huiusmodi siue magicas disciplinas, siue temere fusas voces, easq. dissoluere, liquere poterit ex B
Esai. 44. eius verbis, cum dicit, [Ego dominus Deus:] & ad hæc præterea, [Quis alius dissipabit signa pythonum, & diuinationes de corde, conuertens prudentes retrorsum, & consilium eorum stultum faciens? & confirmans verba pueri sui, & sententiam nunciorum suorum veram comprobans?] diuinationes enim de corde iactatas vanas ac mendaces ostendit; sed pueri sui, id est, Christi, omnia verba confirmat: sententiam porro nuntiorum suorum, id autem est, quæcunque voluerint loqui fidei, quæ in eum habetur, præcones, hæc omnino veritatis esse plena demonstrat, cum illis signis atque prodigiis attestetur, & aliis Spiritus sancti operationibus. Dixit etiam rursus, cum quibusdam facta, quæ Dei
Esai 47. lege improbantur exprobraret, [Sta igitur in incantationibus tuis, & in multis veneficiis tuis, quæ didicisti a iuuentute tua; si poteris iuuari; laborasti in consiliis tuis: stent & saluent te astrologi cæli, qui contemplantur stellas; annuncient tibi, quid venturum sit in te.] Vides igitur quomodo risu dignam C
& prorsus inutilem, illam execrabilem ex astrorum obseruatione diuinationem coarguit Deus. Ipsi vero & quidem soli conuenire veritatem, qua prædicuntur ea, quæ certo euentura sperantur, ex eo agnosce, quod per Esaiæ vo-
Esai. 46. cem loquitur, [Recordamini horum, & ingemiscite; pœnitentiam agite, qui erratis; conuertimini corde, & recordamini priorum a sæculo, quia ego sum Deus, & non est præter me; qui annuncio prius nouissima, antequam fiant, & simul consummata sint. Et dixi, Omne meum consilium stabit; & omnia, quæcunque decreui, faciam.] Soli igitur Deo, qui est supra omnia, a nobis est tribuendum, futura tum plane scire, tum vero posse certe prædicere: nugæ vero futiles, & aniles fabellæ, fallaciæ quoque ac præstigiæ sunt, quæ ab aliis proficiscuntur: qui cum sint mente corrupta, de corde suo loquuntur, vt scriptum est; & ex falsitate parandæ pecuniæ occasionem quærunt. PALLAD. Verum est; sic enim se res habet prorsus. CYRILL. Ab hac igitur quoque D
re abstinebimus; & relicta peruersa via, per rectam incedemus; ac Deo semper eodem modo innitemur, & sanctorum hominum vocibus veritatem tribuemus. PALLAD. Et quidem maxime. CYRILL. Quid? non illud quoque præterea execrandum putabimus, partemq. esse dicemus gentilium impietatis; igni & aqua purgari scilicet, & aliis quibusdã eiusmodi? PALLAD.
Deut. 18. Maxime vero. Itaque diuina lex dixit, [Non inuenietur in te purgans filium suum, aut filiam suam igni.] CYRILL. Quam recte lex nobis ista pronunciauit, &, ne fierent, prohibuit? est enim ea res, vt opinor, temeritatis plena, & rationis optimæ ac sapientis expers: quam enim vtilitatem afferre nobis possit ignis natura? quomodo etiã faces in orbem agitatæ eũ, qui peccarit, liberare?

A liberare? AEris quidem, aut alterius eiusmodi materiæ sordes excoquit vis ignis; mentis autem aut animæ impuritatem quonammodo consumat? nonne igitur hæc ridicula sunt, & vanarum cogitationum commenta? PALLAD. Ita prorsus. CYRILL. Libentissime autem iis, qui inter Græcos egregij habentur, quique huiusmodi turpia instituta & inuenerunt, & aliis tradiderunt, equidem dixerim, Quod vestrum est consilium? vos, præstantes viri, ac sapientes, appello, cum Tityum illum, quem ortum ex terra dicitis, apud Inferos torquetis, & vultures adhibetis, qui tamquam conuiuæ iecore pascantur, quod mulieris speciem admiratus, libidinis morbo laborarit? Tantalo autem lapidem imminere dicitis, eumque intemperantis linguæ pœnas dare, pueris fabulosæ traditis? rotæ quoque diuturnis, ac perpetuo circumactis conuersionibus Ixionem alligatis, & in ea pœnas luere dicitis fallaciæ illius, quæ vestris diis minime displicuit: vos ipsos vero ac ceteros quamuis grauissimis turpissi- *Hom. Odyss. A.* *Euripides Oreste.*

B misq. malis teneamini, igni ac ramis liberatis, vt ipsi opinamini; & perditissimis hominibus criminum ablutionem conceditis? Tityo vero, quæso te, & iis, quos modo nominaui, ignis penuria fortasse adeo acerbas pœnas imposuit? Atqui ille vestra opinione furacissimus, qui ignem ad homines detulit, Prometheum dico, si vllus omnino etiam ille fuit, ignis vsum adeptus est; & quidem ante alios: tamen ipsum quoq. vinculis adeo firmis, vt rumpi non possint, innexum esse, vestræ fabulæ canunt: quin etiam vncis vnguibus vultures aduolasse dicunt, sicut Tityo quoque, videlicet tetros & immanes vltores. Date igitur date, vt igni purgari possint non illi solum, sed siqui vestrum aut in aliorum hominum filias aut vxores insanierint, eaque admiserint, quæ fas non est; liceat iis quoque per ignem a culpa liberatis, non solum a turpibus factis, verum etiam a forensibus iudiciis emergere. Ceterum in aliis illico iudicia & accusationes, & legum seueritas vindex nequitiæ incitata fertur & vibrat;

C vos ipsos autem, quamuis turpissimam ac pessime olentem vitam sequamini, tamen frigidis ac puerilibus ludicris decepti, omnem labem putatis abstergere, & administros ad eam rem sumitis, homines omnium sceleſtissimos, qui simul cum habitu sermonem quoque virilem abiicienres, ad mulierum affectus ac mores, corpora sensusque deiiciunt. Quo tandem modo, qui eiusmodi est, scelera expiabit? sic enim affecti, simile quiddam facietis, ac si quis, cum se velit vnguentis perfundere, cœno fœtidissimo oblitus, perfecisse se putet, & quidem optime, quod cogitarat. PALLADIVS. Recte ais: nam tibi equidem vera dicenti assentior. CYRILLVS. Mitto igitur horum in hac re insaniam, ac taceo interim de illis purgationis administris, & redeo rursus ad rem propositam; atque illud etiam dico deprehendi facile posse idolorum cultores summa cum inscitia atque stultitia vitam instituisse, ac neque eluendorum criminum rationem intellexisse, neque explo-

D rasse quidnam sit reuera labes & impuritas: adulteria namque, & vitia his quoque immaniora; masculorum cōcubitus ac cædes, detractiones, & inuidiæ, mendacia ac doli, fallaciæ ac periuria, maculæ sunt, & inquinamēta, quæ animam & corpus inficiunt, ac difficile ablui atque abiici possunt. Sed hæc neq. ignis neque aquarum fontes absterserint. Itaque, cum ne scire quidem curent, hæc animum inquinare, & odore pessimo replere mentem, refugiunt a cadaueribus, & corrupta corpora execrantur. In quo naturæ leges contemnunt; quinetiam esculenta, quæ voluerint, sapienter, vt ipsi putant, improbant: ac si forte contigerit, vt vel præter voluntatem attingant, illico resiliunt atq. ad ignis vel aquæ lustrationem properant; tamquam si ab iis duntaxat abstinuerint, sancti sint ac puri futuri; adeo hac opinione sunt occupati, & mentis impotes facti: in quos dici

Matth.23. dici poteſt & quidem aptiſſime, [Væ vobis effrenati ac ſtulti, excolantes culicem, & glutientes camelum.] Nihil enim de ea re laborant, quæ vere inquinare conſueuit; ea inaniter horrent, a quibus nullo quiſpiam afficitur incommodo. Itaque, ſiquis eorum ad monumentum perrexerit, & mortuorum hominum ſepulchra fuerit ingreſſus, abiicit veſtem, radit caput, ipſum quoque crinem tamquam impurum detondens. A quibus rebus eſſe nobis recedendum, A

Deut.14. cauendumq. ne eos imitemur, diuina lex docuit; dixit enim iterum, [Non luſtrabitis, non imponetis caluitiũ ſuper mortuo inter oculos veſtros.] Gentilium enim egregij ſcriptores Apollinẽ fingunt Deum, quem etiã Phœbum appellãt, ideſt, purũ & impollutũ eumdenq. eſſe quẽ Solem dicunt; phœbare igitur dicebant, ac phœbari rurſus ex græca loquendi cõſuetudine, quod purgare eſt atq. purgari, vt ipſi putant, & vt eſt in ipſorum legibus. Ab iis igitur adeo turpibus atq. deformibus obſeruationibus nos diuinũ reſpõſum coercet; neq. enim mortem corporum eſſe animi pollutionem putare conuenit, aut exiſtimare cadaueris conſpectu maculas in cordibus aſpicientium imprimi; neque propterea crinem tondere; id enim vaniſſimum eſt, & abiectiſſimæ opinionis plenum. Præclare igitur Lex, [Non luſtrabitis,] inquit; neque enim eiuſmodi purgatio animum iuuat, ſed lædit potius; nam & vtiliſſimæ viæ cognitionem aufert, & ab vtilitatis indagatione nos abducit: ineamus enim hanc rationem, Leges ſunt apud nos eorum, qui ſuper terram habent imperium, quæ omnibus vbiq. hominibus, quæ facienda ſint, iubeant, prohibeantq. contraria: ſed pœnas effugere earum violatione commeritas nemo poterit, niſi imperatoris, ei benignitate condonentur. Eadem quoque ratione, qui diuinas leges contempſerit, fieri purus non poteſt, niſi id diuini numinis beneficio lucratus fuerit. Si enim ignis aut aquæ leges violauimus, & peccati cognitio ad illa ſpectat, abluat aqua culpam, excoquat ſordes ignis; condonent pro ſuo iure, quibus vo- B

Pſal. 50. luerint, crimina: ſin autem verax eſt ille, qui dicit Domino, [Tibi ſoli peccaui, & malum coram te feci:] (vnus enim eſt Legiſlator ac Iudex) quã ob cauſſam, eo dimiſſo, penes quem & puniendi eſt, & condonandi poteſtas, ad anilia commenta delabuntur, igni & aquæ tribuentes eã facultatem, vt poſſe exiſtiment ipſos a culpis abſoluere? Apage ab hac temeritate, obſecro; accede ad eum, C

Eſai.43. qui ſolus eſt natura Deus, & eum illico dicentem audies, [Ego ſum qui deleo peccata tua, & non memor ero.] Hæc eſt vera purgatio, hic ſpiritualis ſplendor: nam abluti ſumus, peccati remiſſionem fide in Chriſtum adepti; ſanctificati etiam lauacro regenerationis, ac diuina Sancti ſpiritus gratia locupletati, qui ignis inſtar maculas, quæ in noſtros animos irruunt, quaſi paleas conſumit. Ideoq. iure inquit ſcriptura diuinitus inſpirata, Spiritu ſancto & igni

Matth. 3. nos eſſe baptizatos. PALLAD. In idololatriæ igitur numero habebimus etiam hunc errorem? CYRILL. Maxime vero: eſt enim ea res impietatis plena. His iure coniungere atque adnumerare licet, quod nonnulli putant res humanas aliorum nutibus gubernari, actionumq. noſtrarum poteſtatem non de nobis ipſis pendere, ſed de iis quæ dogmatum adeo abſurdorum inuentoribus fingere libuerit. Nam Fatum & Fortunam, & Ortum neſcio quonam modo quaſi gubernatores quoſdam vitæ hominum imponentes, aſſerunt non eſſe vnumquemque noſtrum rerum faciendarum auctorem ac dominum; ſed tamquam neceſſario quodã vinculo agi pro imperantis arbitrio. Quid tãdem eiuſmodi re eſſe poteſt irrationabilius? quam vero maiorem iniuriam hominum generi inferre potuiſſet Satanas, quam, cum perſuaſit oportere, vt ad hunc modum ſentirent atque cogitarent? quomodo enim de rebus optimis conſultare aliquis, & ea ſponte aggredi poſſit vnquam? Iam vero, qui in turpibus factis D

verſatus

A versatus sit, & ea propenso animo sectatus, quæ non oportet, quonam modo se ipse accusabit, ac mærore conficiens, ad meliora tum sapienda tum facienda, mutata sententia, conuertet? Vt enim ij, qui mare transmittere, atque traiicere volunt, omnino necesse est, vt e puppi flantibus ventis agantur, & eo per vim deferantur, quo flatus impulerint; sic etiam nobis ipsis, quocunque Fortuna nos deferre voluerit, & auræ Fatorum, vt ipsi putant, ineuitabiles, prorsus concedere necesse est. Nonne recte hæc a nobis esse dicta existimas? PALLAD. Quidni existimem? CYRILL. Igitur stultum sane est, honestum quidem ac probum virum ornare laudibus, & honore dignum iudicare; improbum vero atque intemperantem, turpem putare atque contemnere. PALLAD. Qua ratione istud asseris? CYRILL. Quia, Palladi, Ortus ac Fortuna ex eorum opinione superiora sunt; & hominum, qui in terris versantur, miserrimum genus præter voluntatem in partem vtramque detor-
B quent: neque apud nos aliquid est voluntarium: quid enim? nonne id, quod ad mouendum idoneum est ac potens, caussa est, cur ea moueantur, quæ ab eo mouentur? PALLAD. Fateor. CYRILL. Perge igitur per easdem intelligentiæ notiones ad res humanas, & res nostras metire: ita in quo malorum cumulo iaceamus, optime perspicies; si non ipsi nostris voluntariis nutibus aut hac aut illac ingredimur ac properamus; sed quodammodo tenemur, & aliorum iugo subiecti sumus, qui res nostras agere ac ferre valeant, quacunque voluerint. Iam enim, si congruentia cogitabimus, nobis ipsis partes rerum agendarum tribuemus nullas, sed rerum omnium caussas iis potius assignabimus, quæ nos quasi gubernator clauum tenens pro eorum arbitrio, impellere soleãt. Aberit igitur, vt ab omni laude iustus, sic iniustus a pœna atq. supplicio. PALLAD. Rectissime colligis. CYRILL. Talium ergo dogmatum inuentores temere Solonem illum apud Athenas, Draconem quoq. ac Lycurgum ad-
C mirantur, tamquam optimarum disciplinarum auctores, & qui leges Græcis præstantissimas inuenerint. Quid enim est ex ea re commodi, si nihil in nostra situm est potestate; sed potius ex aliorum nutu nostra omnia pendent? eodemq. præterea pondere, eodemq. loco erit, qui leges ignorauit, quo illi, qui norunt, si volentibus nulla facultas, quæ velint libere faciendi datur. Quin etiam legum auctores longe iniquissimos homines fuisse pronuncio; quamuis maximam illi iustitiæ opinionem sibi comparauerint: nam segnes atque negligentes nescio qua ratione puniendos esse decreuerunt, & acerbas violatarum legum pœnas dare voluerunt; pueris autem quasi regulas quasdam, & laude dignissimas vitæ instituendæ rationes tradiderunt; idque fecerunt, aut quod in nostra facultate situm putarent, honestam vitam instituere; aut nescio quod cõsilium secuti sint. Dixerit autem, vt opinor, aliquis, Præclare quidem, o Solon, leges illius sæculi hominibus tradidisti. Sed opus erat, vt Fato præterea persuaderes, sineret eos,
D qui leges acceperant, quæ vellent & sentire & facere. Sed tu, nihil de persuadendo laborans, leges sanxisti: videbas quippe, & ipse hanc fabulam, & rerum agendarũ facultatem penes nos esse, sciebas, & hanc iniquã & cæcam actionum humanarum Fortunam repellebas: alioqui nunquam existimasses, optimũ quidem ciuem eum esse habendum, qui tum pius esset, tum legum seruator; eundemque esse summæ probitatis gloria ornatum; inutilem rursus, & inter turpissimos recensendum, qui legibus rectum vitæ iter aggredi suadentibus, multam salutem dixisset. PALLAD. Elegantissime atque optime. CYRILL. Quid vero, Palladi, puerorũ institutiones & monita, exhortationes quoq. ad virtutẽ, quas parentes liberis & magistri ad se ventitãtibus adhibent, nonne vanas esse dicemus, si viã non ex nostra sentẽtia ingredi, & vitæ semitã tenere interdũ a nostra

a nostra voluntate alienam cogimur? PALLAD. Et quidem maxime. A CYRILL. Si quis præterea aduersum pueros suos, aut alios aliquos commoueatur, eisq. rectam castigationem adhibeat; laudesne ipse huiusmodi hominem, an iniquum putes, qui consilio nescio quo omnium nobis malorum auctores irreprehensos abire sinat; eos vero, qui præter voluntatem & ex necessitate ad hæc adducti sint, mulctandos putet? PALLAD. AEquum dicis; magnam enim habet probabilitatem oratio. CYRILL. Quod autem hæc illorum opinio sit summæ impietatis plena, hinc disces: etenim, cum huius vniuersitatis quasi gubernatorem quendam & præsidem Deum ab ea, quam habet, gloria deturbent, cumq. in eam progrediantur audaciam, vt suis illum ornamentis omnino spolient; suo suffragio rerum nostrarum potestatem iis rebus ascribunt, quæ ipsis temere in mentem veniunt; quamuis creaturam omnem motibus haud moderatore carentibus in suos fines tendere videant: quid enim in creatura agitur non moderate? quidve in rebus est, quod non suum ordinem seruet? ac non ordinis principem propemodum effari videatur, & clamare se eius obtemperare legibus, eiusq. nutibus regi, qui ipsam continere ac B
Rom. 1. tueri valeat, Dei inquam? Itaque etiam beatus Paulus, [Inuisibilia, inquit, eius a creatura mundi per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur; sempiterna quoque eius virtus, & diuinitas; ita, vt sint inexcusabiles; quia, cum cognouissent Deum, non vt Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt; sed obscurarum est insipiens cor eorum, & euanuerunt in cogitationibus suis, dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt.] Quomodo enim non stulti facti sunt, qui alia quædam ab eo, quod rectum sit, sentire tum sibi ipsi, tum vero etiam ceteris persuadent? Atqui, dicet aliquis, quid opus est in his adeo infelicibus
Iob. 11. commentis fluitare, cum hoc figmentum ne vestris quidem poetis placeat? quippe qui rerum agendarum gubernationem non ad aliquos alios, sed ad nos ipsos pertinere iure censuerint. Itaque Homerus in suis poematis illum vestrum C perquamoptimum ac summum Iouem, cum ceteris ait diis collocutũ de AEgisthi adulterio & eius criminis pœna,

Odyss. A. *Quam temere Diuos culpant mortalia sæcla?*
Ex nobis enim mala dicunt esse: sed ipsi
Præter fata suis vitijs mala tot patiuntur.

Quam ob caussam, inquit, nonnulli Deos accusant tamquam ab illis in se mala deriuentur, ac non potius de suis ipsorum peccatis conqueruntur, quæ in miserias eos coniiciunt, easq. præter Parcas, id est, præter Fati condicionem, aut præter id, quod Fato decretum sit. Si quis igitur constituat recte viuere, & sapientissime optimeq. in hac vita versari, is & rectum cursum tenebit, & e casibus asperis elabetur, suæq. rectæ ac firmæ sententiæ hunc fructum percipiet, vt malis non implicetur: idque verissimum est: in nostra namque est facultate situm, in vtram velimus partem spectare, ad bonum inquam, an contra ad D malum. Ac, qui eius, quod suapte natura est honestum & admirabile, & recti itineris magnam rationem habent, ad virtutis commoda peruenient: qui vero in contrariam partem deflexerint, & res perniciosas optimis prætulerint, suæ ipsi vitæ interitum afferendo, tamquam sui ipsorum capitis sicarij ac parricidæ teterrimi conuicti tenebuntur. Esse autem in nostra situm potestate, in vtram velimus partem spectare, vt modo dixi, & dum ad voluptates inhiamus, aberrare a rerum vtilium consecutione, perspicuum fieri potest testimonio alterius ipsorum Poetæ; Euripides hic est: is quippe mulierculam in scena intemperantis libidinis morbo laborantem facit; deinde modo nescio

quo

A quo eandem philosophantem inducit ac dicentem;

O quæ supremas hasce Pelopij soli, *Euripides in Hippolyto Coronato.*
Habitatis oras, mulieres Træzeniæ,
Olim ipsa mecum, tarda dum nox labitur,
Hoc anxie quæsiui, quomodo & quibus
Corrupta caussis vita sit mortalium.
Ac mihi videntur non e sensus ingenio
In praua ferri: namque multis cor sapit.
Sed hæc origo est omnis, vt opinor, mali;
Vtilia cuncti scimus & cognoscimus:
B *Sed refugimus laborem: alius ignauia*
Alius honesto dum voluptatem antefert,
Vel hanc vel illam: nam vita multas habet.
Nugando totos ille consumit dies:
Hunc nihil agendi dulce delectat malum.

Intelligis non Fortunam, non Ortum, non Fatum priscis illis viris culpandum videri, quasi per vim nos a recta sententia, iisq. rebus depellat, quas honestas esse didicerimus: corrupta namque est vita mortalium, inquit, non e sensus ingenio, id est, non eo quod prauum natura sensum habeant; sed quod ea, quæ recte senserunt, laborando perficere nolunt. Et quæ huius rei caussa est? aut enim ignauia, inquit, ita illos impediuit, vt ad otium hærerent; aut voluptas aliqua vitæ subrepens, & aduersus vtilitatis considerationem sese opponens, C a necessariis rebus adipiscendis abduxit, & alio mentem auertit; faciliorem esse suadens viam, qua ad ignauiam tenditur. Innumerabilia his adiicere ex eorum auctoribus potuissemus; & quidem facillime. Sed auditoribus, quæ sunt satis, eadem iucunda esse, quis dubitet? Itaque orationis fastidium fugiemus. PALLAD. Recte ais. Sed, si vis, inquiunt, hæc mitte: illud potius cogita, quomodo sapienter respondeas, si qui te rogent, quænam possit excogitari ratio huius nostræ inæqualitatis, & confusionis, quæ sursum deorsum & præter meritum plerumque turbat omnia: nam peruersum hominem fortunatum ac diuitem videre licet, & vicissim sæpenumero probum, & summis laudibus dignum in contrariis rebus versari. CYRILL. Obscurum est id profecto, & arduum sane, Palladi, idque peruestigare velle, mea quidem sententia, humanæ naturæ modum egreditur ac superat: diuinis enim iudiciis concedere necesse est. Ac, siquidem recte sentire velimus, soli illi supremæ & incorruptibili D menti huius gubernationis scientiam tribuemus; ad ea potius, quæ sunt in manibus, pergemus, quæ etiam cum labore vix a nobis inueniuntur, vt scripturæ tradunt. *Sap. 9.* Sed, quia defendenda est, opinor, a nobis, vbi locus datur, hæc ratio; age nos quoque ad illud veniamus. Vanam esse, paulo ante impiorum hominum opinionem arguebamus, cum haud alienis ratiocinationibus, sed necessariis sententiis ostenderemus humani animi gubernacula non penes Ortum esse, neque Fati durum & ineuitabile iugum nobis impositum: sed rerum, quæ electione fiunt, potestatem penes vniuscuiusque arbitrium esse, in nobisq. ipsis situm, vt quodcunque visum fuerit, facere aggrediamur, siue illud bonum sit, siue malum. Equidem felicitatis genera, vt sacræ litteræ approbant, non in iis rebus collocanda puto, in quibus turpis hæc & terrena caro lasciuit; sed in iis, per

quæ

quæ animus, qui corpore nobilior est, consequitur, vt cælestis vitæ sit parti- A
ceps: hæc autem sunt, vt opinor, impensa virtuti studia, & fidei factorumq.
claritas. Si igitur volentibus temperanter viuere, non licet, siue illi malis moribus, siue bonis præditi sint; veniant in medium, qui id conuincant. Sin, quamuis in electione sit positum, vt quæ quisque velit, libere perficiat; & omnibus sit potestas, velintne spirituali felicitate pollere, & supernam gloriam ex æquo participare; tamen nonnulli plus habendi auidi, vel opibus excellunt, vel mundana gloriola, non debet nos ea res ad impias quasdam, & a vera cognitione remotas opiniones abducere, vt humanis rebus esse Fati ac Fortunæ iugum impositum putemus. Sed accuset, si cui placet, diuitum cupiditatem, qui, quod est omnibus commune, si ratio cupiditatis abesset, tamquam proprium sibi arrogant. Exquirat potius conditoris voluntatem, qui, cum res humanas æquabili ordine & procurari & spectari velit; diuitibus quidē præcipit collectas opes distrahere, & in pauperum vsus distribuere, gloriam vero ac præstantiam B
adamare non permittit. Hominibus autem, qui versantur in terris, æqualitatem a Deo præscribi, haud difficile est, ex ipsa etiam corporis constitutione perspicere. Neque enim agnoscit natura pauperem ac diuitem, non ignobilem & clarum, nobilem & abiectum, & huius mundi gloria ornatum; sed per omnes æquabilis sine acceptione personarum incedit, iisdemque membris absoluit quemq. ad expletam figuræ pulchritudinisq. perfectionē: vna est etiam omnibus ad ortum via, vnus excessus e vita; non alium e laqueis absoluit, alium irretitum tenet: duram vero & ineuitabilem omnibus, quæ condita sunt, finis necessitatem affert. Num igitur, quæso te, obscurum est adhuc, an potius cuiuis manifestum, esse diuinæ voluntati propositum, vt homines, qui in terris degunt, æqualiter viuant? Sed audi adhuc eundem, si videtur, per quendam e

Malach.2. prophetis dicentem, [Nonne Deus vnus creauit nos? nonne vnus est omnium nostrum pater? cur reliquistis vnusquisque fratrem suum?] Si qui igitur Con- C
ditoris placita violant, quod voluntariis ad omnia, quæ facere voluerint, nutibus ferantur; (ille namque Conditor libertate naturam honestauit) id quidem nihil ad rem; quandoquidem etiam leges humanas nonnulli contemnunt. Sed tamen auctores legum, nisi fallor, nemo sanus vituperet: accuset potius, & quidem iure optimo, eos, qui malint, quæ sunt nostræ vtilitati necessaria contemnere. Cum itaque peccant nonnulli, ac dicunt, Sic Fortunæ visum; &, Huc meum Fatum spectabat, quænam hæc est deliratio? vos appello: sic enim a nobis certe dicetur, Quid accusatis, quod nusquam est? ac vestram ipsorum potius non damnatis leuitatem? Atqui diuina scriptura iis, qui recte ingredi

Prouer.19 noluerint, verum pronunciabit, [Insipientia viri violat vias eius; Deum autem caussatur in corde suo.] A vera igitur sententia aberrarunt, qui Ortum & Fatum & leuissimam Fortunam nostris rebus præfecerunt, ac non potius Deo re-

Matth.10. rum gubernationem tribuendam putauerunt; quamuis dicat Christus, [Non- D
ne duo passeres asse veneunt? & vnus ex ipsis non cadet super terram sine patre vestro, qui est in cælis, vestri autem & capilli capitis omnes numerati sunt. Nolite igitur timere: multo passeribus meliores estis vos.] Prouidet quidem omnibus mortalibus Conditor; sed tamen vnicuique permittit, quod sibi videatur, facere, & quamcumque voluerit, viam ingredi. Posteaquam vero per-

Esai.8. uersum est hominum genus, Legem illico dedit in adiutorium, vt scriptum est. Periculosum igitur est omnibus, qui Christi fidem acceperint, ac veterem illum errorem dereliquerint, anilibus fabulis abduci ad ea, quæ non oportet, & a sana sententia detorqueri, vt arbitrentur hoc vniuersum, aut certe hominem, Fortuna ac Fato regi, quæ prorsus nulla sunt. PALLAD. Periculosissimū sane. Nam,

A ne. Nam, qui eiusmodi est, omnino aduersum se iudicem commouebit. CYRILL. Iam vero nonne turpissimum esse dices, & eiusmodi malis proximum ac vicinũ illud alterum, dies videlicet obseruare, & horas & tempora & annos, ac lunaris globi tum accretionem tum decrementum? PALLAD. Et quidem maxime: namque iis, qui e gentibus ad salutem reuocati erant, apertissime id pro crimine obiicit beatus Paulus, cum dicit, [Sed tum quidem non cognoscentes Deum, seruiuistis iis, qui natura non sunt dii; nunc vero cognoscentes Deum, immo vero cogniti a Deo, quomodo conuertimini rursus ad infirma & egena elementa, quibus rursus denuo seruire vultis? dies obseruatis, & menses & annos & tempora: timeo vos, ne forte in vanum laborauerim in vobis.] CYRILL. Horarum igitur ac dierum obseruatio, necnon præterea temporum, ab iis, qui vnum & natura Deum non ignorant, immo vero, qui ab ipso per fidem sunt cogniti, & ad coniunctionem gratiæ munere vocati, aliena Galat. 4.

B prorsus est; nam retrorsum redit qui hoc facere voluerit, & illam in Christo gloriam abiicit, animumq. suum non adhuc libertatis amatorem seruat, sed stulte potius veteris erroris iugum subit, cum eum honorem, qui Dei proprius est, elementis mundi deferat; &, quæ vt sint, Conditoris nutu vocantur, ea summis gloriæ ornamentis decoret. Elementa porro mundi appellat Apostolus illas quasi particulas Vniuersi, tempora nempe ac menses & horum dimensiones, quæ per horas ac dies fiunt. Nam quia continuatum erat tempus, ac perpetuo fluens in vlteriora ferebatur, per temporum & horarum ac dierum quasi interruptiones ac reuolutiones denuo redeuntes, mensuris ac numeris subiecit Deus. Opus enim profecto fuit, vt, quorum essentiæ non ita existunt, vt careant initio, & quæ propediem ad vitæ finem peruentura sunt, vt ea tempus etiam eiusmodi haberent, quod & inciperet nimirum & desineret, atque

C ad ea, quæ non semper sunt, cognatam quodammodo accomodaret naturam. Cum itaque mortalibus per tempora & horas ac dies nihil sit aliud inuectum, nisi illa in orbem conuersio, & accurata dimensio, quid est, quod ea nonnulli fabulose fingunt, quæ sit vel cogitare ridiculum, & alias quidem horas beneficas esse aiunt, alias secus, easque diligentissime obseruant, illisque tribuunt, vt, quibus voluerint, aut quibus ipsas contingere necesse fuerit, iis hominibus tum felicem successum afferre possint, tum contra infelicem? nonne hæc iam deliria sunt, ac maxima dementia, & laquens quidam diabolicus callide paratus? PALLAD. Fateor; & est id sane euidens. CYRILL. Vt enim paulo ante dicebamus, suaderi nobis ab illis, vt Fatis ac Fortunæ aliisque arbitriis res nostras ascribamus; cum vanam esse nostram diligentiam pronuncient, & abducant a cura pro nobis ipsis suscipienda; sic in hac quoque parte eundem nobis errorem struentes, dierum atque horarum casus, aiunt, tamquam ex necessario iugo mortalibus imminere, quos declinare sit difficillimum: & quod mirum est, (anilis enim est huiusmodi fabula) cum eiusmodi

D nugis innumerabiles frustrationes comitari videant, non tamen experimento concedunt, vt hoc eorum commentum coarguere possit, sed horas ac tempora malignitatis accusando, idemque iudicium de decrementis, quæ lunæ globus subit ferendo, quiduis tandem dicere poterunt. Si quis igitur velit in eadem hora, eodemq. die fortasse alios prospero successu lætos, alios maximis calamitatibus oppressos numerare, ac dicere, Atqui, quod suapte natura malignum est, cuiuis tale sit necesse est, quale vt esset, illi est ingenitum: Si igitur sunt hora atque aurora hominibus noxia, cur non ad omnes æqualiter eorum incommoda perueniunt, sed alij rerum sunt exoptatissimarum compotes facti, alij perditi interdum, ac summis malis cumulati, in fabulam vulgi, & tragicæ scenæ

argumentum abierunt? Sed, quicunque diligenter quod in primis expedit, A
id tum noſſe volunt, tum vero etiam in eo elaborare, iis videre licet eodem die atq. hora fortaſſe hunc quidem de adulterio aut cæde conuictum, acerbas iudicibus pœnas exoluere, alterum vero temperantiæ atque honeſtatis ſummæque probitatis laudibus frui: Sed neque intemperantem illum dies aut hora prohibuit quo minus temperãter viueret; neq. rurſus probum & modeſtum ad petulantiam, & intemperantes voluptates impulit, ſed arbitrium potius ad omnia liberum, & remiſſus ac ſolutus voluntatis nutus, alterũ quidem vt in illis verſaretur, alterum vt in his eſſet, effecit. Igitur in nobis eſt, non in temporum naturalibus qualitatibus ſitum, vitam & cum lætitia traducere, & ſecus. PALLAD. Ita videtur: etenim es recta oratione vſus. CYRILL. Extimeſcunt autem in primis quintum octauumq. diem, & excuſant excuſationes in peccatis. Sed quam frigidis atque anilibus ratiocinationibus fluitent, hominem prudentia præditum latent neminẽ: nam Furiarum quarũdam originem, B
ac Dæmoniorum, quæ aliis immaniora ſint, exortum, pœnas etiam ac mulctas, & nonnulla alia prætereà nugatorie his intexere miſeri non erubeſcunt. Quod ſi lunæ globus antea plenus iam ad decrementum vergat, (ſic enim per menſtruorum ſpatiorum orbem reflectitur nunc decreſcens, nunc augeſcens, vt illi fabricatori viſum eſt) ceſſant ab omni opere, profectiones etiam in alium diem prorſus reiiciunt, quod cum eo ſidere deficere noſtras etiam res arbitrentur, & cum illud ad imminutionem redit, humana quoque ſimul tabeſcere putent. Ac, ſiquid, illorum ſtultitiam irridendo, dicere fas eſt, id pauent, quod oſtreis & oleribus infeliciſſimis eſt pertimeſcendum. Huiuſmodi namque corpora fortaſſe aut etiam maiora quoque ac præſtantiora ſinamus naturæ vi eiuſdem affectionis ſenſum percipere, ea ratione, quam Opifex nouit: lubrica namque eſt in huiuſmodi rebus inquiſitio, & non inutilis ceſſatio; at certe ab humano animo ea res aberit ac longe remota erit. Nam, etiamſi ſidus illud de- C
creſcat forte, vir certe temperans, & moderatus nihilominus idem permanebit, neque illius animus vna cum eius ſideris fulgore minuetur, neque ipſarum rerum natura vi ſideris coacta, ad turpiorem melioremve ſtatum demigrabit. Semper enim fere eos, qui præclaras res geſſerunt, conſequitur omnium bonorum adeptio, & contra malorum factorum auctores præmia illis digniſſima comitantur. Miror autem, cur, decreſcente quidem luna, & ad finem menſis decurrente, iiſdem hominibus, cum feneratores ſint, & pecuniarum ſane cupidi, accreſcat fenus, contraque mutuum ſumentium ſacculi leuiores fiant; ceteras porro res vna cum ſidere neceſſario decreſcere, ac ſimul affici neſcio quonam modo putauerint. An hæc non riſus ac ſtultitiæ plena eſſe affirmas? PALLAD. Maxime vero. CYRILL. Sed opinionibus adeo ſtultis velle longis diſputationibus repugnare, vanum eſt mea quidem ſententia: ſunt
Heſiodus in operibus. enim ſua ſponte, etiam nullo dicente, turpes. Pergamus nunc ad illud potius. D
PALLAD. Quodnã, rogo? CYRILL. Abominari mihi Satanas videtur & quintum, & octauũ diem, & illũ ex pleno lumine lunæ recurſum, vel recurſus tempus, id eſt, decimumquartum diem, ob eam cauſſam: quamuis, vt eſt varius & acer ad aſtutiam, alias illis adnectat occaſiones: nam tempora aut dies, quibus ipſum e tyrannide, qua nobis dominabatur, deturbari contigit, cum ille Vnigenitus in humana forma & ſpecie noſtri ſimili nobis affulſiſſet, fortaſſe ne ſimplici quidẽ cogitatione complecti ſuſtinet. PALLAD. Quomodo iſtud aſſeris? CYRILL. Nonne, Palladi, quinto loco a nobis tempus illud numeratur, quo Saluator noſter aduenit? PALLAD. Intelligo ex illa Euan-
Matth. 20. gelij parabola; exiſſe enim, ait Chriſtus, eum, qui operarios ad vineam condu-
cebat

A cebat circa horã primam, tertiam, sextam,nonam,& vndecimã, idest, extremo tempore, cum ipse apparuit & affulsit nobis. CYRILL. Prudentissime quidem ac rectissime dixisti. Quid porro? nonne quinta sabbati traditum esse illum dicimus, ac velut ad initia peruenisse totius dispẽsationis, per quam omnibus nobis est parta salus, cum propter nos homo factus, crucem pro nobis salutarem pertulit? PALLAD. Maxime vero. CYRILL. Mortem porro nonne destruxit, atque, inferis expoliatis, reuixit iterum octauo die, idest, vna Sabbatorum? PALLAD. Minime id quidem ambiguum. CYRILL. Quinetiam antiqua lex circuncisionem illam in carne, quæ effigies quædam esset illius in spiritu & veritate circuncisionis, præcepit octauo die fieri. Circuncisio autem veteri illa præstantior, hæc inquam in spiritu, Sancti spiritus est participatio, & gratia illa, quam in exordio habueramus; quam, vbi e mortuis reuixit Christus, denuo nobis instaurauit dicens, [Accipite Spiritũ sanctum.] *Ioan. 20.*

B Dixit etiam beatus Paulus, [Pascha nostrum, immolatus est Christus.] Dies *1.Cor.5.* autem huius salutaris & exoptatissimæ immolationis, est illa ex lunæ cursu quartadecima. Ita Lex quoque aperte prædicauit Saluatoris nostri immolationis diem, quam illum pro mũndi vita sustinuisse dicimus: [decima enim, *Exo. 12.* inquit, die mensis primi accipiant sibi ouem per domos; iuxta numerum, inquit, animæ colligent, & seruabitur vsque ad quartumdecimum mensis huius diem, & immolabunt illam ad vesperam omnis multitudo filiorum Israel.] Audis a decima die sumptam victimam vsque in quartamdecimum diem seruari a veteribus illis, vt quintum intelligas tempus, quo factus homo, illam pro nobis mortem pertulit, decrescente iam luna, quæ ad noctis imperium præfecta est. Erat autem ea res mysterij figura, & subtiliter significare videtur fore, vt Diaboli tyrannicus ille dominatus retro sublapsus referretur, ac sensim infirmitatem atque impotentiam subiret. Is porro lunæ quodammodo fi-

C guram sustinet; nam ipse quoque nocti imperat, idest, iis, qui sunt in tenebris, & adhuc dormitant, & diuinæ cognitionis lumine carent: esse autem hunc morem scripturæ diuinitus inspiratæ, vt nocti comparet errantium gregem, audi quid dicat omnium Dominus Iudæis, cum ciuitas illa Hierusalem ad idola colenda reuertisset, [Nocti assimilaui matrem tuam: similis factus est *Osee 4.* populus meus, acsi non habeat scientiam.] Intelligis enim noctem appellare eos, qui cognitionem veræ illius & secundum naturam diuinitatis non haberent. Odit igitur ille omnium hostis tempora & dies, quibus ipse quidem periit, nos vero seruati sumus. Quisquis autem cum illo simul odit, ex illius etiam parte erit, & cum illo sortem habebit, vt perpetuo puniatur. PALLAD. In parte igitur nefariæ reuera, Deoq. inuisæ idololatriæ etiã huiusmodi res constituemus, vt illa proculdubio constituimus, quæ de ea, quæ Generatio appellatur, vanissime dicuntur. CYRILL. Sic velim habeas; non ali-

D ter se habere, quemadmodũ ipsa quoque rerum experientia coarguit. Ad hæc illud quoque nobis odiosum in primis esse debet, deditum esse auguriis, insusurrationibus, atque carminibus: nam Gentilium nonnulli in eam mentis leuitatem lapsi sunt, vt putarent nostrarum rerum cognitionem in auibus quoque per aera volitantibus insitam. Itaque volatus quoque ad Orientem & Occidentem, ad dextram & sinistram curiose peruestigant: ac, sicubi canere cornix visa fuerit, adhibent aures, ac tamquam aliquid verissimum accipiunt, indeque læti redeunt, neque erubescunt miseri, rei adeo venerabilis, prophetiæ vim auiculis tribuere. Huiusmodi autem honesta scilicet, vt ipsi secum putant, ratio affingitur: per ipsas enim inquiunt, Dii ostendunt. Nos autem deos non esse dicimus apostatas angelos, a quibus ad vos præclari, si Deo placet, atque

Hesiodus in operibus. admirabiles prophetæ, & rerum futurarum præscij legantur, arguta cornix, & A præpes accipiter, & variæ palumbes, (vt ipsis gentilium auctorum verbis vtar) & ceteræ aues; dignos scilicet talibus diis prophetas, quibus illi garritus ad vos deferendos insonent; vos etiam felices ac beatos, qui tales Deorum interpetes nacti sitis; obliti autem estis, vt res declarat, quamuis vestrorum poetarum opiniones admirari soleatis, ipsis quoque eam rem ridiculam videri, & nugas esse ac rem prorsus inutilem putauisse. Homerus enim;

Iliad. M.
Mitte agedum volucres, ignaue, inquit,
Siue illa ad dextram, solisq. feruntur ad ortus,
Seu magis ad læuam, densa regna humida noctis.

Euripides vero stultam rem esse decernit, seruare auium volatus: nã Theseum, inquit, furore aduersus Hippolytum filium inflammatum, atq. etiam, vt illum e patrio solo pelleret, molientem, cum ille diceret; B

Euripides in Hippolyto coronato.
Nec iusiurandum, nec fidem expendens prius,
Nec dicta vatum, indicta me caussa eiicis?

ad hæc respondisse;

Hæc ipsa te tabella, sortis nihil egens
Accusat, hæc conuincit: istas autem aues
Valere iubeo, quæ supra caput volant.

Atqui Dei vox certe idoneus est auctor, eaq. fides litteris libelli certior. Siquidem mentiri, non est a nobis alienum: sed nihil peccare, Dei est proprium, eique veritas cognata maxime. Sed sciebat videlicet omnino Theseus aues supra caput volantes nihil esse prorsus. Non igitur Dæmoniis vllo modo est ascribenda rerum futurarum cognitio, sed illam potius Deo tamquam præcipuam tribuemus; & nugæ erunt posthac auium prædictiones; ac fides huic rei adhibita, mentis parum firmæ indicium euidens. Ipsa quoque profecto Lex ait, C

Leuit. 19. [Non augurabimini:] quod eam rem execrandam esse sciret, & omnium dominatori Deo, in primis odiosam. PALLAD. Hæc ita se habere mihi quoque videtur. CYRILL. Incantatio rursus & illa occulta, & anilis insusurratio, magicæ artis pars atque species esse videtur. Itaque etiam beatus Moyses supernas leges nobis declarauit, qui semper hæc peccata coniunxit, & tãquam cógnata, affiniaque crimina vnà cum veneficiis incantationem recensuit: ait

Deut. 18. enim, [Non erit in vobis diuinans diuinationem, augurans & ominans, veneficus, incantator, portentorum obseruator, & pythonem habens, & interrogans mortuos.] Ceterum, cum incantatio turpissima sit, ac vitiosissima, tamen nescio quonam modo eam nonnulli admirantur, atque illud aiunt, Dominum Sabaoth nuncupare, cum super infirmis carmen incantant, qui eiusmodi artes exercent. Hac ratione confirmare conantur, abesse a turpitudine hoc studium. D videntur autem frigida quadam atque infirma ratiocinatione ad hunc errorem atque dementiam abduci: hoc enim ipsum est in ea re molestissimum; nos enim hac voce, Dominus Sabaoth, Deum vniuersorum appellamus, cum illum glorificare volumus: neque rei præterea ex omnibus, quæ sunt, vlli hanc appellationem permittimus: vnus enim ac solus est exercituum Dominus: hi vero adeo admirabilem & gloriosam appellationem seu glorificationem Dæmoniis vna secum ludentibus quibus voluerint, facile proiiciunt, & illis portentorum suorum actoribus gloriam, quæ Deo soli maxime conuenit, largiuntur, adulantes simul & vicissim adulatione capti, & pro rerum, quas volue-

A voluerint, euentu, hanc tam tetræ impietatis magnitudinem mercedis loco rependunt. Est enim Dæmoniorũ cohors Deo semper inimica,& appetentissima gloriæ. Non igitur committendum est, vt illorum prauis consiliis abducamur;sed potius ab illis quamlongissime discedendum; neque malis medicis ac portentorũ auctoribus Dæmoniis auscultandũ, suarum in nos ludificationum, nefarias has laudes mercedis cuiusdam instar exigentibus. Tu vero,si qua tibi pars corporis dolet, & vere credis hæc verba, Dominus Sabaoth; & alias huiusmodi appellationes,quas Deo, qui secundum naturam est, diuina scriptura tribuit, vim habere putas pellendi malum illud, pro te ipso preces fundens, hæc verba pronuncia; sic enim rectius, quam illi, facies,neque impuris spiritibus, sed Deo gloriam tribues. Commemorabo etiam diuinitus inspiratam scripturam, quæ ait, [Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Ecclesiæ; *Iacob. 5.* & orent super eum,vngentes eum oleo in nomine Domini; & oratio fidei saluabit infirmum, & alleuiabit illum Dominus; & si in peccatis sit, remittentur ei.] PALLAD. Auguria igitur & carminum incantatio numerentur, si placet,inter ea,quæ Lege damnantur,& quæ a Deo turpissima & maxime execranda iudicantur. CYRILL. Maxime vero.Illud etiã addiderim,aliis quoque modis in Deũ iniuriosos esse posse,& suæ quęque erga eũ impietatis reum fore,ac pœnas daturum, si periurus erit, aut blasphemum aliquod verbum, & absurdum de illa suprema præstantissimaq. gloria dixerit. Illud enim prius ira summa, grauissimaq. pœna vindicatur,falce, vt scriptum est, consumente periuri domum,& funditus euertente: [ingredietur enim, inquit, in domum furis, & in domum iurantis in nomine meo mendaciter, & requiescet in medio *Zacch. 5.* domus eius, & consumet eam, & ligna eius, & lapides eius:] illud vero alterum morte ac supremo supplicio mulctatur. Non itaq. in re falsa iurandum;

C immo vero ne iurandum quidem omnino: id enim docuit nos Saluator, cum dixit,[Sit autem sermo vester,Est est;& Non non; quod autem his abundantius est, a Diabolo est:] neque enim, qui graues habentur, & virtutem *Matth. 5.* sibi quasi contubernalem fecerunt,iis omnino iurisiurandi vllus erit vsus: nam eiusmodi hominum vita apud pietatis amatores certe magno in pretio est,neque illi fides non haberi solet; ac, si quid talis vir forte dixerit, illico fide audientium excipitur.Sit igitur vitæ nostræ ratio præclara,neque vllus erit profecto,vt ego arbitror,iurandi vsus.Sin opus erit aliquãdo,quod honorem, quem sanctis viris haberi conuenit, nonnulli interdum paruipendant, Deus testis ad iusiurandum adhibeatur;neq. vllarum aliarum rerum nomen afferatur,inconsiderate namq. iam nonnulli ad futiles vanitates pergũt, nihilq. referre fingunt, cum per cælũ,per iustitiam,per Adrastiam dicunt,per lucẽ, per lucernam. quin etiã alia quædam suo arbitratu colligentes, fortassis etiam pie se facere putant, cũ Dei nomen reiiciant,& ea,quæ illius nutu,vt essent,vocata sunt,gloria, quæ

D Deo conuenit,exornent.Huiusmodi quodã errore laborasse interdum Israelem reperiemus. Nam templum illud, quod Hierosolymis habebatur, proculdubio in honorem Dei extruxerant, & cum ob eam rem essent elati, ac pietatis ornamenta se consecutos esse, & insignem gloriam percepisse crederent, quæ illis a sapientissimo viro Moyse præcepta erant, de iis præ incuria parum laborasse conuincebantur; sed eam rem illis gloriæ non futuram, neque se lapidum extructionibus delectari, docuit Deus, cum dixit, [Cælum mihi sedes est, & *Esai. 66.* terra scabellum pedum meorum; qualem domum ædificabitis mihi, vel quis locus requietionis meæ? dicit Dominus.] implet enim omnia Deus, ac requiescit quidem in cælo; pertingit autem etiam ad terras: neque enim mole cohæret Dei natura; sed, vt longissime abest a specie corporea, sic etiam a loco & molis

opinione remotus est. Sed Iudæi cum semel illum dicere audissent, Cælum mihi sedes est, & terra scabellum pedum meorum, ad lubricas opiniones diuerterant, & cælum ad iusiurandum assumebant, Thronum illud diuinum appellantes; simili quoque ratione terrã, quasi Dei pedibus subiectam; Hierusalem præterea, vrbs enim est, aiebant, omnibus rebus dominantis Dei, quamuis sancti illi priores verba illa, Viuit Dominus, ad iursiurandi vsum assumpsissent. Sed Iu- A

Matth. 5. dæorum stultissimam cogitationem improbauit Dominus dicens, non oportere iurare neque per cælum, quia sedes Dei est; neque per terram, quia scabellum est pedum eius; neque per Hierosolyma, quia ciuitas magni Regis est: nam, quæ illi nugantes dicebant, ea opportune Saluator enunciauit, vbiq. confictam, & nescio vndenam inuentam in huiusmodi rebus religionem arguere volens. Absit igitur etiam in eiusmodi re error: didicimus enim, vbi iurandum sit, nihil aliud commemorare vnquam, sed potius ad fidem firmam certamque

Exo. 22. faciendam vti illis verbis, Est est, Non non. Dixit etiam Lex, [Si perditum fuerit depositum ab aliquo, exegeritque qui dedit, in ea re fidem, iusiurandum Dei erit inter vtrumque.] Atque homines quidem per id, quod maius est, iu- B

Heb. 6. rant; (sic enim Paulus ille sapiens dixit) maius autem esse homine, recte dicimus, non id, quod magnitudine fortasse, aut certe sapientia atque prudentia, & gloria vincit: sed quod tota essentia tale sit. PALLAD. Quod dicis, parum intelligo. CYRILL. Atqui, Palladi, aperta est, vt mihi quidem videtur, & euidens oratio: nonne enim magnitudine fatemur multa, quæ condita sint, humanis corporibus longe præstare, & in his cælum? PALLAD. Et quidem maxime. CYRILL. Prudentia vero ac sapientia, & subtilitate corporum nonne Angeli vincunt? PALLAD. Vincunt. CYRILL. Honore præterea & splendore ac gloria, quæ ad corpus pertinet, nonne multis partibus est solis natura præstantior? PALLAD. Fateor. CYRILL. Efficitur ergo, hæc singula, si ex ea parte, qua superiora nata sunt, nobiscum comparentur, habere iure optimo præstantiam; num igitur hæc ad iusiurandi vsum C assumemus, Deiq. commemorationem tamquam superuacuam abiiciemus? PALLAD. Nullo modo. CYRILL. Est igitur consequens, vt id, quod natura superius est, & vniuersa essentiæ ratione rebus conditis antecellit, id est, Deum, etiam homine maius esse dicamus. PALLAD. Recte ais. CYRILL. Habeant igitur hæc verba, Est, &, Non apud eos certe, qui optimam vitæ rationem instituerunt, locũ ac vim iurisiurandi, ac recte firmentur: nam ita sequetur, vt fides illis habeatur. Quod si hæc loquendi forma, Est, &, Non ab aliquo contemnatur, tum denique iurisiurandi vsus ad id reuocetur, quod est nobis, immo vero vniuersa creatura maius. Nam de blasphemia quidem quid attinet dicere, quaque in re versetur, & ad quam perniciem eos, qui ipsa vti consueuerunt, perducat? quam & acerba morte Lex mulctandam censuit, &

Matth. 12. ipse Christus quoque ineuitabilibus æternisq. suppliciis damnauit: [qui enim D dixerit verbum contra Filium hominis, dimittetur ei: qui autem dixerit contra Spiritum sanctũ, non remittetur ei neq. in hoc sæculo, neq. in futuro.] Spiritũ vocans naturam illã corpore superiorem, quæ Deus est; in quem siquis effre-

Prouer. 18. natã linguã laxare ausus fuerit, metet intemperantis dicacitatis fructus. [Labia enim insipientis impellunt eum ad mala, sicut scriptũ est; os autem eius audax

Psal. 14. mortem inuocat.] Itaq. etiã diuinus ille Psalmorum Cantor dicebat, [Pone, Domine, custodiam ori meo, & ostiũ circumstantiæ labiis meis: ne declines cor meũ in verba malitiæ:] Hæc autẽ verba sunt, vt opinor, impiæ aduersus Deum & illam ineffabilẽ incorruptamq. naturam querelæ. PALLAD. Oportet igitur, qui recto itinere pergere sine vlla culpæ labe contendunt, eos bene confir-

matos

A matos esse, & eiusmodi, vt Deum offendere nullo modo sustineant: CYRILL. Ita sentio: nam aduersus eos, qui ad Deum accedunt non sano corde, sed dubio atque corrupto, quod & natura sua imbecillum sit, & ad ruinam facile impellatur, propheta loquitur, [Quousque claudicabitis vtroque poplite vestro? aut Baal Baal, aut Deo Deo.] Nam neque in fide omnino sanum esse, neque rursus in errore fixum, vtroque claudicare est; id vero, & in vtraque re sinceritatem corrumpit. Occasionem porro huius adeo infirmæ fragilisque mentis quibusdam esse puto, quod non vero, sed confictο amore Deum diligunt, ac simulant quidem se Christianos esse velle, non tamen id ex toto corde faciunt, neque quod veritatis reuerentia in eam sententiam ducantur, aut id, quod rectum est, magni faciant; sed quod aut cupiditatem suam aucupentur, aut periculi metum & grauioris alicuius infortunij imminentis impetum tamquam incantatione quadam amoliantur, dum ad fidem
B accedere videntur, vt multos habeant, qui laborātibus simul opem ferre velint, atque illis suas curas impertiantur. Sed extrema eiusmodi hominibus procuratio tribuetur, & inter abiectissimos homines sors eorum erit, & ignominiosissimi atque contemptissimi deprehendentur; & qui vix id consequi possint, vt ipsa vita digni esse videantur, Deo exquirente, quæ in nobis latent: quales nimirum Gabaonitæ fuerunt; accesserunt enim ij quondam ad Iosue, & vt cum populo Dei sociarentur, vehementer orabant; verumtamen non sine malitia neque simpliciter & sine vlla, vt ita dicam, mercatura vtilitatum suarum, & tamquam ex caritate erga Deum, sed simulate & dolose accesserant. Ac latuere quidem a principio; sed, posteaquam deprehensum est illos grauia moliri, & malignitas eorum atque versutia comperta, infimis muneribus addicti sunt: facti sunt enim vniuersæ Synagogæ lignarij & aquarij. Vides igitur quo perducat simulatio, & nolle integro animo societatem atque coniūctionem spiritua-
C lem sanctorum virorum amplecti. Fallunt enim interdum nonnulli non vtique Christum, omnia scientem, sed eos qui illius figuram tenent, idest, populorum principes, vt illi nimirum eo tempore ipsum Iosue fefellerunt, qui in Christi figura atque imagine in Scriptura productus est: & accedunt dolis tecti, abditisq. penitus consiliis, animique malitiæ, simulationem quasi velamen prætendentes: deprehensi autem, (neque enim latere fas est) vix salutem retinebunt, in seruilem atque infimum ordinem redacti: est enim fallacia illiberalis animi germen. Nos autem, quibus propositum est ea, quæ Dei sunt, integro sanoq. animo sentire, & qui cetera negligimus, Domino nostro Deoq. vniuersorum simplici corde, recto animo, & integra caritate adhærebimus, quæ non patitur, vt duplicis animi vitio laboremus, & est a moribus atque sensibus Gentilium prorsus aliena, & quamlongissime constantissimeq. disiuncta ab iis, quæ Lege damnatur. Ita enim erimus perfecti coram domino Deo, sicut scriptum
D est: clari etiam atque probati inter ceteros sanctos in Christo, per quem, & cum quo Deo ac Patri gloria cum Sancto spiritu in sæcula sæculorum, Amen.

3.Reg. 18.

Iosue 9.

Deut. 18.

FINIS LIBRI SEXTI.




SANCTI



SANCTI CYRILLI ARCHIEPISCOPI ALEXANDRIAE

DE ADORATIONE IN SPIRITV ET VERITATE



LIBER SEPTIMVS.

De caritate in fratres.



VM summis laudibus, & quibus adiici nihil possit, Lex A
ornet primum illud atque supremum mandatum, vide-
Deut.6. licet, [Diliges dominum Deum tuũ ex toto corde tuo,
& ex tota mente tua, & ex tota virtute tua;] & adiiciat
præterea, [Proximum quoque tuum, sicut te ipsum:]
Matth.22. cum ipse quoque Christus dicat aperte, in his duobus
mandatis totam Legem atque prophetas pendere; ac di
Rom.13. lectionem beatus Paulus plenitudinem legis appellet;
quod proximo malũ non operetur, satis illud primum, vt mihi quidem videtur,
nostra oratio, vt res patiebatur, explicauit, cũ sursum ac deorsum & quasi in or-
bem omnia circumquaque lustrauerit, neque obscure docuerit, quis a nobis
perfectæ in Deum caritatis, & omni reprehensione vacantis possit exhiberi mo
dus. Age igitur huic vicinum atque cognatum exquiramus mandatum, ac de
caritate in proximum accurate consideremus, diligenterq. ea peruestigemus, B
per quæ ad præclaram virtutem peruenire quis possit; ac, pro industria in eam
rem adhibita, summam gloriam consecutus; in bonitate cum Deo & homini-
1. Reg.2. bus, vt diuinus ille Samuel, ambulet. Arbitror enim simul cum illa erga Deum
caritate exercendam apte esse illam alteram in fratres. Nam, cui vna defuerit,
1. Ioan.4. vtraque desit necesse est, iuxta Ioannis vocem: is enim ita scripsit, [Si quis di-
xerit, quia diligo Deum, & fratrem suum oderit, mendax est: qui enim fra-
trem suum non diligit, quem videt; Deum, quem non videt, quomodo potest
diligere? & hoc mandatum hãbemus ab ipso, vt, qui diligit Deum, diligat &
fratrem suum,] Simul igitur vtraq. cum altera occidit, ac splendide simul exo-
ritur: sunt enim virtutes inter se vicinæ; ac velut indiuidui iugales, ad vnam
quandam insignem atque perfectam pietatis in Deum pulchritudinem, cum

qui

A qui optime currum hunc gubernare studuerit, deferunt. PALLAD. Recte ais. Ac, quoniam institutæ disputationis ratio poscit, vt in his explicandis labor suscipiatur, perge iam rursus,& singularum rerum, quas contemplandas proposueris, probationes e sacris litteris collige: ac nitere vt mihi explices, quonam pacto contingere possit caritatis erga proximum absoluta perfectio. CYRILL. Amplissima nos quidem ad eam rem perducit via, scriptum est enim, [Latum mandatum tuum nimis:] artem vero atque industriam in singulis rebus gerendis non aliunde, vt opinor, colligere quisquam poterit, nisi per Legem, quam in adiutorium esse nobis datam, propheticus sermo testatur. Itaque, vt nos ad perpetuam præceptorum commemorationem Legis auctor excitaret, inquit, [Et recondetis hæc verba in cor vestrum, & in animam vestram, & alligate ea in signum in manu vestra,& erunt immota ante oculos vestros, & docete ea filios vestros, & loquantur ea, sedentes,in itinere,& cuban- *Psal.* 118. *Esai.* 8. *Deut.* 11.

B tes, & surgentes, & describite ea super limina domorum vestrarum, & ianuarum vestrarum; vt multos dies viuatis,& dies annorum vestrorũ in terra,quam iurauit Dominus patribus vestris,daturum se illis,sicut dies cæli super terram.] Quid autem sit, Alligate ipsa in manibus vestris, plane in Numeris exposuit; sic enim scriptum est, [Et dixit Dominus ad Moysen dicens, Loquere filiis Israel, & dices ad ipsos; & faciant sibi fimbrias in summitatibus vestium suarum in generationes suas;& imponetis super fimbrias summitatum vestium vittam hyacinthinam, & erit vobis in fimbriis; & videbitis ipsas,& recordabimini omnium præceptorum Domini; & facietis ea; & non peruertemini post cogitationes vestras,& post oculos vestros, in quibus vos fornicamini post ipsos; vt recordemini,& faciatis omnia mandata mea; & eritis sancti Deo vestro:ego dominus Deus vester, qui eduxi vos de terra AEgypti, vt essem Deus vester; ego dominus Deus vester.] Cum ergo antea iussisset,vt describeremus Legem *Num.* 15.

C in cordibus, sciretq. præterea grauem esse mentis morbum obliuionem; in liminibus tamquam in tabula inscribi iussit; quinetiam dextræ alligare; schedulas fortasse quasdam Legem continentes, & diuinum responsum inscriptum habentes: præterea non inutile esse dixit ex ipsis quoque vestibus pendere tum fimbrias, tum hyacinthinam vittam. PALLAD. Quonam modo diuinæ Legis admoneri possumus per fimbrias ac vittam hyacinthinam? CYRILL. Nonne Legem per ænigmata traditam fuisse priscis illis hominibus, ac veluti in vmbris esse fateris? PALLAD. Fateor. CYRILL. Igitur fimbriis ac manui vittam hyacinthinam alligare, figurate, ac per ænigma significabat, quæ cælestia sunt,ea tum sapienda esse tum facienda,ac supernas illas leges memoria retinendas. Lapidi enim,nisi fallor,indico, hyacinthino inquam,ætherium corpus est quadantenus simile, cum splendore atque tenebris mistum sit, atque in imo aquæ similitudinem habeat, quæ tremulam ac fluidam speciem

D præseferat. Lex igitur & vestibus & manui vittam hyacinthinam alligari sapienti consilio iussit, tamquam pæne latenter clamaret, Quasi mentis vestimentum, & amictus rationis tibi sit oraculum cælitus editum, Lex etiam rite ac recte factorum arbitra: manus enim operum est symbolum, quæ porro legitime fiunt a nobis, prorsus reprehensione vacant, neq. de vitio sinistrum quidpiam habent. Magnificabant itaque Pharisæi fimbrias suas,& dilatabant phylacteria sua, id est, schedulas e dextra manu suspensas: ridebantur tamen a Christo, quod eam rem ad inanis gloriæ occasionem,non ad Legis commemorationem conuertissent. Fieri igitur potest, vt, quamuis id fiat, quod Lex iubet, tamen Lex ipsa violetur, nisi Lege quis recte vtatur: hocq. illud est, opinor, quod ait Salomon, [Est iustus, qui perit in iustitia sua.] Igitur Dei mandatum *Matth.* 23. *Eccli.* 7.

datum in mente atque in corde inſcribendum eſt; cuius rei vtilitatem cum perſpicuam faceret Dauid ille diuinus, de vnoquoq. viro iuſto loquens ait, [Lex Dei eius in corde ipſius; & non ſupplantabuntur greſſus eius:] illud enim, vt opinor, plane manifeſtum eſt, cuius in mente lex diuina fuerit, eidem omnino ineſſe præterea, vt probe confirmatus & virtute ſit ſtabili. P A L L A D. Ita ſe res habet. C Y R I L L. Itaq. iugis atque perpetua Legis meditatio ad rectam viam perducit, quod idem eſt atque ad id quod Deo placet, obliuionem ex hominis animo veluti tenebras quaſdam caliginemque diſcutiens. Neque vero hucuſq. tantum progreſſus eſt Legiſlator; ſed cum adhuc melius quiddam excogitaſſet, ad excitandam in laboribus ſuſcipiẽdis alacritatem, ſpem omniũ rerum exoptatiſſimarum tamquam eſcam quãdam adiungit; ait enim rurſus, [Si in præceptis meis ambulaueritis, & mandata mea cuſtodieritis, & feceritis ea, dabo pluuiam vobis in tempore ſuo, & terra dabit prouentus ſuo, & ligna campi reddent fructum ſuum; & comprehendet vobis tritura vindemiam, & vindemia ſementem, & edetis panem veſtrum in ſacietatem, & habitabitis cum ſecuritate in terra veſtra; & dabo pacem in terra veſtra; & bellum non pertranſibit per terram veſtram; & dormietis, & non erit, qui exterreat vos, & perdam malas beſtias de terra veſtra.] Intelligis quanta cura atque benignitate dignetur probum virum, & bonis operibus deditum, & qui Legem reuereatur? nam tempeſtiuum imbrem atque ſerotinum, frugumque copiam ſibi inuicem ſuccedentium, paniſq. ſacietatem, & eſculentorum vberem fructũ, pacem præterea ſe largiturũ pollicetur: Legis enim verum cultorẽ, & eorum quæ Deo placent cupidiſſimum amatorem, cæleſtium bonorũ abundantia inebriari par eſt: illa namq. ſpiritualis & ſuperna conſolatio iuſti viri animum tamquam pingue ſolum ac fertile imbris inſtar irrigans, maxime lætificat, vt iuges & quaſi multiplices in Deum pietatis fructus edere poſſit: pax vero eundem coronat, quæ largitur, vt in eo, quod bene eſt, valeat permanere. Itaque ſcribit Paulus, [Et pax Dei, quæ exuperat omnem ſenſum, cuſtodiat corda veſtra, & intelligentias veſtras.] Quiſquis igitur eiuſmodi Dei liberalitatem nactus erit, is bellis vacuam, ac pacis plenam vitam traducet; cedet hoſtis cadetque, & ad nihilum recidet quidquid obſiſtit, & impetus diabolicus irritus erit, & timor omnis facile propulſabitur. Hanc eandem legem in Deuteronomio quoq. deſcriptam reperiemus; ſic enim dixit, paucis permutatis, [Si vero auditu audietis omnia mandata eius, quæ ego mando tibi hodie, vt diligas dominum Deum tuum, & ſeruias illi ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, dabit tibi pluuiam terræ tuæ ſuo tempore tempeſtiuam & ſerotinam, & recondes triticum tuum, & vinum tuum, & oleum tuum, & dabis pabula in agris tuis iumentis tuis.] Igitur vim rite & apte ea exequendi, quæ velit Deus, Legis meditatio noſtris animis comparabit: ſudorem porro pro virtute ſuſceptum, tolerabilem reddet promiſſorum bonorum amor. P A L L A D. Ita eſt: aſſentior enim, & quidem iure optimo. Sed iam tempus eſt explicandi qua ratione legem de diligendo proximo perficere quiſpiam poſſit. C Y R I L L. Igitur ad hanc ipſam diſputationem eſt accedendum. Itaque dicimus, ſacrarum litterarum veſtigia perſequentes, Moyſi præcepiſſe Deum illum vniuerſorum Dominum, vt conuocaret populum, & eos ſub montem, nomine Sina, puros atque ſanctificatos perduceret: iuſſit enim abluere veſtes, & a mulierum congreſſu per tres dies abſtinere. In quo per ea, quæ ſenſibus expoſita & aſpectabilia gerebantur, ſpiritualia ſignificauit: ſplendidis namque veſtibus quodammodo, virtutum inquam ornamentis honeſtatos, & animi hilaritate inſignes, & ab omni carnis voluptate ac terrenis inquinamentis alienos ad Dei conſpectum venire decet, inſtituen-

Pſal. 36. Leuit. 26. Philip. 4. Deut. 11.

A B C D

A instituente nos ad eam rem Lege, vt certe Moyses veteres illos instituebat: nam illa figuræ erant veriorum rerum;illaq. per sapientissimum virum Moysen institutio,disciplinam Legis ad Christum perducentis,priscis hominibus figurabat. Adhæc illud quoque animaduersione dignum est, munus enim ac personā eius, qui instituere debeat, in Moysi persona optime seruatur: neque enim ad se populum, sed ad Deum tamquam ad Legislatorem & doctorem, ac rerum faciendarum auctorem adduxit. Lex quoque,quæ per litteram instituebat, non ad se nos perduxit, sed ad Deum Verbum, qui propter nos descendit e cælis. Num tibi verarum intelligentiarum vestigia persequi nostra videtur oratio? PALLAD. Maxime vero. CYRILL. Scriptum est igitur, [Et eduxit Moyses populum in occursum Dei e castris; & steterunt sub monte Sina: mons autem Sina totus fumabat, eo quod descendisset Dominus super ipsum in igne: & ascendebat fumus tamquam fumus fornacis: & exterri- *Exo. 19.*
B tus est omnis populus valde: fiebant autem voces tubæ procedentes fortiores valde.Moyses loquebatur;Deus respondebat illi voce.] Igitur,quod in monte descendit Deus,signum perspicuum esse poterit,non illum ad mentes abiectissimas venire; neque cum illis habitare solere, qui terrenos, & humi abiectos animos habeant; sed cum eo, cuius animus in sublime conscendat, & quasi verticem excelsum tenens, humana despiciat, & ea sola, quæ Dei sunt, spectet. Aliam quoque significationem habere potest; sublimem nempe esse Dei cognitionem, & nostra condicione superiorem, ab iis dumtaxat, & quidem ex parte,percipi posse,qui per sublimia volare studuerint; [pulli namque vulturis per sublimia volant,] vt scriptum est. Simul intellige Deum, cum veterem legem priscis illis hominibus ferret, descendisse non vbi populus erat,sed in sublimem locum, & quidem procul: recesserat enim a longe adhuc, iuxta Psallentis vocem, cum ille Vnigenitus nondum ad nos per carnem accessisset, *Iob. 5.* *Psal. 6.*
C neque se ad illam exinanitionem demisisset; neque enim priscis illis, sed nobis ipsis hoc mysterium est reseruatum: factus est enim inter nos, quantum attinet ad illam aspectabilem gloriam, diuinitatis sublimitate relicta; ac versatus est nobiscum,vt vnus e nobis. Ignis vero specie descendit Deus:oportebat enim profecto, vt,qui coactione ac lege regendi erant,certo scirent si ad ignauiam declinare vellent, sibi cum igni rationem futuram. Neque enim ex voluntaria dilectione, & spontaneis animi momentis a priscis illis hominibus Dei amor præstabatur;sed quasi ex coactione ac timore: nam neque liber spiritus illis inerat, neque adoptionis, sed seruitutis in timorem. Fumabat præterea mons, eo quod descendisset super eum Dominus in igne: idque, vt opinor,est quod in Psalmis canitur, [Et posuit tenebras latibulum suum.] Aliter quoque significare nobis poterit fumus lacrymas illas, propter contemptum omnino fundendas:effluit enim ad appulsum fumi ille ex oculis humor. Quod *Psalm. 17.*
D si cui placuerit,quæ ad contemplandū proposita sunt, aliter intelligere, ignem Legis illuminationem accipiet, non tamen sine caligine; est enim tenebricosa & obscura Lex, & illa litteræ vmbra densior, & quæ mentis oculis tenebras possit offundere. Sensim autem progredientes augebantur tubæ voces;nam ab initio, cum tenuem vix vocem emitteret Lex; vbi ad nos processit verbum & ille Emmanuel ad tradendā euangelicam disciplinam affulsit,voces illæ valentiores factæ sunt: clarum enim quiddam & acutum insonuit Christus, & quod totum iam orbem terrarum penetrauit: ipsum enim audire licet, Dauid voce dicentem, [Audite hæc, omnes gentes;auribus percipite,omnes qui habitatis orbem.] Atqui vox legis eo tempore alibi non exaudiebatur, neque vniuersas gentes docebat,sed in sola Iudæorum regione resonabat,& vnam Israelis gen- *Psal. 48.*

tem insti-

tem instituebat. Sed [loquebatur, inquit, Moyses; Deus vero respondebat ipsi voce:] Moyses enim vt minister, & diuinorum præceptorum interpres & subministrator Legem expetebat; respondebat autem Deus sua voce, idest, per Filium: vox enim & verbum Patris est Filius: ex ipso autem au- A
Heb.2. ctore Lex originem habuit; etsi per angelos dicta est; licet certe, sicui
Esai.52. libitum fuerit ipsum perspicue dicentem audire, [Ipse, qui loquebar, ad-
Matth.5. sum:] &, [Non veni soluere Legem, sed implere: dico enim vobis, Donec transeat cælum & terra, iota vnum, aut vnus apex non præteribit a Lege, donec omnia fiant: cælum & terra transibunt, verba autem mea non transibunt.] Sua itaque verba Legem appellat: vox enim Dei illam enunciauit,
Exo.19. vt modo dixi; is est enim nimirum Filius. Deinde inquit, [Descendit Dominus super montem Sina, super verticem montis, & vocauit Moysen ad verticem montis; & ascendit Moyses, & locutus est Dominus ad Moysen dicens, Descendens testificare populo, ne forte accedant ad videndum Deum, & cadat ex ipsis multitudo; & sacerdotes, qui accedunt ad Dominum, sanctificentur, ne forte recedat ab ipsis Dominus.] Descendit in montem ille super omnia Deus; deinde vocatus ascendit Moyses: neque enim contingit, vt ad sublimitatem veræ Dei contemplationis possit se quisquam attollere, nisi se ipsum demiserit Deus, & ita se accommodauerit, vt ad eum nostræ mentes possint accedere; ipso autem euocante, vix tandem ad summum illum & excelsum quasi verticem, ipsius nempe veram cognitionem, ascendimus; quod ipsum Christus fecit, cum Patrem ac Deum nobis reuelauit. Et a gregariis quidem hominibus mons adiri non potest; inaccessa est enim vulgo illius supremæ cognitionis gratia, iisque solis peruia, qui per illam ingredi sciunt; immo vero, qui ad eam tem sunt à Deo vocati; sicut fuit procul dubio Moyses. Si quis igitur est fidelis ac verus seruus in domo Dei, is quoque, sicut ille, electus erit & aptus, qui proxime accedat ad Deum; quod ad sanctificationis atque cognitionis modum pertinet: hac namque ratione simul cum eo erimus dicente, [Tu ve- C
Deut.5. to sta hic mecum.] Eos quoque, qui sacerdotio sunt insignes, purgari præcipit, dicens, [Ne forte recedat ab eis Dominus:] lubricum est enim sacerdotij munus, neque procul a periculis, immo vero etiam proximum, nisi illi plane adsit vitæ integritas: sanctos enim esse decet, qui Deo omnium sanctissimo cultum exhibent. Deinde ait, [Et dixit Dominus Moysi, vade, descende, &
Exo.19. ascende tu & Aaron tecum; sacerdotes vero ac populus ne conentur ascendere ad Deum, ne forte perdat ex eis Dominus. Ascendit Moyses, sed non sine Aaron, qui figuram Christi tenebat: nam Lex in Christo honorabilis est, & tamquam sancta per illum prope Deum & cum Deo est: prædicat enim ipsa
Heb.3. quoque Principem illum sacerdotum, & Apostolum confessionis nostræ secundum Scripturas. Sit igitur Lex Christo per spiritualem contemplationem adiuncta: nam Moysi dictum est, Ascende tu & Aaron: quæ igitur Deus co- D niunxit, homo non separet, Legem ab ea contemplatione, quæ in Christo est, abiungens, dum soli adhæreseit vmbræ, & veritatem ad imaginem figurarum non admittit. Sed factum illud genus in montem vna cum populis ascendere prohibetur; neque enim iis, qui Lege reguntur, neq. iis, qui adhuc illum in vmbris cultum exhibent, datum à Deo est, vt illa excelsa ac summa dogmata, quæ ad ipsius cognitionem pertinēt, adire possint; sed seruatum id potius est iis, qui in fide iustificati, & in Christo ad obedientiam atque cognitionem, longe illa
Phil.3. veteri præstantiorem sunt vocati. Nam eminentem cognitionem Christi beatus quoque Paulus est admiratus: ac testis huic rei erit ipse quoque Saluator, qui aperte tum de nobis, tum vero de iis, qui e genere sunt Israel, dicit,

[Vobis

A [Vobis datum eſt, noſſe myſteria regni cælorum, illis autem non eſt datum:] ac de Iudæis quidem, [Sinite illos; cæci ſunt, duces cæcorum:] Eos autem, qui ipſum nouerant, rurſus allocutus eſt, [Veſtri autem beati oculi, quia vident; & aures veſtræ, quia audiunt.] his de rebus cum loqui deſiiſſet ille vniuerſorum Deus, præcipere exorditur, & de rebus optimis conſtituere: itaque ſic ait, [Ego dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra AEgypti, de domo ſeruitutis: non erunt tibi Dij alij præter me.] Decens vero ſuis legibus fecit exordium, ſe eſſe dicens eum, qui illorum in AEgypto prodigiorum auctor fuerit; qui aduerſus iniquorum dominorum inſaniam, vniuerſam, vt vno verbo dicam, excitarit creaturam; qui imbres & grandinem armarit, & elementorum commutationes oſtenderit; qui mortem primogenitis miſerabilem immiſerit; qui triduanas illis tenebras offuderit; qui per medios fluctus, quibus voluerit, ire conceſſerit; qui aduerſarios nullo negotio contriuerit: opus enim profecto *Matth. 13.* *Matth. 15.* *Exod. 20.*

B erat, vt, qui diuinorum præceptorum iugum ſubirent, ij non ignorarent, quanta eſſet Legiſlatoris poteſtas, ac ſcirent minime ſibi eſſe tutum, eum offendere, qui perficere omnia facile poſſet. PALLAD. Præclarum ſane, ac Deo digniſſimum Legiſlatoris conſilium: nam ſemper fere metus ad obedientiam adigit, & hominem quamuis effrenatum atque difficilem, quaſi equum, frenis obtemperantem reddit. CYRILL. Rectiſſime dicis, Cum igitur prohibuiſſet deos alios adorare, & idolum quoduis vel ſimulacrum aut picturam effingere, cumque extremum ſupplicium conſtituiſſet, ſiqui diuinitatis nomen fictorum ſimulacrorum artificiis tribuere auſus eſſet; [neque enim accipies, inquit, nomen domini Dei tui in vanum; quia non purum habebit Dominus eum, qui accipit nomen eius in vanum:] tum ad res humanas componendas conuertitur, & legem quaſi regulam quandam, qua quid rectũ ſit, exquiratur, omnium hominum vitæ præſcribit; atque ab vniuerſis nos peccatis arcet, cum ante alia *Exo. 20.*

C illius in Chriſto iuſtitiæ tempus deſignat, in quo perfectiſſima illa redemptio, & vitiorum abolitio, & ad priſtinum ſtatum reformatio, & vitæ, quæ in ſanctitate, ac Dei amore ducitur, renouatio contigit. Itaque ait, [Recordare diem Sabbatorum, vt ſanctifices illum: ſex diebus operaberis, & facies omnia opera tua; die autem ſeptimo ſabbata, requies domino Deo tuo: non facies in ipſo omne opus tu, & filius tuus, & filia tua, ſeruus tuus, & ancilla tua, bos tuus, & ſubiugale tuũ, & omne iumentum tuum, & proſelytus, qui habitat apud te: ſex enim diebus fecit Dominus cælum & terrã & mare & omnia, quæ in eis ſunt, & requieuit die ſeptimo: propterea benedixit Dominus diei ſeptimo, & ſanctificauit illum.] PALLAD. Quid vero iſtud eſt? non enim ſatis intelligo. Quonã vero modo diem Sabbatorũ ſanctificabimus? CYRILL. Viſne de Sabbato & de ceſſatione, quæ in eo agebatur, pauca dicamus? ita enim apertiſſima erunt, quæ nobis diuinitus præcepta ſunt. PALLAD. Sane quidem. CYRILL. *Exo. 20.*

D Sabbatum, Palladi, vltimus nimirum hebdomadæ dies, deſignat, vt exiſtimo, tempus illud, quo Saluator noſter aduenit, qui apparuit ille quidem in conſummatione, ac propemodum ſub ipſum ſæculi præſentis occaſum; ſed ad ablutionem peccatorum, ad libertatem quoque ac remiſſionem, ad incorruptionem ac vitam, ad ſpem denique futuram, initium & ianua, & via nobis eſt factus. Multis vero modis hunc, qui in Chriſto intelligitur, ſabbatiſmũ ſacrarum quoque litterarum fides nobis latẽter inſinuat, nunc quidem cum ceſſationem, qua tamquam a peccatis ceſſatur, deſcribit, & acerbam in primis atque aſperam in tranſgreſſores pœnam conſtituit; nunc vero, cum redemptionem, quæ in eo fit, ac remiſſionem & inſtructionem, qua ad futurum ſæculum paramur & accingimur, figurate ſignificat. PALLAD. Explica igitur quonam pacto: id

M enim

enim libentiſſime didicerim. CYRILL. Per fidem, Palladi, quæ in Chriſto A
intelligitur, Sabbatum ſpiritualiter celebramus, cum a diſtentionibus huius
mundi ceſſamus, & a vano circuitu requieſcimus, & a nequitia diſcedimus, &
peccati iugũ excutientes, ad liberam ſanctificationem relaxamur. Itaq. beatus
Hebr. 3.4. Paulus de iis, qui non adhuc crediderant, inquit, [Quibus vero offenſus fuit
quadraginta annis? nonne iis, qui non obtemperauerunt, quorum cadauera
proſtrata ſunt in deſerto? quibus vero iurauit, non introire in requiem ipſius,
niſi iis, qui increduli fuerunt? & videmus quod non potuerunt ingredi propter
incredulitatem. Timeamus igitur, ne forte, relicta pollicitatione introeundi in
requiẽ ipſius, videatur aliquis ex vobis defuiſſe.] Et poſt alia, [Igitur relinqui-
tur ſabbatiſmus populo Dei.] At vero quid prohibet, quominus vere dici poſ-
ſit, ſi ſabbatiſmus non aliud ſit, quam in Sabbato ceſſare, quomodo non eſt
ingreſſus Iſrael in requiem, cum illam in Sabbato ceſſationem obſeruauerit?
Sed nimirum ea res figura erat illius in Chriſto requietis, & quod ij, qui fide B
iuſtificarentur, a peccato ceſſaturi eſſent. Itaque lapidibus obrui, iuſſit Deus
Num. 15. eum qui Sabbato ligna collegerat; quod illius ſupplicium ſpiritualis ac ne-
ceſſariæ rei figura fuit: numquid enim non lignum, quod e ſua ſtirpe exaruit,
auulſum & iam ſiccatũ, mortalitatis ſymbolũ fuerit ac præterea ignis alimen-
tum? PALLAD. Ita eſt. CYRILL. Eiuſmodi omnino eſt peccatũ ærum-
nis plenum, quaſi mortalitas quædam, & immitis flammæ ſuis amatoribus im-
pia nutrix. Quicunque igitur, quo tempore a peccatis ceſſari debet, mortuis
& infructuoſis operibus intenti ſunt; &, abiecta virtute, concupiſcunt ea, per
quæ ipſis ſupplicia in æternum parẽtur & flammæ accendãtur, ij tum iure opti-
mo morte damnati iuſtas pœnas ſuſtinebunt, quod cum liceat quiete viuere,
ſponte ad ſupplicia ruunt. Ingredimur igitur in requiem, qui credidimus, iuxta
Hebr. 4. beati Pauli vocem. Itaque per Hieremiam increpat Deus eos, qui per pecca-
tum in figuram admiſſum pulchritudinem veritatis adulterabant: ait itaque, C
Hiere. 17. [Vade & ſta in portis filiorum populi tui, per quas ingrediuntur reges Iuda, &
egrediuntur per eas, & in omnibus portis Hieruſalem; & dices ad eos, Audite
verbum Domini, reges Iuda, & omnis Iudæa, & omnis Hieruſalem, qui ingre-
dimini per portas has. Hæc dicit Dominus, Cuſtodite animas veſtras, & ne
portetis onera in die Sabbatorum, & omne opus ne faciatis, & ne exeatis per
portas Hieruſalẽ, & ne exportetis onera e domibus veſtris in die Sabbatorum,
& omne opus ne faciatis: ſanctificate diem Sabbatorum, ſicut præcepi patri-
bus veſtris: & nõ audierunt neque inclinauerant aurem ſuam; & obdurauerunt
ceruicem ſuam pluſquam patres eorum, ne audirent me, neque perciperent
diſciplinam.] Non ſolum igitur, vt ab omni opere ceſſarent Sabbato, iuſſit;
ſed ne onera quidem efferrent, neve extra portas Hieruſalem exirent. PAL-
LAD. Sed quænam horum quoque afferri poteſt ratio? CYRILL. Spiri-
tualis ſane & ſublimis, & figuris vmbriſq. illis veteribus præſtantior. Eos enim, D
qui in Chriſto Sabbatum agunt, ab opere, quod ad vitiũ vergit ac ſpectat, ceſ-
ſare iubet, prohibetq. onus vilum humeris imponere: nam quomodo non ſum-
mæ inſaniæ ſit, qui ſemel per fidem onus peccati plane grauiſſimum abiecerint,
eos illud idẽ ſibi denuo imponere, & rurſus nequitiæ iugũ ſponte ſubire? Sedere
autem intra portas Hieruſalem id ſignificat, non eſſe nobis de ſancta ciuitate
diſcedendum, neque committendum, vt, dum ad aliud quiddam diuertimus,
extra feramur atque labamur: ſanctam vero ciuitatem Eccleſiam accipe: iam
enim nonnulli, qui fide in Chriſtum clari fuerant, & nefaria peccati ſarcina
exonerati, & intra ſanctas domus Dei portas ingreſſi, ad defectionem ſunt atq.
apoſtaſim delati, etſi non apertã fortaſſe, at certe e ſancta porta exilierũt; quod
mores

A mores hominum idolis deditorum magnificcerent. Intra portas igitur sedere, Sabbatum spiritualiter agentes, præcepit Deus: quæ figura significat firmitatem atque constantiam, & nusquam ab illius sincero germanoque cultu nobis esse discedendum: esse autem Ecclesiam Dei ciuitatem, apertissime testatur David, cum de illa dicit, [Gloriosa dicta sunt de te, ciuitas Dei:] ipse quoque Saluator certissimam fidem facit de illa dicens, [Hic habitabo, quoniam elegi eam.] PALLAD. Conclusum est igitur ab omni opere desistendum in Sabbato, vt certe Legislatori visum est. CYRILL. Non ab omni prorsus, inquam, Palladi: nam ab iis cogitandis atque faciendis, quæ Deo placent, & quæ non mediocrem habent vtilitatem, numquam laudabiliter cessari potest: neque enim frustra (vt mihi quidem videtur,) adiunxerunt sacræ litteræ, sanctificandum esse a nobis diem Sabbatorũ, [Recordare namque, ait, diei Sabbatorum, vt sanctifices eum.] Id vero ita optime perficiemus, si Sabbatum spiritualiter *Psal.86.* *Psal.131.* *Exo.20.*

B celebrando, sanctis operibus curam atque diligentiam impenderimus: cuius rei illa euidens figura fuerit, quod Sabbato sacerdotes in templo Sabbatum violabant, & sine culpa sacris rebus operam dabant, victimas immolabant, oues cædebant, omnia postremo, quæ ad Dei gloriam pertinerent, nemine prohibente, faciebant. Quid enim? non Iudæorum calumnijs hoc ipsum opposuit Christus, cum ipsum de violatione Sabbati criminarentur, quod paralyticum Sabbato curasset? PALLAD. Memini. CYRILL. Circunciditur etiam homo in Sabbato, iuxta Saluatoris vocem, Lege non vindicante: spondet nimirũ figura & propemodũ aperte testatur, iis, qui in Christo Sabbatum agunt, idest, qui a peccato cessant, ac sanctificantur per fidem, illam in spiritu circuncisionem aptissime conuenire, quæ fit octauo, idest, resurrectionis die: sic enim Christus resurrexit; qui, posteaquam reuixit, destructo mortis imperio, illico sancto Spiritu suos discipulos obsignauit: hæcq; est illa in spiritu circũcisio: in- *Matth.12.*

C sufflauit enim dicens, [Accipite Spiritum sanctum.] An non Paulus quoque ita fieri circuncisionem in spiritu fatetur? circuncidi namque oportere eos, qui crediderant, circuncisione non manufacta, idest, spiritu, asseuerauit. Quinetiam illud addiderim, non posse nos qui spiritualiter Sabbatũ seruamus, congruenter ab iis, quæ ad fortitudinem spiritualem pertinent, & ab hostibus conterendis, aduersariisq. in Christo superandis, vnquam cessare: & eius rei imaginem tibi proferam rursus veterem illum Iesum, qui vnà cum filiis Israel vrbem Hiericho septimo die, id est, Sabbato cepit. PALLAD. Solam igitur nobis a nequitiæ ac peccatorũ operibus vacationem, quod ad veritatem pertinet tamquam in figuris illis adhuc veteribus propemodum adumbratam, Sabbatum afferet. CYRILL. Dixit certe iterum Lex, [Si emeris virum Hebræum, sex annos seruiet tibi; anno autem septimo egredietur liber gratis:] & hæc quidem in Exodo: in Deuteronomio vero rursus ita inquit, [Si autem venditus ti- *Ioan.20.* *Coloss.2.* *Exo.21.* *Deut.15.*

D bi fuerit frater tuus Hebræus vel Hebræa, seruiet tibi annos sex, & septimo emittes eum a te liberum; cum vero emittes eum liberũ a te, non emittes eum vacuum; viaticum dabis ei ab ouibus tuis, & a frumento tuo, & a torculari tuo; sicut benedixerit te dominus Deus tuus, dabis ei:] nã superiori tempore vniuersos ante nostri Saluatoris aduentum spiritu seruitutis Israel constringebatur, legi punienti subiectus; postea vero quam extremis sæculi temporibus, quorum etiam figuram Sabbatum fuisse, a nobis positum est, illuxit Emmanuel, tum vero seruitutis spiritus sublatus est; cumq. nihil Domino pro redemptione contulissent, benignitate gratiæ sunt ad libertatem & ad gloriam adoptionis vocati: nam iustificati sunt, qui crediderunt, non ex operibus Legis, vt scriptum est; sed ex fide: hocq. esse, inquam, illud, [Egredietur liber gratis. Sed

cum, inquit, emittes eum liberum a te, non emittes eum vacuum; viaticum da- A
bis illi ab ouibus tuis, a frumento tuo, & à torculari tuo.] Vides perspicue Chri
sti mysterij vim in his verbis fulgere: nam redempti sumus, & dimisit nos ille
Tit. 3. omnium Saluator liberos gratis: non enim ex operibus iustitiæ, quæ fecimus
nos, sed secundum magnam misericordiam suam, vt scriptum est, benignitatis
adeo insignis participes facti sumus: cumque nos liberos dimisisset, id est, a pec
catis liberasset, & adoptionis gratia decorasset, præclarum nobis viaticum seip-
sum adiecit, vt immaculata hostia, & vt ouis ad victimam propter nos ductus,
largitusq. vt viuificæ benedictionis, idest, sanctæ suæ carnis ac sanguinis parti-
cipes essemus: hoc est, opinor, ab ouibus, atque a frumento & vino suppedi-
tandum esse viaticum iis, qui septimo tempore, idest, spirituali Sabbato ad li-
bertatem ex benignitate dominica vocantur. Atque Lex quidem hactenus.
Ceterum, quia Iudæis præ socordia resupinis nō admodum placebat hæc man-
data seruare, eos Deus accusat, qui hoc animo essent: scriptum est enim, [Fa- B
Hiere. 34. ctum est verbum Domini ad Hieremiam dicens, Sic dicit dominus Deus Israël,
Ego pepigi fœdus cum patribus vestris in die, qua eduxi eos de terra AEgypti,
de domo seruitutis, dicens, Cum completi fuerint sex anni, dimittes fratrem
tuum Hebræum, qui venditus fuerit tibi, & operatus fuerit tibi sex annos, &
dimittes eum liberum: & non audierunt me, & non inclinauerunt aurem suam:
& conuersi sunt hodie, vt facerent rectum coram oculis meis, vt vocarent di-
missionem vnusquisque proximi sui, & consummauerunt pactum in conspectu
meo in domo, in qua inuocatum est nomen meum in ipsa: & conuersi estis &
profanastis pactum meum, vt reuocaretis vnusquisque seruum suum, & vnus-
quisque ancillam suam, quos dimiseratis liberos animæ ipsorum, vt essent vo-
bis in seruos & ancillas.] Vides quemadmodum figuras repudiari, immo vero
Rom. 11. ipsam vt in vmbris adhuc veritatem violari non patitur: [impænitenda nam-
que sunt dona Dei atque vocatio,] vt scriptum est. Iudæi autem, qui semel di- C
missos retrahebant, & sub seruitutis iugum denuo subigebant, illam impæni-
tentiam non seruauerunt, ob eamque caussam offenderunt, cum eius mysterij
vim, quamuis adhuc in figuris esset, contempsissent. PALLAD. Rectissi-
me est a te dictum. CYRILL. Iustificari nos autem gratis per gratiam, quæ
est in Christo, nullamq. pro nostra vita commutationē ac pretium afferre, neq.
gloriam libertatis emere, sed rem tantam benignitate atque clementia Domi-
Deut. 15. ni lucrari, præfigurauit in Deuteronomio dicens, [Septimo quoque anno fa-
cies remissionem. Sic vero habet præceptum remissionis, Dimittes omne debi-
tum proprium, quod debet tibi proximus tuus, & a fratre tuo non repetes, quia
indicta est remissio domino Deo tuo, ab alieno repetes, quodcunque fuerit ti-
bi apud ipsum; fratri vero tuo remissionem facies eius pecuniæ, quam tibi de-
bet; quia non erit apud te egens; quia benedicens benedicet tibi dominus Deus D
tuus in terra, quam dominus Deus tuus dat tibi, vt hæreditate possideas eam.]
Vides fulgere inter vmbras veritatem? id enim quoque euidentissime Salua-
toris nostri gubernationem, qua nos regit, ostendere potest; nam, qui per fi-
dem prope illum accesserunt; &, percepto Spiritu sancto ac naturæ diuinæ con
sortio, domestici iam & fratres facti sunt, iis debita condonauit, cum nihil
persoluissent; neque enim ab illis trangressionis pœnas repetiit, quāuis antea-
ctæ vitæ rationibus reddendis essent adstricti: qui vero propter infidelitatem
ipsorum perniciosam adhuc alieni erant, ac propemodum etiam alienige-
næ, & quamlongissime ab eius coniunctione remoti, eos debitis persoluen-
dis obligatos constituit, &, vt qui peccati maculas nondum eluissent, me-
rito pœnis & suppliciis luendis obnoxios fecit: ideoque alloquebatur eos,
qui

A qui crediderant, [Si vos manseritis in sermone meo, vere discipuli mei eritis, *Ioan.8.*
& cognoscetis veritatem; & veritas liberabit vos:] iis contra, qui veram atque euangelicam disciplinam contemnebant, dicebat, [Amen amen dico vobis, nisi credideritis, quia ego sum, in peccatis vestris moriemini.] Intelligis *Ioan.8.*
igitur quemadmodum eos quidem, qui ex fide sibi coniuncti essent, se liberos dimissurum pollicetur; alienos contra & extraneos in delictis mortuos, affirmat iudici suorum delictorum pœnas daturos? P A L L A D. Verum est. C Y R I L L. Eleganter autem voluptates futuri sæculi sanctas, atque cælestium bonorum participationē Sabbati otium designat. P A L L A D. Explica mihi igitur, quo tandem modo; id enim aueo discere. C Y R I L L. Equidem libentissime: psallit enim nimirum beatus Dauid de filiis Israel, & Deo, qui omnia potest, loquens, [Panem cæli dedit eis: panem Angelorum manducauit *Psal.77.*
homo:] quibus verbis manna appellauit cæli & Angelorum cibum, vt animum vltra hæc sensibilia ac visibilia intendentes, illam spiritualem ac diuinam
B subministrationem contemplemur, quam sanctorum animis suggerit Deus, cum Deum illum verbum, qui & Angelos pascit, & hominibus vitam præstat in iis, qui fidem receperunt, inhabitare facit. Habitat enim Christus in cordibus nostris per Spiritum sanctum, & pane viuenti, & cælitus veniente pascimur ad firmitatem & robur spirituale concipiendum: manna eius rei figura est certa & euidens. Iussit autem Lex, vt ex eo tantum colligerent filij Israel, quantum cuiq. satis esset, nihilq. supra mensuram adiicerent; sic enim scriptum est, [Mane factū est, cum desedisset ros in circuitu castrorum, & ecce super faciem *Exo. 16.*
deserti minutum quasi coriandrum, album quasi pruina super terram: cum vidissent autem illud filij Israel, dixerunt alter ad alterum, Quid est hoc? neque enim sciebant quid esset: dixit autem ad illos Moyses, Hic est panis, quem dedit vobis Dominus ad vescendum. Hoc est verbum, quod præcepit Dominus,
C Colligite ex ipso, quantum sufficit, gomor per singula capita, iuxta numerum animarum vestrarum vnusquisq. cum contubernalibus vestris colligite.] Deinde post quædam alia rursus ait, [Factum est autem die sexta collegerunt necessaria dupla, duo gomor per singulos: ingressi sunt autem omnes principes Synagogæ, & nunciauerunt Moysi. Dixit autem Moyses ad eos, Hoc est verbum, quod locutus est Dominus, Sabbata requies sancta Domino: cras, quæcunque coquere vultis, coquite; & quæcunque elixare volueritis, elixate: &, quicquid superfuerit, relinquite vobis repositionem in mane.] Deinde Moyses ille sacrorum interpres diuinam illis legem explicauit, continuo inferens, [Comedite hodie; sunt enim hodie Sabbata Domino; non inuenietis hodie in agro: sex diebus colligetis; septima vero die Sabbata sunt; non erit in ipsa.] An tibi posthac, Palladi, obscurum esse poterit, quin hoc ipsum nihil agere Sabbato, sed quod iam suppeditatum sit, tamquam in cellam condere, neque
D cælitus manna ipsum dari, sed iam comportato ad voluptatem & ad escam vti, quasi præparatio quædam atq. informatio sit illius vitæ, quæ in sæculo venturo futura est? nam Sabbatum agentes in Christo, atq. omnino cessantes a peccato, supernis illis fruemur bonis, cum labor omnis sublatus erit, & citra sudorem ea omnia, quæ iuuare possunt, affluenter inueniemus? PALLAD. Vera oratio: nam quasi in paratis & in promptu positis bonis omnibus illa, quæ tūc erit, sanctorum vita ducetur: liceat igitur & nobis ipsis dicere sancto cuique, [Labores *Psal.127.*
manuum tuarum manducabis.] C Y R I L L. Igitur ad id, quod initio positum erat, recurrentes, & quasi retrorsum orationis cursum reflectentes, illud asserimus, conuenientissime, Legem, cum ad vnum colendum, qui natura & vere Deus est, nos traduxisset, non sustinuisse, vt Verbum illud, quod ex ipso & in

ipso natum & simul existit, & coæternum est, ignoraremus: nam, cum prius A
Exo. 20. præcepisset atque dixisset, [Diliges dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota mente tua,& ex omnibus viribus tuis:] & præterea, [Non erunt tibi Dij alij præter me;] coniunxit illico Christi mysterium inferendo, [Recordare,vt diem Sabbatorum sanctifices:] hæc enim præclara semita est ac necessaria, & diuini artificij via, & discentibus quæ scire opus est, vtilissima. Itaque
Ioan. 17. Saluator patrem, qui in cælis est, ac Deum alloquens ait; [Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti, Iesum Christum:] nam, vbi de Patre verba fiunt, consequuntur necessario verba, quæ ad Filium pertineant, & coniuncta maxime vtriusque cognitio est. Iudæos certe, propterea quod Filium non admitterent, a veritate aberrantes, atque arbitrantes se
Ioan. 8. nosse Deum, increpabat dicens, [Neque me nostis, neque patrem meum: si me cognouissetis, & patrem meum vtique cognouissetis:] in vtroque enim alterius notio simul infertur. Igitur, cum prius fundamenti cuiusdam instar, ie- B
cisset certam atque accuratam Dei cognitionem, & Legislatoris notitiã prius tamquam radicibus actis, in eis infixisset, denique ad humana descendit,& ei reuerentiæ, quam Deo exhibemus, proximam deinceps collocat atque coniungit eam, quæ patri ac matri debetur, quorum opera, Deo annuente, perducti eo sumus, vt essemus, & omnino subsisteremus: quippe cum secundum ab Opifice locum teneant: diuinis enim iussis, & arte non ab alio tradita, sed sponte percepta, natura id, quod gignitur, in se ipsa ad vitam effingit, atque Opificis gloriam imitatur: nam vt Deus, qua ratione effector est & conditor, omnibus initium est & origo; sic quisque etiam parens ex se nato filio quasi stirps quædam est procreationis, & fons vnde progreditur,vt sit. Igitur illa patris ac matris subministratio,quam præbent ad omnium qui in terris sunt, hominum procreationem, illius omnium Opificis figuram refert: atque ob eam caussam iis præstantiorem, quam ceteris hominibus,honorem deferri Lex ius- C
sit,neque a præmijs excludens eos, qui honorem illis impenderent,neque eos vicissim, qui id facere nollent, a supplicio liberans: nam ingenuum piumque animum honoribus ornat; eum vero, qui aliter sit affectus, grauissimis malis
Exod. 20. onerat, [Honora enim, inquit, patrem tuum, vt bene tibi sit, & sis longæuus super terram.] Igitur cum iis, qui parentes honorarent, vitam ac temporis diuturnitatem, quasi præmium quoddam, & munus præcipuum, Lex constituisset; mortẽ vero superbis & iniuriosis proposuisset, metũ veluti pædagogum quendam apponit, qui nos ad rectum iter timore traducat; dixit enim rursus,
Exod. 21. [Qui percutit patrem aut matrem suam, morte moriatur: & qui maledixerit patri vel matri suæ,morte moriatur.] Vide igitur quemadmodum omne genus peccati,in illos admissi,æquali mensura puniat.Iis etiam,quæ de Deo præcepta sunt,ea proxime coniungi perspicuum est, quæ ad parentum iura pertinent.Vt enim,si quid in Deum lingua peccatum sit, morte extremoq. supplicio mulcta- D
tur; similiter si quid in eos quoque sit admissum qui genuerunt: ac diuinũ certe mandatum quisquis irritum fecerit, & eius violatione pædagogum volens offenderit, sine vlla miseratione occiditur; quisquis item patris matrisue monita contempserit, lapidibus obrutus necatur; cum hoc idem diuina lex iusse-
Deut. 21. rit. Dixit autem ad hunc modum in Deuteronomio, [si autem cuipiam fuerit filius contumax & irritator, qui non obediat voci patris sui, & voci matris suæ,& corripuerint eum, & non audierit eos, comprehendent eum pater suus, & mater sua, & ducent eum ad senatum ipsius ciuitatis, & ad portam loci illius; & dicent hominibus ciuitatis illius, Filius noster hic inobediens est & irritat, & non audit vocem nostram, comessationibus & ebrietatibus vacat: &

lapidabunt

A lapidabunt eum viri ciuitatis illius lapidibus; & morietur, & auferetis malum ex vobis ipsis; & ceteri audientes timebunt.] Num tandem, post hac fas est ambigere, quin patri ac matri honos habitus proxime ad eum, qui Deo tribuitur, accedat? PALLAD. Minime dubium: vt enim eos honore prosequendos putemus, illud quoque persuadet, quod a quodam sapienter est dictum, [Recordate quod per eos genitus es.] Iacob quoque Patriarcha, cum modestissime dicit, [Nisi timor Isaac patris mei adesset mihi.] CYRILL. Dic igitur mihi, hoc ipsum, quod per illos genitos nos esse dictum est, num parum euidenter ostendit imaginem eos Opificis tenere, & eius, qui vocat, vt sint ea, quæ olim non erant? Iam vero hoc ipsum, quod nostro quoque timore eos honorare decet, nonne illis ipsam quoque Domini dignitatem tribuit? PALLAD. Sane vero? Ideoque ille Prouerbiorum auctor execratur quosdam dicens, [Oculum, qui irridet patrem, & dedecorat *Eccl. 7.* *Prouerb. 30.*

B senectutem matris, effodiant eum corui de torrentibus.] Illud tamen explices velim, quomodo ab omnium Saluatore Christo sapienter dictum putari possit. [Qui amat patrem aut matrem super me, non est me dignus.] Quinetiam illud commemorabo: nam patrem sepelire, senectutemque illius alere roganti discipulo ait, [Sequere me; & dimitte mortuos sepelire mortuos suos.] CYRILL. Quid vero in iis absurdi est? nam ardui quidem certe nihil, vt mihi videtur, sed simplex admodum locorum propositorum est cognitio, & ad percipiendum iis, qui recte intelligere velint, facillima. PALLAD. Atqui non sunt ea verba a suspicione prorsus aliena: videntur enim quodammodo ab ea reuerentia, quæ parentibus debetur, nos abducere. CYRILL. Apage ab ista suspicione, Palladi, & intelligentia tam peruersa: neque enim Saluatoris nostri verba a reuerentia in parentes abducunt; sed illam, quæ Deo exhibetur, antiquiorem ac præstantiorem habere docent; id quod etiam *Matth. 10.* *Matth. 8.*

C superiori nostra oratione perfectum est, cum illam proximam atque secundam ab ea, quæ Deo est habenda, identidem diceremus; quod sane etiam ipse Christus seruauit, cum neque id pro crimine ascripsit iis, qui parentes diligerent, neque omnino culpauit aut accusauit eos, qui iisdem honorem sponte deferrent, sed humana omnia post Deum habenda esse, conuenientissime sanxit: itaque non absolute ait, Qui amat patrem suum aut matrem; sed adiecit illud, Super me. An vero dilectionem in Deum dilectioni in homines non præponendam putabis? PALLAD. Ego vero præponendam omnino censeo. CYRILL. Ergo in eam sententiam abire discipulū non permisit, vt putaret reuerentiam, quæ homini quamuis parenti deberetur, illi alteri, quæ erga Deum habenda est, esse præferendam, qui alias naturæ leges de honore parentibus tribuēdo suo patrocinio defendit. Sua igitur esse nostris præferenda docet; excellit enim omnibus & eminet Deus; neque vero, quia

D ea, quæ ad Deum pertinent, antiquiora ac præstantiora putanda sunt ac dicenda, ideo tamen vllo pacto permittit aliquibus illam in parentes reuerentiam pro nihilo ducere, id enim Christus Iudæorum doctoribus crimini dedit, cum dixit, [Deus dixit, Honora patrem tuum, & matrem tuam: vos autem dicitis, inquit, Quicunque dixerit patri suo, Munus quod ex me tibi proderit; & non honorabit patrem suum, aut matrem suam: & irritum fecistis mandatum Dei propter traditiones vestras.] PALLAD. Atqui non admodum est facilis propositorum verborum intellectio. Explica igitur, quæso, quodnam sit in hac te pharisæorum peccatum. CYRILL. In Leuitico certe scriptum est, [Et locutus est Dominus ad Moysen dicens, Loquere filiis Israel, & dices ad eos, Homo, qui vouerit votum in pretium animæ suæ *Matth. 15.* *Leuit. 27.*

Domino, erit pretium masculi a vigesimo anno vsque ad sexagesimum annum, A
erit inquam pretium eius quinquaginta sicli argenti pondere sancto:] cumque
pauca quædam in medio de muliere & de pueris dixisset, rursus infert, [Quod
si pauper fuerit, ad æstimationem stabit coram sacerdote, & æstimabit eum sacerdos: vt valet manus eius, qui vouit, ita æstimabit eum sacerdos.] Mystica igitur hæc verba sunt & abdita; opportuniore autem loco a nobis diligenter excutientur: quod autem in promptu atq. in manibus est, dicamus. Nonnulli ex Israelitis adibant, & consecrare Deo suas animas, in figura quidē adhuc & vmbra, tamen ex Legis constitutione cupiebant: atque iis, qui sacerdotio fungebantur, & ad diuinum altare assidebant, pro seipsis pretium daturos profitebantur. Erant igitur aliqui, qui einsmodi gloriam expeterent: sanctificatos enim se iam & sacros, & Deo dicatum donum, & si quod aliud eiusmodi vocabulum est, appellari optarent: ceterum inopia pecuniæ reprimebant hoc
desiderium, quod ineuitabile ad eam rem impedimentum haberent, nempe B
paupertatem: adhortantibus autem eos, & quidem maximo studio scribis ac pharisæis, vt ad eam rem exequendam pergerent; (erat enim id hominum genus auarum, & turpis quæstus cupiditati obnoxium) illi reuereri se parentes caussabantur, vixque posse sibi ipsis & illis, quæ ad victum satis essent, suppeditare, aut vestes comparare dicebant: at hi persuadere audebant, vt propter Deum eam rem pro nihilo haberent; ac, si parentes ad ipsos accederent, & consuetum ab ipsis subsidium peterent, patri ac matri dicendum esse doce-
Matth. 15. bant, [Munus est quodcunque ex me tibi prosit.] hoc est, si quid a me acceperis, diuinum te fraudare donum scito, & in res sacras manus iniicere; nam meipsum dedicaui, & Deo quasi repositum donum consecraui. Illi vero, cum sacrilegij pœnam metuerent, & leges ea de re constitutas extimescerent, ærumnas illas miserrime perferebant, & pietatem in Deum sibi famis occasionem
fuisse accusabant, ac fortase de ipso Dei mandato conquerebantur, tamquam C
ab eo in rebus maxime necessariis violarentur: ideoque ait, [Irritum fecistis mandatum Dei propter traditionem vestram:] honorandi enim erant profecto parentes, non religionis caussa lex, quæ de parentibus lata erat, destruenda. Neq. igitur ea, quæ ad Deum pertinent, humanarum rerum caussa contemnenda sunt, neq. rursus res humanæ prorsus Dei prætextu negligendæ; sed potius, vbi præcipuas caritatis partes illi omnium principio, Deo nimirū, tribuerimus, tum secundo loco ac proximo æquum est etiam ipsis nostri ortus administris debitos in primis honores continuo deferre, & ad ea, quæ dixi illud quoque nobiscum reputare. PALLAD. Quidnam id est? CYRILL. Nam rem in primis necessariam esse reuerentiam in parentes, nobis ostendit dominus noster Iesus Christus, cum suæ ipsius matris curam atque rationem habuit: sublatus namque iam in venerandam illam crucem, & ligno suffixus, discipu-
lo suo germano sanctam Virginem tradidit, ac senectutis illius tutorē nutritorem- D
Ioan. 19. que constituit dilectum illum suum dicens, [Mulier, ecce filius tuus; deinde de discipulo, Ecce mater tua; & ex illa hora accepit eam discipulus in sua.] PALLAD. Præclare sane hac de re oratio confecta esse videtur. CYRILL. Cum itaq. liberos parentibus rectissime subiecisset, & legitimum iis ac necessarium iugum imposuisset, illico quales etiam parentes erga liberos esse opor-
Ephes. 6. teat, si a Dei voluntate deflectere nolint, edicit. Ac Paulus quidem sapientissimus vir, postquam paucis & expedite liberis præcepit, vt subiiciantur parentibus, adiecit etiam illud, [Patres nolite ad iracundiam prouocare filios vestros, sed educate eos in correptione Domini;] idest, optimarum disciplinarum illis auctores estote, atque ad vitam Deo gratam, Legique maxime consen-

A consentaneam dirigite. At vero Lex per ambitum quodammodo atque circuitum, (sic enim fere consueuit) parentibus in primis & quidem rectissime præcipit, vt de liberorum probitate soliciti sint, [Non profanabis, inquiens, filiam tuã, vt fornicari facias eam, & non fornicabitur terra, & terra replebitur iniquitate:] nam corporum castitatem ante alia veluti primitias quasdam sanctæ conuersationis a nobis exigit noster Conditor: sunt enim corporalia hæc ornamenta velut aditus quidam ad spiritus claritatem, cum turpitudinis ac dedecoris notas effugiant. Igitur parentes oportet, vt ad res quamoptimas sint auctores; sin resupini & negligentes erunt pædagogi, atque adeo secus, quam ratio postulat, ad turpia facta duces ac magistri deprehendentur, extrema supplicia sustinebunt, vt qui suos ipsi fructus corrumpant, & in exitij foueas impellant, pro quibus profecto æquũ erat mortem oppetere, nam id patribus natura quoque ipsa præscribit. Qui ergo ex se puellam ad apertissimum probrum volentibus exponit, ab eo non pro puella duntaxat rationes pœnasq. flagitij iustissime exposcet ille omnium Iudex, sed etiam pro omnibus, qui sint ad turpitudinem lapsi; laqueum enim quendam & mortis rete cum tetenderit, omnes comprehensos habet, quamuis non omnes capiantur; neque enim omnino exitus rei spectatur, sed cœptorum vis atque facultas. De eiusmodi vero muliere sapientissimus quoque Salomon scribit, [Mulierem, quæ laqueus est & rete cor eius, vincula in manibus eius.] Necessario itaque Legislator, [Non profanabis, inquit, filiam tuam, vt fornicari facias eam, & non fornicabitur terra:] nam si nulla fuerit omnino, cũ qua fornicationis crimen admittatur, haud difficile erit hoc malum effugere, quamuis præcipiti sit quispiam in voluptatem animo, & ad resistendum prorsus ignauo. Hactenus cum præcepisset, vt liberis a parentibus honestas corporis seruaretur, morte etiam mulctat, siquis in eam sententiam venerit, vt ad desciscendum a Deo, suos liberos impellat, sic autem in Leuitico scriptũ est. [Et locutus est Dominus ad Moysen dicens, Siquis de filiis Israel vel de proselytis, qui accesserint ad Israel, dederit de semine suo Principi, morte moriatur: gens, quæ est in terra illa, lapidabunt eum lapidibus; & ego obfirmabo faciem meam super hominem illum, & perdam eum de populo suo, quia de semine suo dedit Principi, vt pollueret sancta mea, profanaret nomen sanctificatorum mihi.] PALLAD. Obscura hæc est lex, neque enim est adhuc satis perspicuum, quid sibi velit: illam ergo si explicabis, optime feceris. CYRILL. Moabitæ & Madianitæ Gergesæi & Amorrhæi & nonnullæ aliæ barbaræ nationes, quæ Iudæorum regionem incolebant, moribus ac ritu gentili viuebant, & eam religionem quisque amplectebatur, quæ sibi placuisset; & quod cuique temere in mentem venisset, id adorabat atque colebat: cum vero filij Israel in Dei amore nondum animum satis firmum ac stabilem haberent; ad apostasin admodum procliues erant, & ad defectionem adeo faciles, vt pro nihilo ducerent ipsos quoque finitimarum gentium Deos adorare, & simul cum vicinis nationibus erroris eius morbo succumbere, quo superiori tempore in AEgypto laborauerant. Itaque tam insano amore quondam in Madianitarum adolescentulas exarserunt, vt, muliercularũ forma capti simul etiam cum illis Beelphegor inuocarent. Vnde Legislator, cum eorum animi imbecillitatem ac fragilitatem prudentissime prospiceret, interdixit omnino, ne cum alienigenis miscerentur, atque apertissime edixit, [Filiam tuam non dabis filio illius, & filiam illius non accipies filio tuo: auertet enim filium tuum a me, & vadens seruiet diis alienis.] Igitur, quoniam vsu venerat fortasse, quod verisimile admodum est, vt nonnulli ex Israel diuitiarũ cupiditate irretiti, quibusdam claris viris gentilibus filias desponderent, adeo vt apostasin atque

Marginalia: Leuit. 19. — B — Eccli. 7. — C — Leuit. 20. — D — Deut. 7.

atque diuini cultus desertionem pro nihilo putarent; ideo mulctam & capitis A
supplicium huic facinori constituit, & grauissimis pœnis subiicit hoc crimen: necesse enim erat alienigenæ in matrimonium collocatam, aliã quoque mentem induere, & Dæmoniis cultum exhibere: ideoque perinde ac sui fructus corruptorem ac perditorem easdem pœnas subire coegit. Igitur sacra nouaq. scri-
Ephes. 6. ptura præcipit parentibus, vt in disciplina Domini liberos educare studeant: Lex vero tardiloquens per circuitum & ambitum eandem viam pergit: nam, cum prius edixisset, ne parentes permitterent filias ea facere, quæ ad turpitudinem & intemperantiam pertinerent, tum præterea inquit opus esse, vt Dei quoque cognitionem firmam illis & immotam seruent, neque eas sinant profanis idolorum cultibus implicari; quamuis multæ sint illis copiæ atque opes propositæ, si cum viro alienigena quidem, verum diuite nuptiarum lege con-
Matth. 16. iungantur; nonne hoc illud est, [Quid enim prodest homini, si vniuersum mundum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur?] PALLAD. Recte dicis. CYRILL. Facillimum est autem cuiuis ad perspiciendum, non B
parum interesse inter eos, qui sunt in Christo iustificati, & eos qui per Legem instituuntur: nam, cum exteris gentibus conseri, & simul cum alienigenis conuenire, priscis illis hominibus non impune licuit: nobis autem Paulus melius
1. Cor. 7. atque confidentius viuendum esse suadet dicens, [Siquis vir vxorem habet infidelem, & hæc consentit habitare cum ipso, non dimittat eam; & mulier si qua habet virum infidelem, & hic consentit habitare cum illa, non dimittat virum: sanctificatus est enim vir infidelis in muliere, & sanctificata est vxor infidelis in viro.] Quænam igitur est in his rebus dispensationis ratio? quamue ob caussam olim coniunctionem cum iis, qui aliter sentirent, Lex pertimescebat; nunc non item? quia nempe firmos eos, qui in Christo vocati sunt, & in Dei amore stabiles efficit is, qui in illis habitat, Spiritus, per quem & [in quo clamamus, Abba, Pater:] illi autem nondum hoc munere locupletati erant: C
Ioan. 7. nam, vt beatus Ioannes ait, [Spiritus sanctus nondum erat, quia Iesus nondum erat glorificatus.] Omnis ergo perfectio in Christo est; nam nihil ad perfectum adduxit Lex, vt scriptum est. PALLAD. Equidem cupio, vt mihi, si placet, explices, quonam modo perspicua fieri possit illa Legis imperfectio. CYRILL. Faciam libens; sed ad ea, quæ sunt in manibus, nostra oratio proficiscetur, atque caritatis in proximum rationes exquiret; cum rudius, quam oporteret, illæ per Moysen litteræ hac de re veteribus illis conscriptæ tradiderint. PALLAD. Perge igitur ad hoc ipsum alacriter. CYRILL. Igi-
Leuit. 19. tur Lex quidem ait, [Diliges proximum tuum sicut te ipsum:] at vero dominus noster Iesus Christus mutui amoris legem quamplurimis sermonibus promulgauit, ac tamquam patronam, quæ hanc legem tueretur, insitam illam in natura cognitionem & voluntatem, quæ singulis quibusque hominibus ad-
Matth. 7. est, constituit; itaque ait, [Quæcunque vultis vt faciant vobis homines, hæc D
eadem vos facite illis similiter;] nam, si, quæ quisque consequi exoptat, ea ipse quoque aliis facere studuerit, minime ab eo quod spectat aberrabit; sed potius recto intinere ad caritatem perget, & mutui amoris coronam consequetur. PALLAD. Probe dicis. CYRILL. Est igitur caritas Legis quidem impletio, fide vero ac spe præstantior: sic enim scribit diuinus vir Paulus. Itaque velut e vernis floribus varium illi quodammodo sertum intexens, rur-
1. Cor. 13. sus ait, [Et si distribuero omnes facultates meas; & si dedero corpus meum ita, vt ardeam; caritatem autem non habeam, nihil mihi prodest: caritas patiens est, benigna est, caritas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaude:

A gaudet super iniquitate,congaudet autē veritati,omnia suffert,'omnia sperat, omnia sustinet; caritas nunquam excidit.] Verum hæc, vt opinor, omnibus perspicua sunt, & longior erit de his omnibus oratio, si quis minute velit, quæ in noua scriptura sunt, colligere. Sed iam ad vmbras Legis & ea, quæ priscis hominibus tamquam in figuris adhuc edicta sunt,conuertamur. P A L L A D. Optime cogitas. C Y R I L L. Exercitatio quædam ad iustitiā fuit Lex,& velut aditus quidam ac limen ad præclara illa euangelica facta: scriptū est enim, [Principium viæ bonæ est facere iusta:] ducit enim Lex ad Christum, & vitæ *Prouer. 16.* illius, quæ in Christo intelligitur, non falsam consequitur gloriam, si spiritualiter intelligatur, & in iustitia nos constituit; at vero euangelica disciplina supra hoc præterea perducit. Sunt autem iustitiæ genera primum quidem honor & amor erga eum, qui vnus ac natura Deus est; vicinus est, & huic proximus ille amor in fratres, & eiusdem generis homines, ita tamen, vt in parentes re-
B uerentia ceteris præponatur. Conuenienti igitur ordine Scriptura progreditur, cum post pietatem in Deum, & erga parentes reuerentiam, in ceteros quoque homines specimen probitatis nos edere præcipit. Etenim vbique Lex curam æqualitatis habet, & accuratam iustitiæ rationem habendam esse aperte decernit: scriptum est enim in Deuteronomio, [Non erit in sacculo tuo pondus ma- *Deut. 25.* gnum aut paruum: pondus verum & iustum sit tibi, & mensura vera & iusta sit tibi, vt longæuus sis in terra; quā dominus Deus tuus dat tibi in possessionem, quia abominatio est domino Deo tuo omnis, qui facit hæc, omnis, qui iniquitatem facit.] Et iterum in Leuitico, [In mensuris & ponderibus & stateris; stateræ iustæ, & pondera iusta, & mensura iusta sint tibi.] Mensuris igitur & ponderibus & stateris diligenter comparare iustitiæ genera studuit, & quidem optime; animus enim rectus, & iusti amans appendit quodammodo & metitur rerum naturas, & æqualitatis rationem subtilius & accuratius exquirit, quam ij *Leuit. 19.*
C facere putantur, qui in lance & libra pecuniam probant, & singulis rebus, quas contemplatur, quod maxime deceat, admetitur, neque redundantia æqualitatis exquisitæ pulchritudinem corrumpit; neque rursus imminutione id adulterari sinit, quod est æqualitatis ratione satis. Sint itaque stateræ & pondera iusta, & mensura iusta, inquit: hæc autem, vt opinor, tamquam figuræ quædam sunt & exempla perspicua, quæ modos nobis demonstrant, per quos a nobis accuratæ æqualitatis ratio exquiratur, & iustitiæ cognitio appareat. Animaduerte autem ea, quæ sunt in Lege mensurari, & iustitia tamquam fine terminari; esse autem ampliora, quæ per Christum tradita sunt, & longe vlterius progredi; nam id, quod iustum est, a bono, idest, a Christianæ conuersationis gloria exceditur. P A L L A D. Præclare ais; memini enim iis, qui in fide iustificati erant, Christum aperte dixisse, [Amen amen dico vobis, Nisi abunda- *Matth. 5.* uerit iustitia vestra plusquam scribarum & pharisæorum, non intrabitis in re-
D gnum cælorum.] C Y R I L L. Sed hæc quidem ad hūc modum constituta sint. Iam, si ita videtur, Mosaicæ probitatis mensuram, & iustitiæ secundum Legem gloriam peruestigemus: qui enim iustitiæ cognitionem consequi recte studet, atque in diligendis fratribus, excellere magnum putat, eum firmum ac stabilem, denique talem, qualis reuera est, spectari decet, non infirmum ac leuem, neque fucata probitate præditum, ac veluti ouis pelle lupi formam contegentem, sed potius niti, vt nudam & reprehensionis expertem suorum morum libertatem retineat; ideoque inquit Lex, [Non ambulabis dolose in gente tua, *Leuit. 19.* neque oderis fratrem tuum in corde tuo.] Eandem quoque rem aliter ponit, [Et veste, inquit, ex duobus texta non indueris:] & rursus, [Non indues adul- *Deut. 22.* teratam vestem ex lana linoq. simul confectam:] grauissimum enim sane crimen

men est, & cui nulla reprehensio sit satis, illa in opinione probitatis fallacia & A
dolus; eaq; res est Deo in primis odiosa, & cognatam fere semper habet animi duplicitatem, & illud sententiæ tamquam biforme variumq. portentũ; quibus rebus mens illa diuina & immortalis ad iram maxime commouetur; dixit enim
Hiere. 9. certe de quibusdam, [Sagitta vulnerans lingua eorum: dolosa enim sunt verba oris eorum; proximo suo loquitur pacifica, & intra se habet inimicitias. Nunquid super his non visitabo? dicit Dominus, aut in populo tali non vlciscetur
Psalm. 14. anima mea?] Ascensurum quoque in montem Dei, inquit Dauid, innocentem manibus, & mundo corde, qui non fecit dolum in lingua sua, neque fecit proximo suo malum. Vetat igitur Lex tamquam rem turpissimam, & in primis absurdam, ne quis in dolo ambulet, idest, ne callidam atque astutam vitæ rationem amplectatur, & cum iustitiæ speciem simulet; contemptis caritatis legibus fratres lædat: vestem præterea nos habere non sinit e duobus contextam; qua in re figurate significat, cauendum esse ne veluti duplicitatem quandam in animum B
admittamus; duplicitatem porro internam ac spirituale esse inquam illam execrabilem hominibus placendi cupiditatem, quæ velut ex duobus intexitur studiis, non mediocriter inter se differentibus: quæ enim qualisve est alia hypocritarum vita, nisi, vt in conspectu quidem hominum boni viri appareant, ac videantur esse, non sint tamen reuera probi? PALLAD. Sane vero. CYRILL. Ergo duplices sunt illis mores e dissimilibus volũtatibus contexti. At vero beatus Dauid approbat vnius moris virum, eumque superna prouidentia dignũ ha
Psal. 67. beri dicit, [Dominus, inquit, inhabitare facit vnius moris in domo.] Dissipa-
Psal. 52. re etiam Deus dicitur ossa hominibus placentium: idem quoque vitium Paulus
Galat. 1. execratur, cum dicit, [Modo enim hominibus suadeo, an Deo? an quæro hominibus placere? si adhuc hominibus placerẽ, Christi seruus non essem.] PALL. Cui vero sit obscurum, quin absurdum sane & a rectissima viuendi regula alienissimum sit, duplici animo esse ac simulare? CYRILL. Perfectæ igitur caritatis, & quæ iustum bonumq. virum deceat, fructus est, a dolo alienum esse. C
ait itaque Lex, hominem iustitiæ plane studiosum, & fraternæ caritatis amantem existimare debere, ita eius rei gloriam esse perfectam, si non ipse duntaxat vitet, ne alteri noceat; sed etiam ea in re ceteris magister sit, qui vel genere coniuncti sunt, vel alio quouis modo illum attingũt, & illi sunt necessitudinis nomine deuincti. Præcipit etiam Paulus, vt, qui Ecclesiæ curam est habiturus, filios habeat subiectos, & ea re tamquam argumento vtitur, quo probetur, sit in eo
1. Tim. 3. morum probitas nec ne, cum dicit, [Si quis autem domui suæ præesse nescit, quomodo Ecclesiæ Dei diligentiam habebit?] Itaq. Lex ob eam caussam tam-
Exod. 21. quam ad similitudinis & euidentis imaginis modum inquit, [Si cornu percusserit taurus virum vel mulierem, & occiderit, lapidibus obruetur taurus; & carnes eius non comedentur: dominus autem tauri innocens erit: si autem taurus cornupeta fuerit ante hesternum & ante tertium diem, & protestati fuerint domino eius, & non absconderit eum, & interfecerit virum vel mulierem, taurus D
lapidabitur, & dominus eius insuper morietur: quòd si pretiũ pro redemptione sua ei impositum fuerit, dabit pretium pro anima sua, quodcunque imposuerint illi: quod si filium aut filiam cornibus petierit taurus, secundum eandem iustificationem facient ei: quod si seruum cornibus petierit, vel ancillam, dabit domino eorum triginta siclos argenti, & taurus lapidabitur.] Num apertum est tibi hoc Dei responsum? PALLAD. Non admodum sane. CYRILL. Attende igitur, quod dicturus sum, & ante alia animaduerte beati
1. Cor. 7. Pauli verba, sic scribentis, [Nunquid de bobus cura est Deo?] an propter nos omnino dicit? Tauro igitur comparat hominem iniuriosum & arrogantem, &

qui

A qui vim inferre possit: superbum est enim fere & tumidum hoc animal, & ad pugnam valentissimum, eiusque impetus difficile sustineri potest. Eiusmodi itaque hominem, inquit, si domesticus fuerit, & veluti subiectus alicui pio iustoque viro, ac debilitauerit, immo vero etiam occiderit quempiam, obruens cum iniqua potestate, admissum crimen morte luere iussit; lapidibus namque mori eum oportere inquit: subtrahit autem ab hac pœna possessorem, si illius iniquos mores ignorabat, & nequitiæ socius minime fuisse deprehendatur: neque enim aliorum crimina nostra sunt, si clam nobis admittantur. Vesci autem tauri carnibus vetat: in quo non oportere aliorum impuritatis esse consortes, sub vescendi participandique figura latenter significat: an non aperte hoc illud est, [Te ipsum castum custodi, & ne communicaueris peccatis alienis?] 1.Tim. 5.

PALLAD. Maxime vero. CYRILL. Simul autem cum tauro dominum quoque damnari decernit, si iniuriam illatam sciuerit, & illius iniquitatem

B non ignorasse coarguatur: nam posse quidē iniquos mores coercere, & ab iniuria facile prohibere, sed facere nolle, idque præsertim ex industria, propemodum indicat hominem in faciendo socium fuisse; & quod ad voluntatem, & commune consilium pertinet, cum iis, qui contra fas quidpiam committere velint, operam quoque in ea re suam conferre voluisse: Eiusmodi igitur homo, inquit, morte mulctetur, nisi pretium & pro eiusmodi criminibus admissis mulctam iudices imposuerint. Spectat enim Lex ad clementiam, & voluntatis in peccando societatem, & solius consensionis concursum leuius punit; [siquidem, inquit, iudices ita censuerint.] Iam figuram accipe translatam ad veritatis significationem: ille enim omnium Iudex grauissima crimina morte vindicat; admittit tamen eos, qui peccarint, si pretia offerant, quibus peccata soluantur, lacrymas nimirum pænitentiæ, laboremque conuersionis, & eleemosynæ modos: [superexultat enim misericordia iudicium,] iuxta Scripturas: Iacob.2.

C Diligenti quoque discrimine Lex distinguit eos, qui iniuria sint affecti: nam, si filium, inquit, aut filiam taurus occiderit, moriatur, nec vllus sit miserationi locus: sin seruum aut ancillam, argentum pro illis exigatur. Rationem igitur huius discriminis inquirere, qui fieri potest, vt indignum sit? cum præsertim liberi seruique differentia in nobis non naturæ vitiū sit, qualis est proculdubio mala valetudo, sed ex potentiorum oppressione nascatur; [idem namque nos condidit Deus, & vnus est omnium pater,] iuxta prophetæ vocem. Num igitur Conditor noster nonnullis etiam seruitutem pro crimine ascribit? num apud ipsum quoque seruilis condicio nihil penditur, & libertas maiore gloria pollet? Minime vero: [in Christo enim Iesu non est seruus neque liber.] Igitur, quia Lex vmbra est, per filium ac filiam liberum sanctorum hominū genus significatur, per seruū vero & ancillam illud adhuc seruile genus, & peccati iugo subiectum. Non est igitur par iniuria in sanctos atque in peccatores facta, Malach.2. Coloss.3.

D neque eadem mensura plectuntur peccata in vtrosque comissa: nā esse quidem tum hos tum illos natura fratres, omnibus liquet, sed tamen sanctorum condicio est spirituali excellentia, & virtutum sublimitate superior, & Deo adeo cari sunt, vt in filij & filiæ loco habeantur, & humanam seruilemque mensuram transiliant. Pietatem porro colere, & caritatem in fratres retinere, Lex aliis quoque modis suadet, quos etiam, vbi deinceps proposuerimus, de singulis, quod in mentem venerit dicemus: ait enim rursus; [Quod si quis aperuerit lacum, aut exciderit lacum, neque eum operuerit, & ceciderit illuc vitulus aut asinus, dominus laci reddet, argentum dabit domino illorum, & mortuum erit ipsius.] Hoc vero figurate illud est, non ponere offensionem fratri aut scandalū, neque pati, vt, quod suapte natura vtile est, aliquibus inutile fiat: neq. Exo.21. Rom.14.

N commit-

committere, vt, quæ nobis aliisque necessaria sunt ad vitam, ea viam ad mortem aperire videantur: nunquid enim, qui lacum aperit aut fodit, non sibi ac ceteris vtile quidpiam ac necessarium efficit? ne committas, inquit, vt res tuæ alteri occasionē periculi afferant: caritas enim, vt ait beatus Paulus, [nō quærit quæ sua sunt:] cogitat autem potius etiam quæ sunt aliorum. PALLAD. Quis vero ille est, qui lacū aperit, aut effodit, quis etiam lacus, velim equidem perspicue nosse. CYRILL. Non obscurum est quid historia significet, operienduum quippe lacum esse inquit, ne quod inde damnum aliquibus contingat: aut sciat, inquit, is, qui hoc facere neglexerit, si quid illapsum fuerit, se eius rei domino argentum persoluturum; mortuum vero cadauer ipsius futurum. At, si ex aperta historia conscenderimus, idque factum trastulerimus ad spiritualem intelligentiam, illud dici a nobis poterit, lacum in his verbis videri nobis a Lege appellari scripturæ diuinitus inspiratæ cognitionem, ac de sancta & consubstantiali Trinitate disputationem, atque Christi mysterij scientiam: hæc enim tamquam in profundo posita sunt, vimque vitalem habent; cuius rei testis est ipse Saluator dicens, [Hæc est autem vita æterna, vt cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti, Iesum Christum.] Igitur, qui vetera scripta legit, & diuinæ scripturæ verba nō sine labore peruestigat, & accuratam incorruptamque cognitionem exquirit, is est fodienti lacum perquam similis, aquam enim vitalem quærit, & fontem lætificantem, & torrentem voluptatis: at, qui ad eam prudentiam peruenit, vt suis litteris mandare queat eius mysterij disputationem, is lacum aperit; noui enim nonnihil edit, non in aliorum sudoribus superædificat, sed suis ipse laboribus, & se & ceteros iuuat. Fodiunt etiam lacus contritos, iuxta prophetæ vocem, falsi quoque nominis scientiæ amatores; quisquis igitur fodit lacum, caueat, inquit, ne, quod probe effectum esse videtur, aliquo modo perniciem nonnullis afferat: debemus enim recte & diligenter de Deo verba facere; ita, vt nemini occasionem scandali præbeamus: idque est, opinor, operculum impositum esse lacui: nempe sermonem non esse cautelæ conuenientis expertem: nam, si bos ait, aut asinus ceciderit, qui laborauit in extruendo lacu, ipse persoluet; bouem vero & asinum non simpliciter appellat, sed abdita ratione: ac bouem quidem inquit, vt intelligas sacrum ac purum hominum genus; asinum vero, vt profanum & impurum; neque enim Deo in sacrificium affertur: sacrum porro genus ac purum esse dicimus eos, qui iam per fidem sanctificati sunt: profanum & impurum eos, qui nondum sunt sancto baptismate purgati, sed peccati maculas adhuc inustas habent. Perinde igitur est, ac si diceret, Siquid acciderit damni aut alicui ex iis, qui iam baptizati sunt, & per gratiam ad coniunctionem cum Deo ineundam signati, aut ex iis certe, qui nondum tales sunt, eius scandali auctor mulctæ obnoxius erit, & ad ipsum pertinebit exanime cadauer, idest, eius erit mors illius, qui damnum est passus. Itaque præmonet nos ipse quoque Saluator dicens, [Qui scandalizauerit vnum ex pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei, vt suspēdatur mola asinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris.] PALLAD. Recte dicis. CYRILL. Facile est autem videre, aliis etiam figuris indicare Legem, quam periculosum sit peccare, & hoc in fratres: nam in eo, quod percutimus eorum infirmam conscientiam, nostra offensa ad Christum pertinet. Ideoque ait, [Quod si egressus ignis inuenerit spinas, & simul succēderit areas, aut spicas, aut campum, exoluet qui ignem accenderit:] non enim conuenit, vt simul cum iis, quæ suapte natura lædunt, etiam quod vsui est, pereat; neque cum siluestribus simul consumatur, quod excultum est. PALLAD. Quo tandē istud modo? CYRILL. An non spinis mōtanis atq. siluestri-

Marginalia: A; 1.Cor.13.; B; Ioan.17.; Ioan.4.; Psal.45.; Psal.35.; Hiere.2.; C; D; Matth.18.; 1.Cor.8.; Exo.22.

A ſilueſtribus conuenientiſſime comparari poſſunt impiorum hæreticorum ſcripta, & gentilium dogmatum præſtigiæ? nam quæ inde vtilitas in animos hominum permanare poſſit? immo vero, quæ non pernicies iis afferatur, qui illa in animũ admittere voluerint? ignis enim duntaxat altrices ſunt ſpinæ, & flammæ pabulum; flammas itidem nobis accendunt ſempiternas, cum vana errantium dogmata tum vero idololatrarum aniles fabulæ: ſpica porro & triticum excultiſſimus eſt cibus, & hominibus ad veſcendũ aptiſſimus, & ad vſum neceſſarius; continet enim nos in vita; & figura eſſe poterit dogmatum veritatis, per quæ nos, qui credidimus, Chriſto, tamquam pane viuenti ac vero paſcimur. Rurſus campus eſt planus, & minime aſper iis, qui recte per illum ambulare norunt, ſcriptura diuinitus inſpirata: [omnia enim in proſpectu ſunt iis, *Prouerb. 8.* qui intelligunt:] vt ſcriptum eſt, [& recta inuenientibus ſcientiam.] igitur ſpina quidem eſt illa peruerſorum hominum execrabilis maxime & profana

B loquacitas: triticum vero & ſpica ſermo veritatis, qui animis vtilitatem affert, & ad nutriendum eſt aptiſſimus: planus vero campus diuina ſcriptura. Cum igitur in hæreticorum gentiliumq. figmenta ſanctorum doctorum verba, dogmatis veritatis patrocinium ferentia, flammarum aut ignis inſtar, impetum fecerint, per ſpinas duntaxat decurrant, inquit, & illorum ſcripta tamquam inutilem ſilueſtremq. materiã comburant; non autem ſimul triticum aut ſpicas lædant, id eſt, attendant doctores, ne quid violent e dogmatis veritatis: aut ſciat, inquit, qui, id vt caute faceret, non laborauit, ſi quid eorum, quæ ad vſum neceſſaria ſunt, ſimul cum vitioſis conflagrare contigerit, ſe pœnas imprudentiæ daturum. Aduertis igitur, quantam nos adhibere cautionem iuſſerit Legiſlator, vbique caritatis in fratres ſinceritatem puram & imperturbatam ſeruans? PALLAD. Intelligo.

FINIS LIBRI SEPTIMI.



SANCTI CYRILLI ARCHIEPISCOPI ALEXANDRIAE

DE ADORATIONE IN SPIRITV ET VERITATE

LIBER OCTAVVS.

Item de caritate in fratres, & de eo qui furatur vitulum, aut ouem.



NDIQVE igitur, Palladi, perspicere potes, quam recte ac diligēter de nostrorum mysteriorũ ratione differere prisca quoq. Lex iubeat. Iam vero iis, qui simpliciores quosdã decipere cōsueuerunt, eam rem non inultam esse sinens, rursus ait, [Si quis furatus fuerit bouem aut ouem, & occiderit aut vendiderit, quinque boues persoluet pro boue, & quatuor oues pro oue: quod si perfodiens inuentus fuerit fur, & percussus mortuus fuerit, non est ille reus cædis: sin ortus fuerit sol super eum, reus erit pro cæde, morietur: quod si non adsit ei substantia, vēdatur pro furto: sed si inuentum ac deprehensum fuerit furtum in manu eius, ab asino & vsque ad ouem, viuentia, dupla ea exoluet.] PALLAD. Haud sane perspicuus est hic locus: itaque enitere, vt mihi explices, quid tandem istud sit, quod per ænigma diuino hoc responso præcipitur. CYRILL. Mulctam haud ab re constituit Lex, si quis rapere quidpiam tentarit, & cohibet quodammodo impotentem earum rerum cupiditatem, quas aut vicinus, aut frater habet, ita vt, etiamsi contingat, inquit, in ipso furto occidi eum, qui hoc crimen admittit, id fraudi non sit iis, qui occiderint: eundem ignominia quoque notat, cum decernit vendi oportere, si adeo tenuis est, vt pretij persolutionem ferre non possit; vt ad vitam recte instituendam metu compellat. Interior porro sensus historiæ ab hoc longe diuersus est: eum igitur, vt fieri potest, optime explicemus. Bos ergo & ouis animalia munda sunt ambo, & sacra, & Deo in odorem suauitatis offeruntur. Sed bos quidem præstanti est magnoque corpore, illud vero alterum pecus non item: [illegible] minor est quis. Boum igitur & ouium & mundorum quodammodo sacro-

Exo. 22.

A

B

A sacrorumque animalium instar est illa hominum per fidem iustificatorum sancta multitudo, & findunt vngulam & ruminant iuxta Legem, & excultorum fructuum sunt operarij: bos enim terram excolit; ouis quoque fructuosa est: atque ille quidem vocatorum grex in diuinis caulis inclusus est, in Ecclesiis nempe; sed complures illi fures insidiantur, qui effodiunt & sensim irrepunt, ac variis indificationibus animas hominum simpliciorum extrahunt, ac, prope dixerim, exterminatori Satanæ vendunt: ceterum, qui tale quidpiam audet, quinque boues, inquit, pro vno persoluet; quatuor item, pro vna, oues: quinque enim partibus maiorem pro boue mulctam, pro vna rursus oue, quadruplam furi esse irrogandam inquit: in quo, vt mea fert opinio, pro mensura spiritualis in virtute magnitudinis, quam qui perierunt habebant, mulctam imposuit. Est autem non absurde figura & vmbra illius in virtute quantitatis hæc corporea magnitudo; namque maiorem minoremue probitatem in iis certe,

B qui crediderunt, haud difficile est videre: neque enim æqua est omnibus mensura; [sed vnusquisque nostrum proprium habet donum ex Deo, hic quidem sic, ille vero sic.] Si igitur furari, perfodere præterea, & furis munera explere, de nocte & in tenebris deprehensus fuerit, inquit, tum vero liceat occidere; & ea res non est cædes, neque faciens criminis reus erit: Fur enim erat, qui cecidit & vim inferebat, & belli iure cæsus est: at, sole iam orto, atque elapso furandi tempore, cohibet percutientis manum, idque facinus homicidij crimen esse definit. Dum enim fur spiritualis, animam credentis in Christum deprædatur, & a caritate Dei abstrahit, si in ipso scelere deprehensus fuerit, non iniuria morte mulctatur: animam enim occidit, quæ præstantior est corpore: at vero, cum in eius quoque mentem sol exortus fuerit, eamque vera cognitio, lucis ac diei instar, illustrauerit, periclitari non finit: nam opera noctis ac tenebrarum puniuntur; quæ autem in lumine fiunt, non item: condonari autem vetera crimina, & in inscitia ac tenebris admissa, æquum esse censuit Deus. Itaque dicatur iis, qui de peccato ad spirituale lumen peruenerunt, [Eratis aliquando tenebræ; nunc autem lux in Domino.] Sic iustificauit Dominus etiam beatum Paulum, qui prius fuerat blasphemus & persecutor & contumeliosus; supra modum enim persequebatur Ecclesiam Dei, & deuastabat illam. PALLAD. Optime dicis. CYRILL. Quod si non poterit, inquit, quinque boues pro vno, quatuor etiam oues pro vna persoluere, vendatur pro furto. Vides vt Lex ignominiam seruilem aperte sanxerit in eos, qui, cum assidue peccent, non tamen peccati maculas abluunt, neque vt ita dicam, pretio dato, possunt crimina depellere: quod mentis infirmitate sudores pœnitentiæ perferre, & Deum eiusmodi laboribus placare nolint. Vendi igitur eos rectissime iubet: neque enim homines adeo inquinatos permittit inter eos numerari, qui per Dei gratiam liberi facti sunt: expulsi autem ab eo honore, qui liberis conuenit,

C *1.Cor.7.*

Eph.4.

1.Tim. 1.

D audient etiam ipsi, [Ecce in iniquitatibus vestris venditi estis.] Quod si furtum quidem fecisse compertus fuerit, nondum tamen occidisse, idest, si quis aliter sentiens, quam fides recta præscribit, fallere quidem & decipere ceteros molitus esse deprehendatur, nondum tamen vicisse aut ad perniciem auditores perduxisse, duplum persoluet: nam dominus gregis suum recipiet, & ille quoque insidiator pœnas luet, (id enim est duplum) ac mortis pœna mulctabitur: quod enim aliis facere voluit, id ipse iure optimo patietur. PALLAD. Perniciosum sane ac graue est deceptorum crimen, de quibus ipsum quoque Christum prædixisse puto, [Attendite ab iis, qui veniunt ad vos in vestimentis ouium; intrinsecus autem sunt lupi rapaces.] CYRILL. Recte igitur Lex de huiusmodi omnibus, tamquam de feris belluis, extremũ supplicium

Esai. 50.

Matth.7.

Exod. 21. sanxit. Scriptum est enim in Exodo quidem, [Si quis furatus fuerit aliquem A
de filiis Israel, & vi opprimens eum vendiderit; & inuentus fuerit in ipso, mor-
Deut. 24. te moriatur.] In Deuteronomio vero, [Si autem deprehensus fuerit homo fu-
rari animam ex fratribus suis, filiis Israel, & vi opprimens, ipsum vendiderit,
morietur fur ille.] non enim fas est illud sacrum in Christo genus prædæ ex-
positum esse, & ad seruitutem insuetam ab iis, quibus id facere moris est, per-
trahi: vt enim qui pueros decipiunt, eos a ciuitate & domibus suis abducunt,
& ornamentis libertatis expoliatos, coactæ seruitutis iugo subiiciunt; eodem,
vt opinor, modo, qui multiplicibus commentorum suorum deceptionibus eos,
qui recte sentiunt, & vitæ genus excolunt, liberis hominibus dignum, ad suam
stultissimam sententiam abducunt, de furto ac latrocinio humanarum anima-
rum rei merito fiunt, pœnasque extremo supplicio luunt. Huiusmodi homini-
2. Ioan. bus neque, [Aue, dixeritis,] inquit Saluatoris nostri discipulus: non quod
inhumanis nos esse moribus doceat, sed quod ad cōmercia cum lupo ineunda B
inepta sit ouis, & inter eos, qui animi sensibus differunt, nulla conuentio es-
2. Cor. 6 se possit: [quæ enim pars fideli cum infideli?] Præterea cum fornicatoribus
1. Cor. 5. huius mundi non commisceri, scribit beatus Paulus. Ne qui igitur tamquam
e patriis focis ex Ecclesia Dei rapiantur, & in Ecclesias malignantium deferan-
tur, dum ad vitiosos mores diuertendo, suum animum quodammodo vendunt,
1. Cor. 15. ([corrumpunt enim mores bonos colloquia mala]) mortis pœnam Lex con-
stituit in eos, qui id facere nefarie ausi fuerint. Facile autem videas hoc ip-
sum oblique nobis alio quoque responso Legem rursus indicare: nam aperti-
re quadam intelligentia, & quæ a quibusuis facile percipi possit, res humanas
componit, & ad rectum statum reuocat: neque enim historiam in iis certe,
quæ maximo vsui sunt, tamquam frigidam ac veterem tollemus: vtilis est
enim nonnumquam auditoribus ipsa quoque littera; sed ea tamen tamquam
in profundo continet res spirituales, & subtiliorum sensuum vim tamquam in C
tenuibus vmbris complectitur. Dixit igitur in Exodo rursus, [Si quis vero de-
ceperit virginem non desponsam, & dormierit cum ea, dote dotabit eam sibi
in vxorem: quod si renuens renuat, & nolit pater illius dare illam sibi vxo-
rem, argentum soluet patri iuxta dotem virginum.] Hoc Dei præceptum
Deut. 22. dilatans beatus Moyses in Deuteronomio inquit, [Si autem inuentus fuerit
homo dormiens cum femina, collocata viro, occidetis ambos, virum dormien-
tem cum femina, & mulierem ipsam: & auferes malum de filiis Israel. Si autem
fuerit puella virgo desponsa viro, & inueniens eam homo in ciuitate, dormie-
rit cum ipsa, educetis ambos ad portam ciuitatis ipsorum, & lapidibus obru-
entur, & morientur; adolescentulam, quia non clamauit in ciuitate; & ho-
minem, quia humiliauit vxorem proximi sui: & auferetis malum a vobis ip-
sis. Sin autem in agro inuenerit homo puellam desponsam, & vi opprimens
dormierit cum ea, occidetis hominem, qui dormiuit cum ea, duntaxat; ado- D
lescentulæ autem nihil facietis: non erit adolescentulæ peccatum mortis; quia
sicut si quis insurgat homo in proximum suum, & occidat eius animam, sic
hoc factum; quia in agro inuenit eam, clamauit adolescentula desponsa, & non
fuit, qui adiuuaret eam.] Quod igitur ad historiam pertinet, nulla, vt opi-
nor, expositione indiget, vt cuiquam perspicua fiat: aperta sunt enim omnia
atque manifesta: quamobrem hæc, vt mihi videtur, nobis omittenda sunt
ad præsens, & per interiorem illam occultioremq. semitam est ingrediendum.
PALLAD. Sane quidem. CYRILL. Arbitror igitur vt inter peccata in
feminam admissa grauissimum est adulterium, quod nuptias alterius violet, &
iā coniunctos disiungat; sic prorsus criminū in humanas animas perpetratorum
omnium

A omnium maxime nefarium, ac minime ferendum esse, moliri corruptelam non in quamlibet animam temere, sed in eam, quæ iam modo quodam collocata erat & coniuncta Christo, superno illi cælestiq. sponso: iungimur autem illi per fidem, & præterea per Spiritus sancti participationem: [qui enim adhæret Domino, vnus spiritus est,] secundum Scripturas. Iure itaque Lex simul cum adulterante adulteratam quoque morte mulctat; illum quidem, vt qui impietatis semina, quæ sibi inerant, infuderit; illam vero, quia, contemptis fidelitatis legibus, alteri iuncta sit, illiusq. corruptelis mentem aperiens, ex humanis commentis labem admiserit. PALLAD. Probabilis oratio. CYRILL. Mulieri igitur, viro secundum leges collocatæ, persimilis est ea anima putanda, quæ per fidem ac Spiritum Christo est collocata atque coniuncta: desponsam vero virginem putabimus, quæ ad initia veræ cognitionis vocata est illa quidem, non tamen adhuc perfecte Christo coniuncta, sed adhuc sancti baptis- 1.Cor.6.

B matis gratiam, sanctiq. spiritus communionem tamquam nuptias quasdam, vteriorem que coniunctionis modum expectat: iam tamen quasi arrhabonem & consuetudinis futuræ initium, catechesis sermonem accepit. Sic illam ex gentibus ecclesiã diuinus ille noster mysteriorum Doctor, Paulus inquam, adduxit ad Christum: scribit enim ad hunc modum, [Despondi enim vos vni viro, virginem castam exhibere Christo:] & ipse sponsus certe per vocẽ prophetarum ait, [Et desponsabo te mihi ipsi in æternum, in iustitia & in iudicio, & in misericordia, & miserationibus; & desponsabo te mihi in fide, & scies Dominum.] Si igitur in aliqua huiusmodi anima corruptelæ crimen, inquit, admissum fuerit, eiusmodi factum vt adulterium habeatur: obstricta enim est desponsata femina, & iam sub illius potestate, qui mox est sponsus futurus. Ceterum, si in vrbe hoc fit crimen admissum, idest, in ecclesia Christi, & in ciuitate Dei viuentis, in qua habitant Angeli, & viri sancti, magistri & doctores, qui iis qui 2.Cor.11. Osee 2.

C periclitantur, & seducũtur, opem ferre possunt, simul cum seductore virgo quoque violata moriatur: nam cum liceret perfacile corruptionem effugere: si magistris seruandi peritis rem indicasset, voluntarie violationem perpessa est, non coacte ad improbitatem adducta. Sin autem id non in Ecclesia contigerit, neque in ciuitate Dei viuentis, sed in cãpo atque in agro, vbi magister, qui opem ferret, nullus erat, in magna solitudine hominum, qui ad meliorem sententiam traducere possent, & tamquam in penuria pædagogorum fraus est commissa; ille duntaxat in periculum veniat, qui vim intulit: nam res gesta per oppressionem fuit, malumque, quod ea perpessa est, eiusmodi fuit, vt subueniri illi non posset: itaque vis allata, cuius vitandæ nulla facultas fuit, amolitur crimen. An vero, quæ præter voluntatem nos opprimũt, ea perinde ac si voluntarie admissa sint, accusare, non nimis acerbum esse dicemus? PALLAD. Immo vero prorsus: iusta est enim lex. CYRILL. Recte dicis. Subtiliori itaque

D examine facta diiudicat, & pro mensura peccatorum vindictam adhibet: ita, vt neque in rebus leuioribus admissum peccatum omnino cõdonet, quominus puniatur; neque rursus grauioribus exæquet; sed parem criminibus vltionem rependit: ait enim iterum, [Si autem inuenerit quispiam puellam virginem, quæ non sit desponsata, & opprimens eam, dormierit cum ea, & inuentus fuerit, dabit homo, qui dormierit cum ea, patri puellæ quinquaginta siclos argenti, & erit ipsius vxor, pro eo quod humiliauit illam: non poterit dimittere eam omni tempore.] Igitur adulterij crimine teneri statuit, quisquis cum desponsata congressus fuisset, iis tamen modis nimirum, quos modo diximus: sed, si nemini adhuc coniunctam fuisse constet, necdum Christo desponsam per fidem, tamquam speciẽ virginis animam, deinde quispiam verbis ad impietatem Deut.22.

tem perducentibus eam inquinasse deprehensus fit,& ex vno errore ad alterum A
traduxisse, vt hæretici faciunt, qui nonnullos ex gentibus nonnũquam,& ex Iudæis rapiunt,&, vt se sequantur, persuadent; is quide non erit eã rem id impune ausus; persoluet enim patri spirituum, idest, Deo, sui peccati pœnas, quæ tamquam in ea pecuniæ mulcta non absurde figurantur. Illud porro, [Ipsius erit vxor,] etiam iuxta historiam vtile est. PALLAD. Intelligo sane quod dicis: duplex est enim Lex, carnalis, ac spiritualis. CYRILL. Sed velim obserues, ne veteris quidem mandati sermonem ignorasse, quod Christus dixit
Marc. 10. de viro atque muliere, [Quod Deus coniunxit, homo nõ separet.] Ipsius enim, inquit, sit vxor, pto eo quod humiliauit illam: non poterit dimittere eam omnĩ tẽpore. Illud præterea velim animaduertas, quanta sit sanctissimæ virginitatis gloriæ sublimitas: nam illius deflorationem, sacræ diuinæq. litteræ non solum esse humiliationem senserunt, sed etiam appellandam censuerunt, quasi venerationis quandam amissionem. PALLAD. Recte dicis. CYRILL. B
Cum itaque hæreticorum in decipiendis hominibus fallaciam tamquam Deo exosam ac reuera nefariam, & eorum, qui recte incedentes corrumpere consueuerunt, studium auertendi ceteros ad improbitatem, & ad ea, quæ non conueniunt, abducendi, prohibuisset, aliud quiddam excogitauit, quod ipsum bea-
1. Timo. 2. tus quoque Paulus, tamquam optimam nobis disciplinam tradidit, [Ne pugnemus verbis, quæ ad nihilum valent, nisi ad subuersionem audientium:] nam superuacuæ illæ disputationes, & nimia circa quæstiones minime necessarias contentio generant pugnas, & audientium animos feriunt: e quibus nonnulli quidem ex leuitate, quod neque recte habet, neque recte dictum est, temere, & inscite nonnunquam excipiunt, & laudibus tollunt: alij rursus de optimis viris turpe iudicium facientes, eadem, qua primi, inscitia laborare deprehenduntur; pauci autem admodum iudicare, & rebus noxijs vtilia præferre sciunt; vixque ij duntaxat in aliorum hominum verborum pugnis inuulneratum animum seruant. Itaque id facientibus non impunitum fore indicat rur- C
Exo. 21. sum Lex, cum dicit, [Si vero duo viri pugnantes percusserint mulierem, in vtero habentem, & exierit infans eius, nondum formatus, mulcta mulctabitut, quantum indixerit vir mulieris illius, & dabit cum postulatione: sin formatus fuerit, dabit animam pro anima.] Ferunt igitur, fetum in vtero vix tandem ad humanam speciem effictum videri, & ad figuram nostri corporis accedere, numero quadraginta dierum expleto: ideoque aiunt, Moysen virum optimum, cum Israelis populum ex illo AEgyptio errore ad vitam secundum Legem ducendam, iterum quodammodo parturiret ac refor-
Deut. 9. maret, cibo, & potu abstinuisse: [panem enim, inquit, non comedi, & aquam non bibi quadraginta diebus.] Idem quoque propter nos ipsos existimandum est & fecisse & pertulisse Christum: reformabatur enim in eo ad sanctificationem per temperantiam nostra natura, quæ ab initio in homine primum D
formato, per intemperantem appetitum, peccati transgressionisque macula fuerat inquinata. Atque hæc a nobis quidem non improbabiliter excogitantur: tamen, quocnnque modo se habeat, historiæ ratio ad præsens omittatur: quomodo autem intelligi conueniat illud, mulierem in vtero habentem ab iis, qui pugnas verborum exercere consueuerunt, percuti, age iam confideremus: nã subtiliter admodum differere in his certe rebus, non iniucundum est. Est igitur fructus ac fetus mentis, fides in Christum, quæ nos perfecta cognitione ad illius similitudinem effingit, & ad figuram diuinam reformat: ideoque fi-
Esai. 26. deles per Esaiæ vocẽ, hoc vt opinor, plane significantes clamant, [Propter timorem tuũ, Domine, in ventre accepimus, & parturiuimus, & peperimus, spiritum salutis

A salutis tuæ fecimus in terra :] fructus igitur mentis ac fetus spiritualis atque salutaris est fides in Christum, quæ diuinos quoque in nobis characteres imprimit. Itaque eos certe, qui e perfectiori cognitione ad minorem & imperfectiorem stulte defluxerant, (Galatæ hi erant) alloquebatur beatus Paulus dicens, [Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis.] Cum enim cœpissent spiritu, carnis perfectionem ad legalem cultum traducti, sectabantur; ob eamque caussam efficiebant, vt in se ipsis illa Christi formatio ad finem perfectionemque minime perueniret, bonum illud, quod in ipsis tamquam in vtero positum erat, velut abortiẽtes. Igitur illa cognitionis perfectio, & integritas fidei, Saluatoris nostri formationem in nostros omnium animos inducet, eaque res nobis instar diuini cuiusdam seminis erit. Cum igitur quorundam verborum contentionibus nonnulli scandalizantur, deinde anima id perpessa, illam quam in vtero gestabat, & in animo intime reconditam habebat, fidem atque cognitionem abortiuerit, si quidem, inquit, nondum formata fuerit, idest, adhuc imperfecta & informis, mulctam omnino sustinebit, qui scandali caussam dedit, quam indixerit, inquit, illius sponsus, nempe Christus; & dabit cum postulatione, inquit, idest, gratias agat, quod non plenæ perditionis pœnam sustineat. At, si spiritualis animi fetus efformatus fuerit, idest, si cognitio ac fides formationem Christi habuerit, extremo supplicio subiacebit, vt qui iam homicida sit: nam integræ fidei amissio, & perfectæ cognitionis iactura, mors est animæ. Itaque participem esse nefariarum persuasionum, ac sermonum, quos habuerit is, qui esca diabolica factus est, & Dæmonum gregis veluti cibus, rem impuram esse ait: idque prohibet rursum, tamquam per ænigma dicens, [Et carnem captam a bestia non comedetis: cani proiicite illam :] mos est enim Scripturæ, canem appellare impudentem & impurum hominem: conueniens est autem eiusmodi homini, vt opinor, quiuis sermo impurus ac fetidus, & ab ipso Beelzebub compositus, tamquam a fera bellua, quæ subditam sibi & in ea re obsequentem animam vorat: nemo enim dicit, Anathema Iesus, nisi in Beelzebub. A sanctis autem viris eiusmodi turpium ac falsarum sententiarum simul atque sermonum participatio prorsus est aliena: nulla est enim conuentio lucis ad tenebras. PALLAD. Ita est. CYRILL. Esse autem iis vigilandum, qui magistri creati sint, & duces gregum, rursus edixit: quis autem in ea re probitatis modus a nobis præstari debeat, latenter indicat in Leuitico, dicens, [Pecudes tuas non suppones diuerso generi: & vineam tuã non seres diuersis seminibus:] gregibus enim caprarum & ouium, aut vineæ persimilis esse plane censẽda est subiecti populi multitudo: dictum est enim beato Petro, [Simon Iona, diligis me? pasce agnos meos, pasce oues meas:] præterea de filiis Israel propheta Esaias dixit, [Vinea enim Domini Sabaoth, domus Israel est; & homo Iuda, germen dilectum.] Pastoris igitur virtus est, ouibus non admittere diuersi generis animal, ita vt alienæ pecudis congressibus supponantur, ne quid ambiguum pariant, & ab insita naturali indole diuersum: cultor autem vinearum, si modo prudens fuerit, & optime terram excolere studuerit, nunquam patietur, vt exiccantia semina sub ipsis vitibus nascantur; ne humor, dum alieni germinis vsibus consumitur, illas deficiat in suis. Perge igitur iam tamquam ex imagine ad sensum spiritualem, ne rationales oues, magistrorum diuersa docentium nefariæ seminationi, intellectuali inquam, & qualis in sermonibus, atque persuasionibus esse consueuit, subiungi patiamur: est enim plane deformis editus ex dissimili sententia fructus, & hominum in fide dissimilium sermones, iis, qui illos admittunt, prauos partus conciliant: sed cum vites nos ipsi simus, & vinetorum vices teneamus, vnius

Marginal notes: Galat. 4. — Exo. 22. — 1.Cor. 12. — 2.Cor. 6. — Leuit. 19. — Ioan. 21. — Esai. 5.

Section letters in margin: B (at "bat, fidem"), C (at "minem: conueniens"), D (at "virtus est").

vnius modi quodam modo fructu ornari conuenit, & biformes mores vitare; A
nihil enim tritico & vuis, quod ad naturalem similitudinem pertineat, commune est. Nullus igitur in nobis sit alienis seminibus locus. PALLAD. Recte dicis. CYRILL. Alia quoque ratione non cohærere inter se, neque conuenire posse, quæ diuersis prædita sint moribus, & a mutua inter se communione disiuncta, demonstrat, ad eius rei figuram proponens illum alienissimum, & plane portentosum rationalis animantis cum eo congressum, quod eius naturæ non sit, sed diuersi generis, & extraneum. Itaque in Exodo ait,
Exo.22. [omnem, qui coierit cum pecude, morte afficietis eos:] planius autem in Le-
Leuit. 20. uitico, [Et quisquis dederit cubationem suam in quadrupede, morte moriatur & quadrupes interficietur; & mulier, quæcunque accesserit ad omne pecus, vt ab eo inscendatur, interficietis mulierem, & pecus; morte interficiantur; rei sunt:] consuetudines animi, & veluti admistiones spirituales & congressus, cum quibus minime decet, & quorum animus irrationabilitate summa labo- B
rat, mortis caussa sunt tum ipsis corruptoribus, tum etiam iis, qui se sponte corrumpi patiuntur. PALLAD. Rectissime, & iustissime Lex decreuit. CYRILL. Illud etiam admiratione dignum est; contingere enim vtique poterat, vt nonnulli aliorum vi, & potentia non ferenda superati, etiamsi minime fortasse vellent, a recto sensu ad obliquam atque peruersam opinionem corrupti pertraherentur, ac veluti coacti, non sine lacrymis fortasse in errorem seducerentur: non itaque Lex hoc genus hominum sine vllis auxiliis relinquendum ac negligendum censuit. PALLAD. Quale tandem istud genus est, quod dicis? CYRILL. Illud nimirum seruitutis iugo constrictum, & dominorum imperio prægrauatum. PALLADIVS. Qua ratione iis Lex opem tulit? CYRILL. Soluit enim vinculis, & coactione, si damnum ad animam pertineat, ac violatum aufugere si velit, nemine impediente, apertissime sanxit:
Exo.21. sic enim oblique dixit in Exodo, [Si quis percusserit oculum serui sui, vel ocu- C
lum ancillæ suæ, & excæcauerit, liberos dimittet eos pro oculo eorum: si autem dentem serui sui, vel dentem ancillæ suæ excusserit, liberos dimittet eos pro dente eorum.] Quod enim ad conspicuum sensum, & expositam apertamq. intelligentiam pertinet, prohibet audaciam, & dominorum iræ modum ponit, neque eousque progredi vult, vnde consequatur, vt, qui sunt eorum dominatui subiecti, naturalis integritatis iacturam patiantur: neque vllo modo permittit, vt furor effrenate feratur, exerceaturque iam in ipsa natura, cuius ille duntaxat esse dominus intelligitur, qui creauit: nam seruitus, &, quæ ex ea sequitur, calamitas minime illa quidem est naturæ morbus, sed iniquitate opprimētium inuectus. In Christo igitur Deus ac Pater totam continuo naturam
2. Cor.5. ad eum statum reformat, quo ab initio fuerat, [si quis enim in Christo, noua creatura,] Itaque tollitur omnino seruitutis dedecus: scribit enim Paulus, [In
Coloss.3. Christo Iesu non est seruus, neque liber.] Interim tamen Lex puerili prius in- D
stitutione nos ad perfectionem deducens, aufert intemperantem vsum potestatis, & licentiam, quæ vltra modum conuenientem progreditur, mulctamque sancit in contemptores Legis, nimirum ipsam eorum qui violati sunt, manumissionem. Verum hæc quidem de figura, & vmbra, si cui libeat hac quoque ratione intelligere: sed, si, quod spectat Lex, id spiritualiter interpretemur, alio quoque modo, Palladi, ad illius contemplationem accedere poteris: hanc quippe mundanam lucem corporis oculis excipimus & admiramur; lux autem illa intelligibilis in nostris cordibus exoritur: corporis item cibus dētibus conficitur, estque ea res ad vitam tuendam via: sed diuinarum contemplationum soliditas atque difficultas, mentis viribus tamquam dentibus propemodum
commi-

A comminuitur, & pascit animum. Itaque sapientia nobis diuinam spiritualemque mensam apponens, ait, [Venite, edite panem meum.] Igitur, etiamsi seruo fortasse in huiusmodi rebus aliquid damni contigerit, insaniente domino atque cogente, vt simul a recta dogmatum regula ad absurdos errores delabatur, soluatur, inquit, nexus, & iugi seruilis, atque per vim impositi, nulla ratio habeatur: abiiciatur etiam potestatis metus, eoq. pergat ille alienæ potestati subiectus, vbicunque sine suæ integritatis detrimento se esse posse repererit: anima namque præstantius nihil est: quam vt seruet, a seruitute soluatur. Vera autem verba hæc esse, eaq. nostris adhuc temporibus impleri, facile est videre: neque enim serui sustinent dominos ad errorem pertrahentes, & ex imposita sibi dominorum potestate subtrahunt ingenue in hac re certe officiũ obsequendi; nam, cum onus seruitutis ceruice corporis subeant, purum in se ipsi animum retinent, & plane ac firmiter nosse veræ fidei rationem plurimi faB ciunt; immo vero in eo summam totam esse constituunt, eamq. rem in cibum spiritualem vertunt, & quod auribus acceperunt, mente tamquam dente comminuunt, diuinorumq. sensuum vim remandunt. PALLAD. Perspicua sane est, ac recte habet expositio. CYRILL. Aliter quoque Lex nos assuefacit, vt inter nos amemus, cum colere suadet societatem, qua cum proximis congruimus, & inæqualiter viuendi mores detestatur ac punit. PALLAD. Quo tandem istud modo? CYRILL. Accipe iam, Scribit enim rursus, [Si cornu percusserit alicuius taurus taurum proximi sui, & mortuus fuerit, vendent taurum viuentem, & diuident pretium eius; taurum quoque mortuum diuident. Quod si cognitum fuerit, quod taurus cornupeta esset ante hesternum & ante tertium diem, & testificati fuerint domino eius, & non absconderit eum; reddet taurum pro tauro; & mortuus ipsius erit.] Vides ænigma; & ScriC pturæ hac de re verba quodammodo ex euidentissimo exemplo ad id tendere, quod rectum est? Si enim, inquit, contigerit mori cuiuspiam taurum, & ab alterius tauro occidi, diuident viuentem taurum, & amborum itidem erit occisus; id est, si quod oppressionis, & iniquitatis genus ab aliquo non volente, in alterum deriuatum sit, eius, inquit, bonis, qui offendit, is, qui violatus est, perfruatur, & communia habeant commoda atque solatia. Hoc enim est, opinor, diuidere viuentem taurum: communesq. habeat, inquit, qui vel nolens offendit, eius, qui damno est affectus, calamitates: id enim ex eo significari arbitror, quod diuidi iubetur occisus. Vides igitur, vt Lex per ænigmata & vmbras ad mutuæ beneuolentiæ mores hortetur? an non hoc illud est, [Gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus?] PALLAD. Ita videtur. CYRILL. Si vero ille oppressor plane norit si ipse oppressionis suæ mores non cohibuerit, proximo aliquid incommodi futurum, pari damno mulctabitur, & eius detrimentum, qui violatus est, suæ animæ solius periculo exhauriet: D hoc enim illud ænigma significat, [Reddet taurum pro tauro; mortuus autem ipsius erit.] neque enim cum iis, qui iniuriam inferunt, ita duntaxat agetur, vt sua modo bona amittant, sed propria illorum erit calamitas: & ipsi malum hoc patientur, quod proximo contigit. PALLAD. Præclare sane se habet oratio. CYRILL. Sapientissimam porro nobis mutuæ caritatis legem tulit beatus Paulus, cum ita dixit, [Non, quæ vestra ipsorum sunt, quærentes; sed & quæ aliorum:] caritas enim non quærit, quæ sua sunt; sed potius considerat etiam, quæ sunt aliorum, & vt si res fratrum, bene se habeant. Hoc ipsum itidem veteres litteræ clam indicant, quæ sic habent, [Si depastus quis fuerit agrum aut vineam, & dimiserit iumentũ suum, vt depascatur agrum alienum, reddet ex agro suo iuxta fructum eius; si autem omnem agrum eius depastum

Prouer. 9. — Exod. 21. — Rom. 12. — Philip. 2. — 1. Cor. 13. — Exo. 22.

depastum fuerit, optima agri sui,& optima vineæ suæ reddet.] Nam, qui agris A
alienis suum iumentum immittit,ille suis quidem rebus vtilitatem affert,& sua
quodammodo quærit, non tamen ex ea re quærit, vnde alter lætetur, aut vnde
proximus gaudeat; sed vnde eum offendi ac lædi contingat. Quærendum est
igitur quod nobis prosit, hoc est, quod nostrum est, non alios opprimendo, sed
iis artibus, per quas eodem peruenire, nihil peccati admittendo, &, alterius
animi tranquillitatem seruando, possimus: id enim plane est, quærere etiam,
quæ sunt aliorum: alioqui sciat, inquit, si nihil cauet, ne fratres offendat, neque
vlla est illi de proximo cura, dum, quod suum est, duntaxat spectet, se
par damnum subiturum, & illam falsæ vtilitatis speciem carissimis rebus interitum
allaturam; id enim est, opinor, [Reddet optima agri sui, & vineæ suæ.]
Conuenit etiam, vt mihi quidem videtur, propositorum verborum vis in hæresum
inuentores; quorum impurissimi ac stultissimi discipuli, brutorum animantium
instar, segetes ac vineas dominicas depascuntur, in eorum iudicium B
atque vindictam, qui errores inuenerunt; continget enim illis, vt rebus præstantissimis,
idest, ipsius animæ interitu mulctentur: vinea enim ac segete, &
omnino vniuersis rebus, quæ apud nos præclaræ habentur, præstantior est anima.
PALLAD. Fructum igitur ac munus caritatis esse dicemus, quærere
ea, quæ aliorum sunt, non sua ipsorum duntaxat. CYRILL. Prorsus ita
est, Palladi; & implere quidem caritatem in fratres, Deo sane iucundissimum
est: onerari vero a nobis immodico ac nimio abusu caritatem, sapienti consilio
non permittit: nam facile etiam bene firmum animum concutit, quamuis
ille ad præclaram in quoque genere virtutem peruenerit, quæcunque vis impulsu
haud mediocri, sed potius impetu, cui obsisti non possit, in illum irrumpit.
PALLAD. Quid istud tandem est, quod ais? non enim satis intelligo.
CYRILL. An tu minime fateris virtutem, esse mansuetudinem atque
patientiam? PALLAD. Quidni fatear. CYRILL. Atqui, si quis fortasse C
in eum, qui mansuetudinem ac patiẽtiam sectatur, offensiones & iniurias,
& ea, quibus ira permouemur; si quidem ea modice fiant congerat tolerabit
interdum, & fortiter feret, eamq. rem ad mansuetudinis ac lenitatis exercitationem
conuertet: at, si quis modum excesserit, & vltra patientiæ terminos
progressus erit, nihil mirum, defatigatam oppressamq. virtutem aliquantulum
languescere. PALLAD. Recte ais; nutat enim quodammodo in hominibus
probitas, vixq. etiã nemine quatiẽte, consistit. CYRILL. Perge igitur,
si placet ad ipsam quoque caritatem: virtus enim est excellens, & inter ceteras
præstantissima; tamen, si ea immodice abutamur, non sustinet: quod ipsum
rursus tamquam parabolæ & exempli perspicui specie Lex admonet di-
Deut. 23. cens, [Si ingressus fueris messem proximi tui, & collegeris manibus tuis spicas;
falcem non coniicies in messem proximi tui; &, si ingressus fueris vineam
proximi tui, & ederis vuam, quantum impleatur anima tua; in vas vero non D
coniicies:] nam paucas manu spicas colligere, aut vuam decerpere appetitionis
caussa, aut voluptatis, certe nihil ea res damni habet: feret enim hæc, &
quidem iucunde, lex caritatis; neq. id modum videtur excedere: at vero etiam
demetentem, in res proximi falcem inferre, id vero transilit iam & egreditur
mutuæ beneuolentiæ fines, & ad terminos intemperantis auaritiæ progreditur.
Est igitur hoc euidens exemplum, ne abutamur fratrum dilectione; sed eo,
quod satis est, mutuam quoque beneuolentiam colamus. nec vero inepte, vt
opinor, Scripturæ verba hac de re exposita, rursus ad alios quosdam accommodare
possumus, qui voces, in Ecclesiis docentium, ex tempore & repente fusas,
cum tamquam spiritualem quandam escam demetant; non hucusque con-

A sistere volunt, sed modum quodammodo excedentes, ac veluti in vas coniicientes, etiam in libellos referunt: ac studiosi quidem illi admodum sunt, sed tamen aliquatenus fratrum opinionem lædunt, cum id, quod subito tumultuarie factum est, tamquam accurate compositum litteris mandant. Atqui Lex ipsa optimi viri, (equidem dixerim) diserte prohibuit, ne quid in vas coniiceretur. PALLAD. Periculosum est igitur conuellere animi virtutem, & mentem bene firmam audere propemodum, nimium abutendo, concutere. CYRILL. Vera dicis. Oportere enim censuit ille vniuersorum Deus, non insidias virtuti struere, sed potius fructum, si liceat, eorum bonorum percipere, quæ de virtute proficiscuntur; idq. obscuro ænigmate significat, & in rebus admodum exiguis ea quæ sunt multis partibus præstantiora, depingit: scriptum est enim in Deuteronomio, [Si autem occurreris nido auium ante conspectum tuum in via, vel in omni arbore, vel super terram pullis vel ouis, & mater fouet super pullis, vel su- *Deut. 22.*
B per ouis, non accipies matrem cum filiis; dimittendo dimittes matrem, filios autem accipies tibi, vt bene sit tibi, & longæuus sis.] PALLAD. Quid tandem istud est? neq. enim mihi perspicuum est hoc ænigma. CYRILL. Quid? non ne hoc aperte intelligis? nempe, si quis ceperit pullis aut ouis incubantẽ auem, liceat illi commodum & emolumentum ex his percipere, quæ ex illa orta sunt; illam tamen, nullo damno affectam, dimittat. PALLAD. Ita est: nam hoc est Scripturæ propositum. CYRILL. Aspice igitur id, quod abditum est, & quasi euoluens vmbræ velamẽ, considera spiritualiter veritatẽ. Nam vnaquæq. virtus veluti mater est & origo eorum bonorum, quæ ex ipsa proficiscuntur; ver bi gratia benignitas, caritas in pauperes, mansuetudo, patientia; est enim non in se quisquam magis benignus quam in ceteros, & ex caritate erga pauperes ij fructum percipiunt, qui indigent, & eodem modo ex mansuetudine ac patientia. Vnaquæq. igitur virtus mater intelligi potest, & quasi initium eorum bono-
C rum, quæ tum ipsi insunt, tum ex ea proficiscũtur: nidi autem quodammodo virtutum animæ sunt, quæ illas complectuntur, & intra se ipsas continẽt: opus igitur esse, Lex ait, eos, qui in homines incidunt, in quibus sint virtutes tamquam in nido collocatæ, ex eorum fructibus emolumentum percipere, non tamen virtutem recte factorum matrem lædere: violatur autem ab aliquo virtus concussa iis rationibus, quas modo diximus. PALLADIVS. Reconditum est sane hoc ænigma. CYRILLVS. Ita est: recte dicis. Sed, vt aliquid dicamus, beati Pauli vocibus persimile, [Nunquid de auiculis curæ est Deo? an propter nos vtique dicit?] mandati namque per Moysen dati verba, formas nobis rerum, non ipsas aperte res exponunt. Perspicere autem facile potes, quemadmodum etiam ad summæ illius beneuolentiæ mores nos paulatim deducat: conatur enim persuadere, vt ipsos quoque diligamus, qui nos offenderunt; & iram, qua aduersus inimicos incitamur, superemus, ne a malo *1.Cor.9.*
D vincamur, sed potius vincamus in bono malum: dixit enim rursus in Exodo quidem; [Si vero occurreris boui inimici tui, vel subiugali eius, errantibus in via, reducens reddes ipsi: si vero videris subiugale inimici tui cecidisse sub sarcina eius, non præteribis illud, sed simul alleuabis cum ipso.] In Deuteronomio autem, [Ne videns bouem fratris tui vel ouem ipsius, errantes in via, despicias illa: reducendo reduces ipsa fratri tuo: quod si frater tuus non fuerit prope te, neque noueris eum, duces ea intra domum tuam, & erunt tecum, quousque quæsierit ea frater tuus, & reddes ea ipsi; sic facies asino eius, & sic facies vesti eius, & sic facies in quacunque re, quam perdiderit frater tuus; quæcunque perdita fuerint ab ipso, & inueneris, non poteris negligere ipsa; non despicies asinum fratris tui, vel vitulum ipsius, qui ceciderit in via: *Exo. 23.* *Deut. 22.*

ne negligas ea, ſubleuans ſubleuabis ea cum ipſo.] Intelligis igitur, quemadmodum elegantiſſime nos iam ad præſtantem perfectamque virtutem ducat, iubens, vt, cura in eius iumenta, qui nos offendit, impenſa, velut exercitatione ad obliuiſcendas iniurias vtamur: quem frequentiſſime fratris nomine decorat, prohibens, vt opinor, iras implacabiles, & nimiam ad ſimultates propenſionem, & naturæ legem, tamquam caritatis arbitram, ferens: ſi enim inueneris, inquit, errans iumentum, aut perditum veſtimentum; ſeruabis ea fratri tuo; etiamſi iumentum aliquod oneribus ferendis aſſuetum in terram ceciderit, & ſub ipſo onere conteratur, ſimul adiuuabis & eriges illud. Id vero nihil aliud eſt, quam dominum iuuare, & ad miſericordiam exerceri, & ad beneuolentiam inſtitui, & repellere diuturnas offenſiones, & vitare diſſidia, ne caritatem & fraternitatis legem violare videamur. Videtur autem hoc diuino reſponſo etiam aliud quiddam ſignificari, ſi enim tantæ fuit curæ Legiſlatori, vt, ſi cui animanti rationis experti eiuſmodi caſus accidiſſet, nos ferremus auxilium, quomodo non multo magis illi gratum fuerit impenſum in homines conſeruandos ſtudium, & in eos, qui ſocietate naturæ nobiſcum coniuncti ſunt, debita amoris viciſſitudo? Igitur, etiamſi inimicus erret fortaſſe, rectum iter doceatur, &, nobis commonſtrantibus, eo tendat, quo expedit. Sic Chriſtus quoque lapidibus quidem petebatur ab Iſraelitis, & tamen eos alloquebatur, [Dum lucem habetis, credite in lucem, ne tenebræ vos comprehendant.] Et, ſi quis inimicus labore & tentationibus affligetur, ac velut humi proſtratus iaceat, & graui neceſſitate prematur, ſubleuetur, inquit, à vobis; & qui diffidebat, vincat offenſionis memoriam. An non hoc illud eſt, [Benefacite inimicis veſtris, & orate pro perſequentibus vos?] PALLAD. Optime dicis. CYRILL. Decet igitur ſanctos viros laborantibus condolere; neque ea ipſa, propter quæ miſerandi potius erant, ad occaſionem iniuriæ atque inſolentiæ in eos exercendæ conuertere, in eorum miſerias inſuper inſultantes, & inuehentes; quin etiam ſi clam inſidioſis illis modis vti quiſpiam facile poſſit, tamen ab huiuſmodi malignitate abſtinendum eſſe, Lex iubet: ait enim rurſus, [Non maledices ſurdo, neque coram cæco pones offendiculum.] Atqui quomodo nō præſtantius eſt, & probis hominibus congruentius, in lingua frenum habere, atque cauere, ne maledictum in quamuis rem, immo vero in quemuis hominē iactetur? [Nolite detrahere, fratres mei, inuicem,] inquit ille Saluatoris noſtri diſcipulus: nunc autem Lex inquit, [Non maledices ſurdo;] nimirum per ænigma ſignificare volens, hominibus ſane probis eſſe neceſſario ab inferenda iniuria fugiendum; etiamſi quidā eiuſmodi ſint, vt nullo negotio eis inferri poſſit: ſurdus enim & cæcus non ſunt a morbo liberi; laborant quippe corporis vitijs, ac ſenſibus priuati ſunt, aſpectu inquam & auditu: neque audire poteſt ſurdus eum, qui detrahere velit, neque cæcus eum aſpicere, qui offendiculū ponit: nihil igitur negotij eſt, eum latere, qui illis inſidiari velit. Sed, quos miſerari magis æquum erat, vt qui ex ſe ipſis ſua iam calamitate laborarent, eos inſuper iniuria afficere deprehenduntur, cum offendiculo quidem cæcū neſcientem in caſum agant; de conuitijs vero ſurdum tamquam de laudibus, interdum ridere perſuadeant, quem plerunque in rebus precipuis feriunt. Igitur, ſi quis hæc facere ſtuduerit, occulta quidem in vtroque erit eius malignitas; ſæuitiæ vero & inhumanitatis maximæ crimen haud vnquā effugiet. PALLAD. Verum eſt. CYRILL. Nam veterē quoq. legē, inter nos mutuo diligere, & miſericordes eſſe velle, facile diſces, ſi illius verba audies, dicentis nunc quidē, [Aperiēdo aperies viſcera tua ſuper indigēte, qui eſt in te:] nunc vero, [Et aduenam non affligetis, neq. opprimetis eū; eratis enim aduenæ in terra AEgypti; omnē viduam

Marginal notes: A; B; Ioan. 12.; Matth. 5.; C; Leuit. 19.; Iacob. 4.; D; Deut. 15.; Exo. 22.

A viduam & pupillum non affligetis : quod si affligendo afflixeritis ipsos,& clamantes clamauerint ad me, auditu audiam vocem eorum & irascar ira, & interficiam vos gladio, & erunt vxores vestræ viduæ, & filij vestri pupilli. Quod si argentum mutuaueris fratri tuo pauperi, qui est apud te, non vrgebis eum, neque impones ei vsuram:quod si pignerando pigneratus fueris vestem proximi tui, ante solis occasum reddes ipsi : hic enim est amictus ipsius solum, hoc tegumentū turpitudinis eius,in quo dormiet. Si igitur clamauerit ad me exaudiam eum; misericors enim sum.] Audis qua ratione, cum proposuisset dulcem mutuæ beneuolentiæ disciplinam, insuper iram atque vindictam est comminatus, & iis, qui vindictam illam, nisi misericordiæ in fratres studium impenderint, subituri sunt, benigne propemodum caussam reddit, Quia benignus, inquiens, sum; idest, cum benignus natura sim, & misericors, vtpote qui Deus sim,accipiā omnino vexati hominis clamorē, & continuo miserebor

B lacrymarum eorum,qui paupertatis mole premuntur. Cauenda est igitur pauperis aduersus nos vociferatio. Esse autem ad communicandum faciles oportere, & caritatem in pauperes summo studio amplectendam putare, suasit rursus in Deuteronomio dicens, [Non fraudabis mercedē pauperis aut indigen- *Deut.24.*
tis ex fratribus tuis, vel ex aduenis, qui sunt in vrbibus tuis; eodem die reddes mercedem ipsius; non occidet sol super illam, quia pauper est; & in illa habet spem:& non clamabit contra te ad Dominum;& non erit in te peccatū:]Intelligis igitur quemadmodū ad beneuolentiam nos mutuam compellens, pauperis clamorem extimescere suadeat?Ac noua quidem scriptura,& per Christum
tradita, perfectam virtutem inferens, [Vendite, inquit, quæ habetis,& date *Luc. 12.*
eleemosynam;& ecce omnia prospere cedent vobis.] Quod ipsum fecerunt ex
iis, qui crediderant nonnulli : [afferebant enim agrorum & domorum pretia, *Act.4.*
& ponebant ad pedes Apostolorum : distribuebatur autem vnicuique, prout

C cuique opus erat.]Sed,quoniam Lex elementaria est,& ad initia ducit sermonum Dei, iubet vt hac in exiguis rebus liberalitate perinde ac præuia quadam exercitatione,homines vtantur,qua ad perfectionis eius semitam perducerentur;propterea inquit,[Si messueris messem tuam in agro tuo,& latuerit te ma- *Deut.24.*
nipulus in agro tuo,nō reuerteris tollere illum;pauperi,& orphano,& aduenæ, & viduæ erit; vt benedicat te dominus Deus tuus in operibus manuū tuarum: &, si oleas collegeris, non reuerteris ad reliquas colligendas, quæ sunt post te: & si vindemiaueris vineam tuam, non reuindemiabis quæ sunt post te; aduenæ,& orphano,& viduæ erūt:& recordaberis,quod seruus fueris in terra AEgypti:ideo ego præcipio tibi,vt facias verbum hoc.]Præclarum est enim in lætitia meminisse laborum,& afflictionis antiquæ:nam ea res ad caritatem in pauperes excitat:& propter felicitatis abundantiā obliuisci non sinit malorū, quæ pertulimus,cum in rerum inopia versaremur. PALLAD. Vera dicis. CYRILL.

D Vide autem quam artificiose & eleganter ab improbitate morum nos abducit, & dediscere suadet inhumanitatem; adducit item ad meliorem frugem, & ad mutuum amorem transfert : hortatur enim, vt fratribus, si qua re indigeant, mutuemus:prohibet autem vsuras, & superabundantiam ac sortis augmentum repellere iubet. Adhæc, cum iussisset,ne molesti simus, neque debitores vrgeamus, remissionem quoque debitorum fieri iubet: scribit autem ad hunc mo-
dum,[Non fenerabis fratri tuo vsuram argenti, & vsuram ciborum, & vsuram *Deut.23.*
cuiuscunque rei, quam mutuo dederis : extraneo fenerabis; vt benedicat tibi dominus Deus tuus in omnibus operibus tuis super terram, ad quam ingrederis possidendam.] Nam, quod attinet ad Legislatoris voluntatem, proposita quidem tam extero quam fratribus fuisset corū, qui amplissimis opibus essent,

Luc. 6. benignitas atque magnificentia; [omni enim, inquit Christus, petenti te, tri- A
bue; & ab eo, qui aufert quæ tua sunt, ne repetas:] sed, quia non erat priscorum
hominum animus in iustitia satis firmus, ad virtutem integre perficiendam,
paulatim progreditur Lex ad eam rem instituens, & iustitiæ modū interim fra-
tribus vicinisque metitur: accuratam illam misericordiæ formam, & in extra-
neos liberalitatē, & in omnes homines communicandi facilitatē, perfectiori in-
Hebr. 9 stitutioni reseruans, nā usque ad tempus correctionis vmbræ viguerunt: hoc ve-
ro tempus illud fuit, quo Christus aduenit. PALLAD. Elegantissime dixi-
sti. CYRILL. Cum itaque iussisset, vt mutuo darent, & vsuraria incremen-
ta præcidisset; iisque, qui id facerent, benedictionem esset pollicitus; septimo
post æs alienum contractum anno vertente, remittere iubet, tempus illud ve-
nerantes, quo vniuersorum remissio futura erat, idest, tempus Christi aduentus,
quo omnes iustificati sumus per fidem; & veterum peccatorum obliuionem
Coloss. 2. adepti, cum ille suæ cruci chirographum, quod erat nobis aduersum, affixe-
rit, & rationes, quas omnium iudici reddere debebamus, de medio tulerit. B
Deut. 15. Dicit autem sic rursus in Deuteronomio, [Septimo quoque anno facies remis-
sionem: & huiusmodi est edictum remissionis, Remittes omne debitum priua-
tum, quod debet tibi proximus; & a fratre tuo non repetes, quia indicta est
remissio Domino Deo tuo: ab alieno repetes, quæcunque tua fuerint apud il-
lum; fratri autem tuo remissionem facies debiti, quod tibi debet, quia non erit
in te indigens, quia benedicens benedicet tibi Dominus Deus tuus in terra,
quam Dominus Deus tuus dat tibi in possessionem, vt possideas eam.] Et post
alia rursus, [Si autem fuerit in te indigens ex fratribus tuis in vna ciuitatum
tuarum, in terra, quam Dominus Deus tuus dat tibi, non auertes cor tuum,
neque constringes manum tuam a fratre tuo indigente: aperiens aperies manū
tuam ipsi; mutuum mutuabis ipsi quantumcunque opus habuerit, & quantum-
cunque indiguerit. Attende tibi, ne quando fit verbum occultum in corde tuo, C
iniquitas, dicens, Appropinquat septimus annus remissionis, & nequam sit
oculus tuus erga fratrem tuum indigentem, & non des ipsi: & clamabit aduer-
sum te ad Dominum, & erit tibi peccatum magnum: dando dabis ipsi, & mu-
tuo mutuabis ipsi, quantumcunque abs te opus habuerit: & non contristabe-
ris in corde tuo, cum das ipsi; quia propter hoc verbum benedicet tibi Domi-
nus Deus tuus in omnibus operibus tuis, & in omnibus, ad quæ inieceris ma-
2. Cor. 9. num tuam,] non contristaberis, inquit, in corde tuo, cum das ipsi; [hilarem
enim datorem diligit Deus, vt beatus Paulus dixit. PALLAD. Sed quonam
modo septimus annus aduentum Saluatoris nostri significat, quo tempus om-
nium hominum remissionis declaratum est, seu mores ad perfectum perducti?
CYRILL. An tu oblitus es, nos superius quoque iam dixisse, moris esse di-
uinæ scripturæ, vniuersum sæculi præsentis spatium, propter illam dierum ad
initium reuolutionem hebdomadi comparare? finis enim hebdomadæ Sabba- D
tum est; eique proximus continuo est octauus, qui nouum quodammodo sæ-
culi initium per Christi resurrectionem affert. PALLAD. Memini.
CYRILL. Aduenit igitur secundum Scripturas in fine præsentis sæculi,
ac quasi in Sabbato Christus: cum etiam omnes homines exoluit, vinculis pec-
catorum suorum constrictos, & transgressionis suæ rationibus reddendis obno-
Luca. 7. xios. Itaq. & in Euangeliis nos debitoribus comparat dicens, [Duo debitores
erant cuidam feneratori; vnus debebat denarios quingentos, alter quinquagin-
ta: &, cum non haberent vnde redderent, donauit vtrisque.] Adhæc, cum for-
Matth. 6. mam quoque orandi nobis traderet, [Sic, inquit, vos orate, Pater noster,
qui es in cælis, sanctificetur nomen tuum; adueniat regnum tuum; fiat volun-

tas tua

A tas tua sicut in cælo & in terra; panem nostrum quotidianum da nobis hodie; & dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.] Oblique igitur & per ænigma nobis Lex diuinum mysterium indicauit, cum septimo quoque anno remissionem fieri iussit: & simul ad benignitatis semitas inducit, dum caritatem in fratres diuitiis præponere docet, & facile aliis impertiri atque communicare suadet: atq. hanc interim in fratrem & proximum humanitatem quasi exercitationem quandam proponit, per quam ad liberaliorem illam erga omnes homines pietatem perueniatur. PALLAD. Sic se res habet: tibi enim optima dicenti assentior. CYRILL. Atqui, si id, quod maius est, didiceris, admirabere, Palladi. PALLAD. Quid istud tandem? CYRILL. Ad eam enim Lex benignitatem progredi nos vult, vt nihil caritati in fratres æquandum putemus: adeo etiam iis cedere, ac fortiter ferre eorum inhumanos atque asperos mores, vt iram quoque vincamus,
B quamuis illi non eiusmodi sint erga nos, quales eos esse, ac videri conueniat; quin etiam animo a pietate prorsus alieno, nobis dolorem inurere curent. Habes huius quoque rei figuram in Numeris, [Et misit, inquit, Moyses nuncios ex Cades ad regem Edom, dicens, Hæc dicit frater tuus Israel, Tu scis omnem laborem, qui inuenit nos; & descenderunt patres nostri in AEgyptum, & aduenæ fuimus in AEgypto dies complures; & afflixerunt nos AEgyptij, & patres nostros: & clamauimus ad Dominum, & exaudiuit Dominus vocem nostram, & mittens Angelum, eduxit nos ex AEgypto: & nunc sumus in ciuitate Cades ex parte confinium tuorum: transibimus per terram tuam, non transibimus per agros tuos, neque per vineas tuas, neq. bibemus aquam de cisternis tuis: via regia gradiemur, non declinabimus ad dexteram, neq. ad sinistrã, quousq. præterierimus terminos tuos. Et dixit ad eum Edom, Non pertransibis per me; alioqui in bello exibo in occursum tuũ. Et dicunt ei filij Israel, Prope mon- Num. 20.
C tem præteribimus; quod si ex aqua tua biberimus ego & iumenta mea, dabimus pretium tibi; sed res parui momenti est; prope montem pertransibimus. Ille vero ait, Non pertransibis per me. Et exijt Edom in occursum illi in multitudine graui, & in manu forti; & noluit Edom permittere Israeli, vt pertransiret per terminos suos; & declinauit Israel ab eo.] Audis eos, qui de genere erant Israel, iis ærumnis, quas in AEgypto pertulerant, opportune enumeratis, & superbi illius dominatus modis frequenter atque apte commemoratis, beneficium, quod nihil incommodi afferret, petere; propemodum cognatam gentem adiutricem sibi adiungere studentes. (erant enim ex Esau fratre Iacob) Sed quos ad misericordiam eorum commoueri æquum fuerat, & illis permittere, vt ea facerent, quæ sibi vtilia & commoda esse scirent, eos duros fuisse & asperos, & a commiseratione alienos, ipsarum rerum exitus comprobauit; prohibent enim eos via, quamuis ille populus aperte diceret, se neque vineis, ne-
D que agrorum fructibus vsquam damnum illaturum: quinetiam ipsam quoque aquam non sine pretio hausturum: ille vero, nisi ab iis, quæ petebant, abscederent, non modo se eos inuasurum comminatus est; sed iam in armis erat, &, vniuersis copiis eductis, aciem aduersus eos instruebat. Quid porro adhæc Israel? vicit indignationis perturbationem; declinauit enim ab illo, inquit, contentionem aduersus fratres nimirum suscipere vitans, ac propinquitatis legem summa patientia veneratus. An hæc non ita se habere putas? PALLAD. Ita prorsus. CYRILL. Igitur indignationem reprimere, & iras cohibere, ac pro vniuscuiusque peccatis pœnæ modum adhibere, præterea de vnoquoque recta & quæ omnino reprehendi non possint, a nobis fieri iudicia fructum id esse ac munus caritatis in fratres, censendum est. PALLAD.

Et quidem iure optimo. CYRILL. In promptu est igitur audire, si velis, A
Leuit.19. nunc quidem dicentem,[Et non irasceris filijs populi tui:] alias autem,[Si fue-
Deut.25. rit controuersia inter homines, & accesserint ad iudicium, & iudicauerint, iu-
stificabunt iustum, & condemnabunt impium: & erit, si fuerit dignus plagis,
qui impietatem fecit, prosternes eum coram iudicibus,& flagellabunt eum co
ram ipsis, secundum impietatem eius, numero quadraginta flagellabunt eum;
non addent: quod si addiderint flagellare eum vltra has plagas plures, detur-
pabitur frater tuus coram te.] PALLADIVS. Quæ autem rursus appa-
rere nobis ratio possit, cur plagis numero quadraginta duntaxat condem-
nati cædendi sint? quave ratione deturpentur, si qui supra hunc numerum
cædantur, explices velim. CYRILL. Multis modis Christi mysterium
recte veteri mandato nobis adumbratur, & quodammodo effingitur passio
Saluatoris, in qua, & per quam ab omni malo liberati sumus, quod nos ve-
xare poterat, & in ærumnas insanabiles coniecerat. Atque, sicut nuper dixi, B
hoc ipsum, quod septimo quoque anno fiebat debitorum remissio, tempus vni-
uersorum remissionis figurate significare: (iustificati namque sumus in Chri-
sto,& didicimus dicere in orationibus ad Deum & Patrem, qui in cælis est, Di-
mitte nobis debita nostra) sic hoc quoque loco, quod verberum supplicia, tam
cæsis quam cædentibus vsque ad quadragenarium plagarum numerum progre-
diuntur, id illius Vnigenìti filij, assumpta carne, dispensationis tempus nobis
Esai. 53. exoptatissimum indicat, quo tempore liuore eius nos sanati sumus; & ipse
quidem infirmatus est propter peccata nostra, cum iniuriis eum affecerunt,
qui ex Israel genus ducebant, atque in eius tergum Pilatus plagas infixit;
nos vicissim a pœnis atque supplicio sumus erepti; olim namque multa erant
Psal.31. flagella peccatoris, vt scriptum est, sed pro nobis flagellatus est Christus: vt
enim pro omnibus mortuus est, ita pro omnibus quoque flagellatus, cum
vnus instar omnium esset. Numerum porro quadraginta dierum, si in quin- C
quies octo distribueris, quinarium reperies & octonarium, aptos numeros
ad eius temporis significationem: aduenit enim ille Vnigenitus quinto tem-
Matth.20. pore, iuxta illam euangelicam parabolam. Conduxit enim quidam opera-
rios in vineam, cum exisset circa horam primam, tertiam, sextam quoque ac
nonam & vndecimam: resurrexit autem octauo die, destructo mortis imperio,
& cum eo aduentitij interitus parente simul interempto, peccato inquam; quo
sublato, verbera quoque ac pœnas & supplicia peccato debita cessare necesse
est. Flagella igitur quadragenarium adhuc numerum excedere non permit-
tit Lex, quia vsque ad Christi aduentum supplicia ne vltra progrederentur,
quodammodo sistit, ac simul remissionis tempus designat: nam pulchritudi-
nem veritatis figuræ continent. Illud porro sciendū est, Israelem, quod Deum
offendisset, quadraginta annos per desertum oberrasse: iuramento enim iu-
rauit Deus, non se introducturum eos in Terram promissionis; isque erat illis D
iræ terminus præstitutus: quo elapso tempore, cessauit ira, ac Iordanem illo-
rum posteri traiecerunt, & in Terram ingressi sunt, cum illa indignatio vltra
quadragesimum annum non esset egressa. Igitur huius quoque rei euidens figu-
ra fuit, quod vsque ad quadraginta plagas aliqui cædebantur: remissionis enim
tempus erat, quod post eū numerum cōsequebatur, transitum nobis mysticum
Iordanis afferens, necnon lapideos cultros, idest, illam in spiritu circuncisio-
nem, & illam Iesu imperatoriam potestatē, Dux quippe nobis factus est Chri-
stus post Moysen ac Legem. PALLAD. Assentior. CYRILL. Vt igi-
tur recto atque incorrupto iudicio, si quæ lites inciderint, dirimantur, & iniuriæ
Deut.16. atq; iniquitatis genera tollantur,[Iudices, inquit, & magistros cōstitues tibi in
omnibus

A omnibus ciuitatibus tuis, quas Dominus Deus dat tibi, per tribus; & iudicabunt populum iusto iudicio: non declinabunt iudicium, neque agnoscent faciem, neque accipient munera; munera enim excæcant oculos sapientum, & auferunt sermones iustorum.] AEquum enim putabat Lex, & merito, quicunque ad iudicia exercenda collocati essent, eos sui lucri atque emolumenti cupiditate minime capi, neque aliorum gratiæ tantum tribuere, vt a recto integroque officio declinarent; sed potius illam in alteram partem inclinationem veluti nefariam reiiciendo, ac singulas res legitime ponderando, imitari illum vniuersorum Iudicem, Christum videlicet, quem ipsa quoque Lex aperte prænunciauit, cum illum, vt pote qui Deus esset, etiam Iudicem agnosceret. Sic enim rursus ait, [Si vero ingressus fueris in terram, quam dominus Deus tuus dat tibi in possessionem, & possederis eam, & habitaueris in ea, & dixeris, Constituam mihi principem, vt & aliæ gentes, quæ sunt in circuitu meo; constitu- *Deut. 17.*

B ens constitues tibi principem, quem elegerit dominus Deus tuus: de fratribus tuis costitues super te principem: non poteris constituere super te principem hominem alienigenam, quia non est frater tuus.] Oportet enim nos a seruitute creaturæ potius quam creatoris Dei, longissime refugientes, ad veritatis sermones propensos esse, & accurrere quodammodo in sanctam Terram, idest, ad promissionem Dei per fidem quæ est in Christo, atque ita constituere super nos Principem ac Iudicem illum, qui ex Deo ortus est, Filium, quamuis cum carne intelligatur, qui de nobis dicit, [Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum eius, prædicans præceptum Domini.] Alium autem vltra illum omnino admittemus neminem, neque exterorum iugo ceruicem submittemus; vnus est nobis magister Christus. Miseri autem Iudæi, exclusi sunt propter infidelitatem, neque sibi principem ac iudicem acceperunt Christum, quamuis ille de cælo Dei ac Patris voluntate ac beneplacito descendis- *Psal. 2.* *Matth. 23.*

C set: sed insuper hominem alienigenam, qui sibi imperaret, elegerunt, illum perditionis filium, Antichristum dico, extraneum & alienigenam, neque ex genere Israel ortum, tametsi Lex aperte prohibuerit, [Non poteris, inquit, constituere super te ipsum hominem alienigenam, quia non est frater tuus; & ipsum quoque Christum audirent dicentem, [Ego veni in nomine patris mei, & non accipitis me, si alius venerit in nomine suo, illum accipietis: Iam venit enim Christus in gloriã Dei patris, id enim esse puto, In nomine Patris: veniet autem suis temporibus ille filius iniquitatis, non in gloriam Dei patris, sed suo capiti miser imponet diuinitatis nomen. [Sedebit enim in domo Dei ostendens seipsum quod sit Deus.] Sed nunquam illum Iudæi essent adoraturi, neque vt Christum suscepturi, si Legem obseruarent, quæ manifeste prænunciauit, fore vt ex Israel stirpe Christus orirertur, sed illi, id quoque tamquam vetus ac putidum reiicientes, hominem alienum, & alienigenam recipient. *Ioan. 5.* *2. Thess. 2.*

D PALLAD. Igitur edent fructus viæ suæ, & adeo turpis in consilio capiendo temeritatis dignas pœnas referent. CYRILL. Recte ais, nam is, qui recta iudicat Deus, distribuet prorsus vnicuique iuxta opus suum. Ac de his quidem hactenus dictum sit. Eos autem, qui ad iudicandos ceteros constituti sunt, & in iudicium sede collocati, alloquebatur iterum Lex, [Non accipies auditum vanum,] idest, sermonem falsum, & calumniæ plenum: [non adiungas te multitudini, vt declines cum pluribus ad decliuandum iudicium:] & rursus post nonnulla alia, [Non peruertes iudicium pauperis in iudicio suo: ab omni verbo iniusto abstinebis.] Nam penes quos est iudicandi potestas, eorum orationem esse alienam a reprehensione maxime conuenit, & recte loqui necesse est eum, qui est de vnoquoq. crimine sententiam ex Legislatoris decreto laturus. *Prouer. 1.* *Exo. 23.*

Illud

Exo. 23. Illud quoque non ab re subiunctum est, [Pauperis non misereberis in iudicio:] A
nam, vbi reus minime diues fuerit, procliue ac facile est, vt iudices in vtramuis partem spectent; & iniuriæ expositus est admodum, qui inopia premitur: neque vicissim id parum valet interdum ad iustitiæ rationem violandam, quod eos, qui sunt in iudicando molliores, ad misericordiam flectit. Prohibet itaque Lex, ne aut potenter opprimant aut misericordia, prosequantur eos, qui in paupertate & miseria versantur; in quo iusti iudicij pulchritudinem seruat incor-
Deut.16. ruptam, & iudicem æqualitatis arbitrum vbique facit: [Iuste enim, quod iustum est, persequeris,] inquit: nam violare legem, quamuis aliquid eiusmodi sit, vt bene fieri videatur, tamen esse a peccato minime alienum, haud imme-
Eccl.7. rito intelligitur: [est enim iustus, qui perit in iustitia sua,] sicut scriptum est. Igitur probitas solertia opus habet; nam istud quidem, non in tempore misericordia commoueri, crimen violatæ legis nunquam effugiet. Eos igitur, qui leuioribus tenentur culpis, verberibus corrigit. Vide autem, quam seruilis sit B
ea res, & libero homine indignissima: neque vero tibi id mirum videatur: seruitutis namque spiritus in illis erat; ob eamque caussam Christi præceptis non amplius plagæ adiunctæ sunt, vt in lege veteri; sed potius ea proposita, quæ liberos decent, illustria dignaque præmia, & spiritualium bonorum primitiæ, atque pollicitationes, & beatitudines recte factis conuenientes: neque adhuc minæ, sed adhortationes potius ad virtutem. Cum priscis enim illis hominibus tamquam cum famulis, vt famulus atque conseruus loquebatur Moyses; Christus vero cum filiis, vt filius, & tamquam cum fratribus per adoptionem, is, qui vere & germanus erat ex Deo patre filius. PALLAD. Recte se habet oratio. CYRILL. Morte igitur homicidam punit, ac pœna talionis effrenatam audaciam cohibet, & non ferendum furorem animaduersione maxima & extremo supplicio plectit: prius autem diligenter examinat, quo animo fecerit; ac, si sponte sit admissum crimen, nullum misericordiæ locum relinquit, neque C
beneuolentiam turpiter languescere permittit, intempestiua miseratione fractam, atque in iis rebus, in quibus minime oportet, ad molliorem affectum de-
Exod. 21. tractam; ita enim dixit, [Quod si quis aggressus fuerit fratrem suum, ad interficiendum eum dolo, & confugerit; ab altari meo accipies eum vt interficias.] Sin autem eius incommodum, qui iniuriam a percussore passus est, tantisper duntaxat processerit, vt langueret, pœnæ modum admetitur, & damnum il-
Exod. 21. lud pecunia luendum esse decernit: ita enim rursus ait, [Quod si conuiciati fuerint duo viri; & percusserit quis proximum lapide, aut pugno, & ille mortuus non fuerit, sed decubuerit in lecto; si exurgens homo ille ambulauerit foris in virga, immunis erit percussor; nisi quod pro cessatione eius persoluet, & expensas in medicinam factas.] Atque hæc quidem Lex iubet, Saluator autem,
Matth. 5. qui perfectæ virtutis legem promulgaret, [Si quis, inquit, te percusserit in de-
Exo.21. xtram maxillam, verte illi & alteram.] De seruis quoque hæc statuit, [Quod D
si quis percusserit seruum suum, aut ancillam suam baculo, & mortuus fuerit sub manibus eius, supplicio in eum animaduertetur: sin autem superuixerit vno die vel duobus, non animaduertetur in eum; argentum enim ipsius est.] Summam igitur iram morte mulctat: neque enim, quia, cum plus possemus, domini facti sumus, ideo, qui in nostra potestate, & sub iugo nostro sunt, eos etiã vt vita priuaremus, permisit Deus: sed cum ira misericordiam vt misceamus suadet, extremo supplicio in homicidam constituto. [Sin autem superuixerit, inquit, vno die aut duobus, non in eum animaduertetur: argentum ipsius est;] propemodum enim dicit, Non percutientis ira effectum est, quod percusso, posteaquam est a languore vtcumq. recreatus, accidit: neque enim quis-
quam

A quam voluisset seruum suum amittere, quem coemisset argento,& pecunia da-
ta, comparasset. Sed, si præter voluntatem hominem occiderit,eum Lex rur-
sus perpetuo exilio mulctandum censet, ac moderata clementia pœnam tem-
perat, &, quod præter voluntatem admissum est,non eodem loco habet, quo
voluntaria crimina:idque æquissimo iure facit. Vrbes autem tres decerni iussit,
quas etiam, Refugij, vocauit; eoq. compellit eos,qui ob crimina non volun- *Deut.4.*
tarie admissa exularent.Ac denuo tempus remissionis præscribit iis etiam,qui
huiusmodi infelici vitæ condicione vterentur; illud nimirum, quo summus ac
præstantissimus sacerdos moreretur:sic autem scribit in Numeris, [Si derepen- *Num.35.*
te non propter inimicitias impulerit eum,aut coniecerit in eum omne vas, non
ex insidiis, aut omni lapide, in quo morietur in ipso, nesciens, & ceciderit su-
per ipsum,& mortuus fuerit,& ipse non erat eius inimicus,neq. eum quærebat
offendere;iudicabit Synagoga inter percutientẽ,& eũ qui proximus est sangui
B ni,iuxta hæc iudicia:& eruet Synagoga eum qui occiderit,ab eo qui proximus
est sanguini;& constituet eum Synagoga in vrbem refugij,quo confugit, & ha
bitabit ibi, quousque moriatur sacerdos magnus, quem vnxerũt oleo sancto.]
deinde post alia, [Et posteaquam mortuus fuerit sacerdos magnus, reuertetur
homicida in terram possessionis suæ.] PALLAD. Finis igitur exilij illis erit
mors sacerdotis,quem modo diximus. CYRILL. Figurarum quidem exte
rior habitus eiusmodi est. Sed complectuntur vmbræ Christi mysterium.
PALLAD. Quo tandem modo? CYRILL. Non est improbabile, Pal-
ladi, putare fortassis eos, qui peccatis implicati sunt,suæ animæ velut homici-
das esse, atque ad eam miseriam non sponte delapsos,sed ad legem violandam,
& Deum offendendum coactos esse quodammodo & impulsos, eo quod prona
sit mens hominis ad mala ex iuuẽtute, & indomitæ concupiscentiæ lex in mem *Genes.8.*
bris carnis dominetur. Igitur procul a mundo & a corpore hominis anima infe-
C lix exilio mulctabatur,atque in abditis mortis, ac penetralibus locis, tamquam
in vrbe quadam Refugij residens, longo tempore perseuerabat; mortuo autem
Christo, magno sacerdote, vix tandem dimissa est;qui, cum pro omnibus per-
tulisset mortem, ad Inferna descendit, atque portas inferis aperuit, eorumque
vincula relaxauit, [dicens iis, qui vincti erant, Exite; & iis, qui in tenebris, *Esai.49.*
Reuelamini.] PALLAD. Aperta sane expositio. CYRILL. Cete-
rum, quia Lex non vno duntaxat genere virtutis antiquos illos commendari
volebat,sed ad omnia compositos esse,& optime paratos; vt perfectus esset ho-
mo Dei,ad omne opus bonum paratus, ideo nuptiarum coniunctionem ad mo *2.Tim.3.*
rum honestatem componit: & qua ratione hæc fieri ita possint,vt reprehensio-
ne tum apud Deum, tum vero apud homines careant, exponit. Igitur fornica-
tionem & immunditiam prorsus reiicit:masculorum vero concubitum & adul-
terium quamlongissime repellit, dicens in Leuitico, [Et ad vxorem proximi *Leuit.18.*
D tui non dabis concubitum seminis tui, vt inquineris cum ea: & cum masculo
non dormies concubitu femineo; execrabile enim est.] Huiusmodi, inquit,fla-
gitia, sua sponte damnata sunt:& summam iis flagitiis feditatem inesse, per-
spicuum est: nec pluribus verbis opus erit, vt illos, qui ad eam turpitudinem
venerunt, vt ipsi sponte adeo turpi & deformi opinione laborarent, ipsamque
naturam accusantem haberent,coarguamus. His igitur prætermissis,quæ legi-
time,& secundum rationem fiunt,examinat, dicens in Deuteronomio,[Si quis *Deut.24.*
acceperit vxorem,& cohabitauerit cum ea;& illa non inuenerit gratiam in con
spectu eius, quia inuenit in ea rem turpem; scribet ei libellum repudij, & da-
bit in manus eius, & dimittet eam e domo sua: & si abiens fuerit alteri viro,&
oderit eam vir vltimus, & scripserit ei libellum repudij, & dabit in manus eius,
& di-

& dimittet eam e domo sua: aut mortuus fuerit vir eius vltimus, qui accepit eam sibi vxorem, non poterit vir, qui prius dimisit eam, denuo accipere sibi in vxorem, posteaquam polluta est: quia execrabile est in conspectu domini Dei tui; & non polluetis terram, quam dominus Deus vester dat vobis in possessionem.] Nam, quæ iustis de caussis a viro disiuncta est, & alterius viri concubitum passa, eam legitimam sibi vxorem adsciscere, haud tutum est, immo vero stultissimum: nam, [Qui habet adulteram, inquit, stultus est & impius.] Vt autem prohibet, ne iis, quæ perspicue turpia sunt, & sine controuersia damnantur, oblectemur; sic rursus non permittit, vt honesta, tamquam inhonesta sint, accusemus: par enim peccatum est, id adamandum putare, quod fugere præstat; & ad id nullo affectu permoueri, quod vitare turpe est. [Væ enim, ait, qui dicitis dulce amarum, & amarum dulce, bonum malum, & malum bonum; qui ponitis lucem tenebras, & tenebras lucem.] Igitur asciscere denuo repudiatam non sinit; neque tamen vicissim permittit, vt, rebus nondum condemnatis, quadam vituperandi facilitate iniuriam inferamus: sic enim ait rursus, [Quod si quis acceperit vxorem, & habitauerit cum ea, & oderit eam, & imponat ei occasionis verba, & detulerit eam de malo nomine, & dixerit, Vxorem hanc accepi, & accedens ad eam, non inueni eius virginalia. & accipiens pater puellæ & mater, producent virginalia puellæ ad senatum in portam; & dicet pater puellæ ad senatum, Filiam hanc meam dedi homini huic vxorem: &, cum illi odio esset, nunc ipse imponit illi occasionis verba, dicens, Non inueni filiæ tuæ virginalia: & ecce virginalia filiæ meæ. Et explicabunt pallium in conspectu senatus ciuitatis illius; & accipiet senatus ciuitatis illius hominem illum, & verberabunt eum, atque mulctabunt centum siclis: & dabunt patri adolescentulæ, quia protulit nomen malum super virgine Israelitide; & ipsius erit vxor; non poterit dimittere eam perpetuo tempore.] Audis igitur, quemadmodum haud impune dimitti a concilio iusserit, quisquis iniuria nondũ condemnatum contempsisset? est enim probitas, mea sententia, diligentissime amplectenda; neque cito satietate captos id sequi oportet, quod libitum fuerit, ac rem honestam, tamquam inhonestam calumniari; sed potius enitendum, vt omnibus præclaris rebus adhærere, & cum iis, quæ ad laudem conciliandam sunt præstantissima, consuetudinẽ habere, plurimi faciamus; nã qui tædium, quod in medio actionũ cursu sese interponit, minime admittit, is, quascunque res agendas susceperit, optime, quod sibi proposuit, absoluet. Esse autem nos tales oportere, Lex eadem rursus indicauit clamans, [Si ædificaueris domum nouam, facies coronam solario tuo: & non facies cædem in domo tua, si quispiam cadendo ceciderit ab eo.] vt enim domus corona carens, & fastigiis non impositis, deformis est; sic itidem absurdum sane est omne nostrum opus bonum, nisi ad finem sibi conuenientem perducatur: neque vero hac in re iactura consistet, sed negligentes etiam periculum consequetur: hoc enim est, opinor, labi aliquem ex domo. [Væ enim, inquit, qui facitis opus Dei negligenter.] Quamplurimis igitur viis Lex ad id, quod expedit, nos perducit: & escam quidem nondum apponit viro dignam & solidam, sed lacte quodammodo tamquam adhuc infantes, homines illos veteres nutrit, paulatim prouehens ad Christi mysteriũ. Esse autem Legem spiritualem, &, quod ad vmbram & figuras attinet, quodammodo haud esculentam, neque ad spiritualem cibum vtilem; eiusmodi autem fore, si ad contemplationem euangelicam, & ad Christi mysterium transferatur, aperte intelliges, cum ad hunc modum ille sapientissimus Moyses de ea scripserit; ait enim in Leuitico, [Cum vero ingressi fueritis in terram, quam dominus Deus tuus dat vobis, & plantaueritis omne lignum esculentum, expurga-

Margin notes: Prouer. 18. — Esai. 5. — Deut. 22. — Deut. 22. — Hiere. 48. — Leuit. 19. — A — B — C — D

A purgabitis impuritatem eius: fructus eius tribus annis erit vobis immundus: non comedetur;& anno quarto erit omnis fructus eius sanctus, laudabilis Domino: anno autem quinto comedetis fructum eius: appositio vobis erunt fructus eius. Ego dominus Deus vester.] Hortis enim fertilissimis Moysi scriptura similis nobis videtur, quæ multiplex præceptorum germen complectitur, & tamquam arboribus densis ornata est, legibus inquam de quaque re constitutis. Sed vniuscuiusque arboris, inquit, expurgabitis impuritatem, idest; quod in historia ineptum est, abscindes; quodque in littera veluti corticosum, circuncides, atque ad ipsum cor arboris perueniens, idest, intimum præcepti fructum perscutaberis, atque in cibum assumes. [Sed erit, inquit, eius fructus tribus annis immundus, non manducabitur:] annum ponit pro tempore; tria enim primatempora fuere, quibus adhuc Lex erat impura, historiæ crassitudine prægrauata;& vmbrā tamquam inutilem corticem circumpositam habebat: B tria porro tempora esse aio, quo Moyses, quo Iosue, quo Iudices fuerunt; quartum postea fuit, quo illustris prophetarum chorus exortus est; tum fructus Legis sanctus est factus & laudabilis, nam a prophetis sanctis, quæ Lege continebantur, abrogari sunt cœpta;& ne commemorari quidem ea, quæ in vmbris erant, contraque veritas prædicari palam,& Christi aduentus mysterium commendari;hos proxime illico secutus est ille Præcursor clamãs ac dicens,[Pænitentiam agite; appropinquauit enim regnum cælorum.] Igitur quarto tempore, quæ in Lege tradita fuerant, expurgari cœperunt: eratque iam sanctus qudammodo eius fructus: verumtamen quinto tempore ad cibum fuit aptus, quo tempore Christi contigit aduentus, testificatus a Lege & prophetis: propterea, inquit, [Erit fructus eius appositio vobis:] nam præter euangelicas prædicationes, ipsa quoque legalis eruditio ad cotemplationem spiritualem traducta, studiosis vtilissima est, ideoque dicebat Saluator, [Omnis scriba doctus in regno cælorum, similis est homini diuiti, qui profert de thesauro suo noua & vetera;] noua apellans euangelicam, vetera autem, quæ in Lege continentur: quæ nobis illam in Christo cognitionem non ineleganter conciliant, quem decet gloria, honor, & adoratio, cum Patre, qui sine principio est, & cum sanctissimo, & bono, & viuificante Spiritu, nunc & semper & in sæcula sæculorum, Amen.

Matth.3.

Matth.13.

C

FINIS LIBRI OCTAVI.



SANCTI

SANCTI CYRILLI ARCHIEPISCOPI ALEXANDRIAE

DE ADORATIONE IN SPIRITV ET VERITATE

LIBER NONVS.

De sancto Tabernaculo, quod Christi Ecclesiæ typus fuerit.



ARITATIS igitur, & eius, quæ in Deum, & quæ A
in fratres ostenditur, insignia præclara sunt, & harum
vtraque Lex perficitur: ac, quisquis ad eum gloriæ gra
dum peruenerit, illustris erit & admirabilis, & inter fi-
delissimos Dei seruos numerabitur, cũ clamabit Chri-
Matth. 25. stus, ac dicet, [Euge serue bone & fidelis, in pauca fui-
sti fidelis; supra multa te constituam; intra in gaudium
domini tui.] Ingredietur enim, & quidem expedite in
illam cælestẽ Hierusalem, & in supernis illis mansionibus deget, & bonis, quæ
omnem intelligentiæ orationisq. facultatem superant, perfruetur. Eiusmodi
Esai. 33. quidpiam etiam propheta Esajas inquit, [Oculi tui videbunt Hierusalem, ci-
uitates opulentas, tabernacula, quæ nequaquam concutientur, neque moue-
buntur paxilli tabernaculi, neque funes ipsius dirumpentur;] præterit enim fi-
1. Cor. 7. gura huius mundi, vt Scripturæ dicunt; illa vero spes futurorum bonorum B
firmissima est, neque concuti vllo modo potest. Sed, cum hæc omnia soluan-
2. Petr. 3. tur, (vt Saluatoris nostri quoque discipulus affirmauit) quales nos inueniri
oportet sanctos, & immaculatos in conspectu eius; hostiis eum spiritualibus,
vt Saluatorem ac Redemptorem venerantes, ac sacram & egregiam conuersa-
tionem, Euangelicisq. legibus congruentem sequentes, cuiusmodi viuendi
genus adeo venerandum & omni admiratione dignũ Lex priscis illis homini-
bus adumbrauit, cum pecudes cædere, & cruentas oblationes offerre, decimas
præterea, & primitias Deo consecrare, munera denique, quibus de acceptis be
neficiis gratiæ agerentur, afferre iuberet. Hæc tamen omnia ne extra sanctum
tabernaculum fierent, constituit. Selectum porro Leuitarum genus Deo dica-
uit;

A uit; qua quidem in re nobis figuram ad nos ipsos pertinentem dedit: nam in diuinis scripturis nos quoque sumus [genus electum, regale sacerdotium, gens 1.Pet. 2.
sancta, populus acquisitionis] appellati; qui etiam verius tabernaculum, quod Hebr. 8.
fixit Deus, & non homo, idest, Ecclesiam ingredimur; non quod vniuersarum rerum conditorem vitulis, & hircis placemus, sed recta, immaculataq. fide simus ornati, ac spirituales oblationes, intelligentia sublimiori in odorem suauitatis incendamus. [Talibus enim hostijs promeremur Deum;] & eos qui adorant eum, vt Saluator noster dixit, in spiritu, & veritate adorare oportet. Heb. 13. Ioan. 4.
PALLAD. Recte sane dicis. Verum hostiis equidem, quæ sint legalibus illis præstantiores, nos cōmendari oportere minime abnuerim; tibi enim libenter assentior. Sed tamē illud explices velim, an non in figura Ecclesiæ ex gētibus vetus illud tabernaculum per eremum fit fixum, quod illius verioris obscuriorem quodammodo adhuc speciem præseferret? CYRILL. Maxime vero: dixi
B etiam pauloante, in eo quod ad sacra obsequia ij rite assumendi erant, qui de genere Leui orti essent, rursus eorum, qui ad sacram immaculatamq. vitam, nimirum in Christo, vocati essent, figuram contineri. PALLAD. Visne igitur nonnihil de sancto tabernaculo, & de legali sacerdotio dicamus, ita vt, quæ sanctissime sunt vtraque de re sancita, nostra exquirat oratio? CYRILL. Est quidem ea res haud facilis: maxima namque nobis opera, & labore, Palladi, ad hæc tum intelligenda, tum etiam differenda opus erit. Sed, si ita videtur, Dei auxilio freti, aggrediamur: audisti enim illum aperte dicentem, [Quis Exod. 4.
dedit os homini? & quis fecit mutum & surdum, videntem & cæcum? nonne ego dominus Deus? Et nunc vade, & ego aperiam os tuum.] PALLAD. Perge igitur, & illum sapientiæ largitorem ad eam rem adiutorem adhibe. CYRILL. Pergam equidem, atque iam aggrediar ad dicendum, ac de sacris litteris diligenter testimonia colligam. Descendit igitur ignis specie in monte
C Sina Deus ille vniuersorū conditor, legesq. tulit, quibus liceret singulas actiones ad rectam normam, veramque dirigere. Deinde, vt illos a veteri errore deduceret, atque a falso cultu longissime remoueret, locutus est ad Moysen, qui eo tempore mediator erat, [Hæc dices, inquit, domui Iacob, & annuncia- Exo. 20.
bis filiis Israel, Vos vidistis, quod e cælo locutus sim vobis, non facietis vobis Deos argenteos, & Deos aureos non facietis vobis ipsis.] Deos enim falso nomine appellatos colere non permittebat; sed ei soli inhærere iubet, qui de superis locis, ac de cælo venerat, quique reuera rebus vniuersis dominabatur, cuiusque splendor non in metalli specie, atque colore continebatur; sed in eo quod suum esse cælum ostendebat. Erat autem quodammodo necessarium, vt, quibus iussum erat, e veteri impietate, nefarioque cultu discedere, ij ad consuetudinem aliam illico transirent, ac Dei illius, qui secundum naturam est, cultum, tamquam iugum quoddam subirent: animus quippe liber, ac solutus co-
D hiberi non potest, facillimeque ad absurdissima quæque præceps fertur: idem, si metus atque solicitudo immineat, nullo negotio ad rectum iter accurrit: & ad id, quod vtile est, conuertitur. Quoniam vero per Filium accedimus ad Patrem; [Nemo enim venit ad Patrem, inquit, nisi per me;] ideo necesse fuit, vt Ioan. 14.
ipsum per Filium accessum, & oblationum, quæ per ipsum offerendæ erant, figuras Lege sanciret, dicens, [Altare ex terra facies mihi, & immolabitis super Exod. 20.
ipso holocausta, & hostias vestras, oues, & boues vestros in omni loco, in quo vocauero nomen meum ibi, & veniam ad te, & benedicā tibi. Si autē de lapidibus altare feceris mihi, non ædificabis eos sectos; cultrū enim tuum iniecisti super ipsos, & inquinari sunt.] Terrenum enim altare, ipsum Emmanuel appellat; [Verbū enim caro factū est;] terra autē e terra, ipsa carnis natura est. In Christo

Ioan. 15. igitur omnis oblatio, & omnis accessus est; ait enim ipse, [Sine me nihil potestis facere.] Vt enim per ipsum accessum habuimus, sic omnis quoque hostia eorum, qui fidem perceperunt, accepta, grataque per ipsum est. Pollicetur autẽ ijs, qui e terra altare constituerent, se venturum, & illis benedicturum; [Veniã enim, inquit, & benedicam tibi;] cum enim per sapientissimum virũ Moysen veritatis figuras accepissemus, ipsa tandem Veritas affulsit, idest, Christus, per quem, & in quo superna illa benedictione etiam à Patre ditati sumus, obsignati in Spiritu sancto in adoptionem filiorum: quod ipsum etiam in Christo perficitur. [Si autem altare ex lapidibus feceris mihi, inquit, non ædificabis eos sectos:] non permittit Deo consecratos lapides ferro cædi; lapis enim erat electus, angularis, pretiosus Christus, qui neque peccatis vulnerari, neque Diaboli plagas excipere posset; nec Deo, & mundo diuisus esset: nam, etsi caro factus est, totus tamen est sanctus; qui post illam ineffabilem vnionem, seu cum carne congressum non in Deum est separatim, hominemque seorsum diuisus, sed vnus permanet, Deus, & homo idem. Neque enim vllo modo diuisus est, vt scribit beatus Paulus. PALLAD. Igitur altare de terra constructum, & minime dolati lapides, ijs, quos dixisti, modis Christum significant? CYRILL. Ita sentio: Lex enim spiritualis est, vt Scripturæ tradunt: igitur, posteaquam Christi mysterium, & illum per eum accessum ænigmatice præfigurauit, tum vero etiam Ecclesiæ formam Deus longe ante ostendere constituit. Moysen igitur, & cum eo Iesum ad montem Sina euocauit. Atque hinc intelligas velim, ipsis quoque sanctis Prophetis per Filium patere ad Patrẽ accessum: simul enim ascendunt Moyses & Iesus. Scriptum est enim: [Et locutus est Dominus ad Moysen dicens, Dic filijs Israel, Et accipite mihi primitias ab omnibus, quorum cordi libuerit, ab ijs accipietis primitias meas: & hæ sunt primitiæ, quas accipietis ab ipsis, aurum & argentum, æs & hyacinthum, purpuram & coccinum duplex, & byssum netam, & pilos caprarum, & pelles arietum rubricatas, & pelles hyacinthinas, & ligna imputribilia, & lapides sardios, & lapides ad sculpturã ad superhumerale, & ad tunicam talarem, & facies mihi sanctuarium, & apparebo vobis: & facies mihi iuxta omnia, quæcunque monstrauero tibi in monte exemplar tabernaculi, & exemplar omnium vasorum ipsius, sic facies.] Vides, vt ad ea, quæ ad extructionem Ecclesiæ conducerent, & vsui maximo futura essent offerenda, hortetur populos hilariter pro modo virium, & ex animi sententia conferentes? neque enim aurum modo quærebat, aut ea fortasse, quæ vulgo suppeditari difficile possent; sed etiam pilos caprarum, & arietum pelles: vt ostenderet exiguum, ac vile munus, si nihil is, qui offerre decreuerit, præstantius habeat, minime a Deo respui, atque etiam fortasse rebus, quæ in maximo pretio sunt, æquari, aut magis quoque laudari, vt certe Christus fecit, cum haud sine admiratione viduam illam excepit, quæ Hierosolymis in Gazophylacium exiguum illud quidem, & quod facillime comparari posset, intulit, sed magnum ijs fortasse, qui in summa inopia versantur, quos verisimile est etiam vilissimarum rerum amissione vexari. Acceptis ergo primitijs, Sanctuariũ mihi facies, inquit, & apparebo vobis: illucet enim in Ecclesia Christus, & ijs qui in ea manent, affulget, vt est in Psalmis, [Deus dominus, & illuxit nobis.] Illud autẽ obserues velim, quãuis ille ignis specie descendisset in montem, & à populo vniuerso visus esset; (sic enim scriptum est) tamen sic eum dicere, Apparebo vobis, posteaquam extructũ fuerit sanctuarium, quasi nondũ apparuisset: pæne enim aperte clamare videtur, visiones illas veræ illius Dei visionis vmbras fuisse; veram autem ostensionem ipsum Christum esse, in quo ipsum quoque Patrem conspeximus. Itaque Iudæos, qui se arbitrabantur

Margin notes: Ephes. 1. (beside "ti in Spiritu sancto"); 1. Cor. 1. (beside "sed vnus permanet"); Exo. 25. (beside "enim ascendunt Moyses"); Psal. 117. (beside "clesia Christus"). Section letters A, B, C, D in right margin.

rerum

A rerum vniuersarum Deum in monte Sina vere conspexisse, stultissime id sibi persuasisse coarguit dicens; [Neque vocem eius audistis, neque speciem eius vidistis,& sermonem eius non habetis in vobis manentem: quia, quem ille misit, huic vos non creditis.] Ergo apparebo in vobis, inquit, extructo sanctuario:id autem figura erat Ecclesiæ, ad illius supernæ similitudinē factæ: ait enim, [Facies mihi iuxta omnia, quæcunque monstrauero tibi in monte, sic facies.] PALLAD. Quid enim? est ne beato Moysi ostensum aliquid? CYRILL. Figura nimirum, vt modo dixi, sanctarum Ecclesiarū, & ipse ille varie tāquam in vmbra efformatus, qui pro nobis est homo factus. De singulis autem exēplaribus si dicere voluerimus, prolixus erit, & longus sermo, & nimiæ subtilitatis plenus. Sed quoniam nonnulla sunt, quæ proprie ad illorum operum constructionem pertinent, alia vero ad contemplationis vsum spectant, age, quæ ad eam rem vtilia sunt, de iis dicamus, omittamus cetera. PALLAD. non satis, Ioan. 5.

B quod dicis, intelligo. CYRILL. Aduerte igitur, quod dicturus sum: intelliges enim, & quidem perfacile, vt opinor. Arcam fieri iussit de lignis imputribilibus, intrinsecus, & extrinsecus auro tectam, quæ contineret illa, quæ vocabantur testimonia, idest, Legem, vt in tabulis exaratam, neque vero hic finis eius extructionis fuit; nam & vectes fieri iubet rursus ex lignis imputribilibus æque deauratos, & aureos annulos, & versatilia circumquaque; longitudinem quoque, ac latitudinem, & altitudinem, quanta futura esset in eo opificio, definiuit. Verum, si quis velit huiusmodi res mystice, & accurate peruestigare, fortassis inueniet ille quidem, quid sit arca, quidve testimonia quæ in ea continebantur, quisve vsus imputribilium lignorum fuerit. Sed tamen quid sibi velit illud in arca aurum, quidve ea, quæ interim ad vsum eius & ornatum composita sunt, cymatia inquam, & versatilia, circuli etiam, ac vectes, si curiosius exquirat, arduum, ac difficile opus inueniet. Cum itaque mysticam rationem il- Exo. 25.

C lis aptare nequeat, superuacaneo sermone redundabit fortasse, & inanium verborum turba studiosorum aures onerabit. Idque, quod dicimus, non in arca sola verum est, sed in aliis etiam, quæ fieri iussit. PALLAD. Mihi vero non absurde sentire, ac dicere videris. Igitur, iis prætermissis, quæ ad congruentiam, & vsum, vt dicis, seu ornatum operum pertinent, ad ea potius explicanda perge, quæ sunt ad contemplationem necessaria, idest, quomodo nobis Christus ipse per ea, quæ vel ostensa, vel opere perfecta sunt, significetur, id vero sine cunctatione explica. CYRILL. Ego vero, vt potero, & intelligere, & explicare conabor: sed, si a veritate aberrauero, & minus quam oporteat, sensuum præstantiam assecutus fuero, veniam dabis: nam quia in speculo & ænigmate videmus, efficitur nonnunquam, vt vel prudens, & diligens animus labatur. PALLAD. Recte dicis. CYRILL. Arca igitur, Palladi, vt ego sentio, imago, ac figura Christi est: nam, si consideremus, qua ratione ille Vnigenitus

D sit homo factus, illud ex Deo patre Verbum in eo templo, quod ex virgine sumpsit, tamquam in arca diuersatum fuisse videbimus: [habitauit enim in eo omnis plenitudo diuinitatis corporaliter,] vt scriptum est. Verbum autem Dei erant illa in arca testimonia; ac ligna quidē arcæ imputribilia erant, auro etiam purissimo, ac probatissimo intenus, & exterius ornata: incorruptibile namque erat Christi corpus, quod vi, atque splendore Verbi inhabitantis, & viuificante sancti Spiritus natura, atque efficientia, tamquam auro quodam in incorruptione contineretur: nam ob eam caussam viuificare etiam Christus dicitur; cum enim illud ex Deo Patre Verbum suapte natura vita esset, sui spiritus vi suum ipse templum viuificabat, atque vt corruptionis expers esset, efficiebat. [Caro enim eius non vidit corruptionem,] iuxta beati Pauli vocem. Loque- Coloss. 2. Act. 13.

Ioan.2. batut etiam ad Iudæos de corpore suo, [Soluite templum hoc, & in tribus A
diebus excitabo illud.] Quinetiam Petrus illum quidem carne mortificatum
1.Pet.3. ait, sed viuificatum spiritu. Symbolum est igitur aurum ipsum splendidissimæ diuinitatis, qua sanctum illud corpus veluti illitum erat, quæque suum ipsa splendorem, & incorruptionem ineffabiliter immittebat, vt ipsa profecto sola, & quidem per se nouit diuina illa, & quæ intelligentiam omnem superat, na-
Matth.13. tura. Nam, si [iusti aliquando fulgebunt, vt sol in regno Patris sui,] iam quanta erit ipsius Christi gloria? quomodo non & intelligentiam & orationem omnem vincit ille fulgor? Aurei etiam sunt vectes, qui arcam sustinent, aurei & circuli, aurea denique in ea sunt omnia: participes namque illius gloriæ sunt, qui illum circunstant, illique caritate, & sanctitate tamquam affixi sunt, & vsum præbent, quales illi sancti discipuli erant, qui vim diuinam ab eo accipiebant, & supernæ illius excellentiæ splendorem erant participando consecuti. Itaque diuina signa ob eam caussam edebant. PALLAD. Recte B
Exo.25. sane dicis. CYRILLVS. [Et præter arcam facies, inquit, propitiatorium, superpositionē ex auro puro duorum cubitorum & dimidij longitudine, & cubiti & dimidij latitudine. Et facies duo Cherubim, aurea tornatilia, & impones ea ex vtroque latere propitiatorij, Cherub vnus ex latere, & Cherub vnus ex latere altero propitiatorij. Et facies hos duos Cherubim extendentes manus superne, obumbrantes alis suis supra propitiatorium, & vultus eorum alterius in alterum obuersos, ad propitiatorium erunt vultus Cherubim, & impones propitiatorium in arcam superne, & in arca repones testimonia, quæ tibi dabo, & cognoscar a te inde, & loquar tecum super propitiatorio inter duos Cherubim, quæ sunt supra arcam testimonij, iuxta omnia, quæcunque mandauero tibi ad filios Israel.] PALLAD. Quid ergo tandem propitiatorium esse censes? CYRILL. Quod quidem ad litteram pertinet, & vmbram, ex auro puro perfectum erat, & subiectæ arcæ erat impositum: ob C
eam quippe caussam, Superpositio, dictum est, ad quod cum conuersi essent, & illud aspicerent, qui sacerdotij gloria insignes erant, ad Deum ipsum obuerti, eumque aspicere videbantur. Id vero si spiritualiter intelligatur, propitia-
Rom.3. torium esse dicimus eum, qui pro nobis est homo factus. [Quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius ad ostensionē iustitiæ suæ:] Paulus enim hoc dicit. Scribit etiam ad nos Ioannes ille sapientissimus disci-
1.Ioan.2. pulus, [Filioli, hæc scribo vobis, vt non peccetis: si autem peccauerit aliquis, aduocatum habemus ad Patrem, Iesum Christum iustum, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris; non pro nostris autē tantum, sed etiam pro totius mundi:] per ipsum enim propitiatio, supplicatioque omnis fit, ac bonorum petitio:
Ioan.16. nam [vsque modo, inquit, non petistis quidquam in nomine meo; petite, & dabitur vobis.] Ipse igitur est propitiatorium; per ipsum namque fit nobis propitius Pater, & in ipsum desinit omnis precationis finis, & per ipsum accedimus, D
Ioan.14. cum haud alia ratione admitti possimus. Itaque ait, [Ego sum via; &, Ego sum ianua; &, Nemo venit ad Patrem nisi per me.] Ceterum, tametsi nostri similis factus sit, cum sese ad humanitatē exinanitionemq. demisit illud vnigenitum Dei verbum; est tamen illi nihilominus naturæ suæ ratione propriū, in ea gloria, ac maiestate, quæ Deum deceat, intelligi; & in ea excellentia, qua creaturis omnibus præstat, permanere, quemadmodum sine dubio erat, antequam carnem accepisset. Ob eam igitur caussam Cherubim circunstant propitiatorium, & tegunt alis, & ad illud versa sunt, atque vultus in illud figunt; ac satellitium quidem euidenter ostendit illa ad dexteram, sinistramque statio: quod vero semper Cherubim propitiatorium aspiciunt, illud supernarum virtutum

inten-

A intentum, & inexplebile Dei videndi desiderium indicare videtur: describit etiam propheta Esaias filium proprio quodam habitu dicens, [Vidi Dominum Sabaoth sedentem super thronum excelsum, & eleuatum, & Seraphim stabant circa illum:] & senas quidem alas, inquit, cuique fuisse; iisq. tegere duabus quidem pedes, duabus facies, ceteris volare. Ac, si quis putet Dei faciem, ac pedes contegere Seraphim, nihil absurdi est ita existimare. Nam, si huius nominis Seraphim significationem in græcam vocem transferamus, scientiæ plenitudinem, aut effusionem sapientiæ, significare deprehendemus. Sapientissimæ igitur illæ, ac supremæ virtutes eo habitu illud euidentissime præseferunt, haud esse fas a quoquam Dei faciem conspici. Inuisibilis enim est omnino natura illa, quæ superat omnem intelligentiam, & lucem inaccessibilem habitat, vt beati Pauli voce vtar; &, [Nemo videbit faciem Dei, & viuet,] vt ipse idem rectissime beato Moysi dixit. Neq. vero quisquam potest illius vestigia, & vias B nosse; scriptum est enim, [O altitudo diuitiarum, & sapientiæ, & scientiæ Dei! quam incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius!] psallit etiam beatus Dauid, & sapiens carmen concinit, [In mari via tua, & semitæ tuæ in aquis multis, & vestigia tua non cognoscentur:] vt enim in aquis videre vestigium aut hominis fortasse, aut nauis, aut innatantium belluarum nemo potest, sic nemo diuinas & ineffabiles vias aspicere, quarũ figuram pedes aptissime gerunt. Quod si quis existimet suas facies, ac pedes alis contegere sancta Seraphim, illud cogitemus, non esse fas Dei sapientiæ, seu scientiæ initium, aut finem videre: est enim ipsa quoque incomprehensibilis, & hominis intelligentiam superat. Est autem totius corporis initium caput, vt finis pedes. Propitiatorium igitur est Christus, qui, quamuis apparuerit in carne, nihilominus tamen vere, ac natura Deus est, & Dominus; cum supremas illas virtutes circum se seruilem in modum stantes habeat. Sacræ etiã litteræ testantur, posteaquam C recessit Satanas, illa tentatione, quam Christo intulit, omissa, cum ille pro nobis ieiunasset, angelos accessisse, & illi ministrasse: spiritus namque administratores sunt, in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis. [Supra propitiatorium autem cognoscar a te, inquit, & loquar tecum.] Quibus verbis, vt ego arbitror, duo quædam significauit, aut Christum, quamuis homo esset ille quidem, tamen supra hominis naturam locuturum, neque intra exinanitionis modum dumtaxat esse mansurum, cum Deus sit, & ex Deo secundum naturam, [Ego enim, dicebat, & Pater vnum sumus; &, Qui vidit me, vidit & patrem meum:] aut illud fortasse, cognoscitur enim super propitiatorium, & super Cherubim, idest, in excellentia, & gloria, supra hominem, & quicquid est ortum, in quo genere primum, ac summum locum tenent Seraphim, quamuis caro sit factus. Est autem ex auro propitiatoriũ, & ipsa quoque Seraphim: natura quippe præclarissima, atque pulcherrima Deus est, quæ autem orta D sunt, ea similitudinem eius per participationem retinent; iis porrò, qui circa ac prope ipsum sunt, suæ naturalis claritatis consortiũ impertitur, vt luminis, cum ad obiectũ aliquod corpus appulsum reflectitur, & suo splendore, quicquid obuium est, illuminat. PALLAD. Recte sane habet, & est ad veritatem expolita oratio. CYRILL. Iam vero, extructo propitiatorio, aliter quoque nobis Christi mysterium adumbrat, dicens, [Et facies mensam ex auro mũdo.] Cumque iussisset, vt annuli mensæ affigerentur, in quos aurei vectes immitterentur, cumque mensuras etiam illius, & artificij rationem, qua ad summam elegantiam insignis fieret, apertissime præscripsisset, denique, [Impones, inquit, super mensam panes propositionis coram me perpetuo.] Aureaque eius vasa, & acetabula, & mortariola, & cyathos, & libatoria fieri iussit. An

Marginal references: *Esai. 6.* — *Philip. 4.* — *1. Tim. 6.* — *Exo. 33.* — *Rom. 11.* — *Psal. 76.* — *Matth. 4.* — *Heb. 1.* — *Ioan. 10.* — *Ioan. 14.* — *Exo. 25.*

vero parum euidenter ille panis e cælo nobis demonstrabatur, qui aliquando A
in sanctis Ecclesiarum mensis proponendus esset, & vitam mundo daturus?
PALLAD. Immo vero maxime. CYRILL. Acetabula porro, & mor-
tariola, cyathi quoque, & libatoria, & ea omnia, quibus ad mensam illam sa-
cram, ac mysticam vsus erat, nonne, Palladi, diuinorum thesaurorum figura
sunt? PALLAD. Sane vero. CYRILL. Sed hæc quidem in Exodo:
de mensa vero & panibus propositionis Legislator in Leuitico sanxit; atque
ibi quodammodo explicat hoc præceptum, &, quemadmodum propositio fie-
Leuit. 24. ri debeat, plane docet his verbis; [Et accipietis similam, & facietis ex ea duo-
decim panes; e duabus decimis erit panis vnus; & imponetis eos positiones. Sex
panes erunt vna positio super mensam puram coram Domino perpetuo à filiis
Israel testamentum æternum; & erunt Aaron, & filiis eius; & comedenr ea in
loco sancto; est enim sancta sanctorum hoc ipsi, ab immolatis Domino legiti-
mum sempiternum.] In Numeris vero vicissim eum qui de cælo, & item ex no- B
bis est, (Verbum enim, cum Deus secundum naturam esset, factum est nostri si-
mile, & habitauit in nobis) tamquam vnum nobis panem demonstrauit, cum
Num. 15. sic dixit Moysi illi sacrorum interpreti, [Loquere ad filios Israel, & dices eis,
Cum ingrediemini in terram, in quam ego induco vos, & erit, cum ederi-
tis vos e panibus terræ, separabitis separationem segregationem Domino pri-
mitias massæ vestræ, panem separationem segregabitis ipsum, tamquam sepa-
rationem ab area, sic separabitis ipsum, primitias massæ vestræ, & dabitis Do-
mino separationem in generationes vestras.] Licet ex his verbis facillime ve-
ritatis mysterium perspicere, de quo tamen a nobis subtiliter, & accurate suo
loco dicetur, hancque orationis partem in alterius commentationis laborem
transferemus. Illud tamen, vt opinor, admirari licet in præsens, Palladi.
PALLAD. Quid istud tandem? CYRILL. Cum etenim varie nobis il-
lũ Emmanuel spectandum proposuisset, rursus aliis quoque verbis eundẽ effin- C
Exod. 25. git; Moysi enim dicit, [Et facies candelabrum ex auro mundo; tornatile facies
candelabrum; hastile ipsius, & calami, & crateres, & sphærulæ, & lilia ex ipso
erunt: sex calami prodeuntes ex aduerso; tres calami candelabri ex latere vno,
& tres calami ex latere altero.] Adhæc, cum adiunxisset ea, quæ ad ornatum, &
vsum operis pertinerent, lilia inquã, & sphærulas, & Scyphos, rursum adiecit,
[Totum tornatile ex vno auro mundo; & facies ei lucernas septem, & impones
lucernas ipsius, & lucebunt ex vna facie, & emunctorium eius, & suppositiones
eius ex auro mundo: facies omnia vasa eius talentum auri mundi. Vide, facias
omnia iuxta figuram, quæ tibi in monte ostensa est.] Aureum igitur candela-
brum, Christi figuram tenet; Filius enim ex natura ac vere Deus est; auro au-
tem similis esse putanda est, vt in superioribus definiebamus, illa diuina cla-
ritas atque præstantia: tornatile autem, quia speciosissimus est, plusquam ver-
bis explicari possit, ille Emmanuel, si pulchritudinem animo spectabilem co- D
Psal. 44. gites. Scriptum est enim, [Speciosus forma præ filiis hominum.] Quod igitur
candelabrum tornatile factum est, id vero illam pulchritudinis præstantiam,
idest, diuinã illam nostri Emmanuelis dignitatem aptissime significabat. Ca-
lamos porro ex dextro, sinistroque latere tamquam ex arbore prodeuntes, in-
quit, cum medio stipite simul exurgere, & ad parem altitudinem tolli. Quam-
uis enim Vnigenitus ille secundum naturam vnus sit, & vt Deus simplicem
habeat essentiam, diuersitate tamen efficientiæ, quasi multiplex esse videtur;
neque vero aliquid in eo externum est, & aduentitiũ, tametsi diuinis attributis
quodammodo haud simplex intelligatur; lux enim, & vita, & vis, & incorruptio
esse intelligitur. Nam cum docere vellet nihil esse in eo adscititium, intulit, vt
opinor

A opinor, illud, [Sphærulæ,& calami,& lilia ex ipso sint,totum tornatile ex auro puro,] idest, totus vndique Deus, non perinde atque ea,quæ orta sunt,sanctificatus:neque vt angeli,qui cum in sua quadam natura intelligantur,illius gratia,& gloria decorati sunt,ac tamquam auro mundo,spiritus munere quodammodo illiti; sed quod suapte natura sit illa ipsa res, nempe Deus, illa nimirum purissima,& suprema natura. Septem porro lucernæ sunt; multis namque modis a Christo illuminatio tribuitur: & [alij quidem datur sermo sapientiæ,alij autē sermo scientiæ,discretio spirituum,] & reliqua. Perfectionis autē signum est numerus septenarius:perfectissimus vero est suapte natura Emmanuel tamquam Deus, & charismatum ab ipso fluentium distributio perfecte iis proposita est qui merentur accipere; neque enim [ad mensuram dat spiritum,] vt beatus Ioannes ait; [sed ex eius plenitudine nos omnes accepimus.] Deinde ait,[Et impones lucernas,& lucebunt ex vna facie.] Qualis autem sit hæc positio,in Numeris planius explicauit,sic dicēs, [Et locutus est Dominus ad Moysen dicens,Loquere Aaron,& dices ad eum, Cum impones lucernas, ex parte secūdum faciem candelabri lucebunt septem lucernæ:& fecit sic Aaron ex vna parte secundum faciem candelabri,& accendit lucernas ipsius,vt constituit Dominus Moysi.] Intellige ergo septem illas lucernas ad faciem candelabri versas, lumen in aspicientes immittere; non enim, qui a tergo sunt, ac quodammodo a Deo auersi, eos diuinum illud, ac spirituale lumen illustrat; sed eos, qui in illius conspectum per sanctificationem perducti sunt, ac iam per fidei libertatem, & honestatem recte viuendi præclaram ora illi obuerterunt:vt enim abominandi sunt, & execrandi, qui in nequitia, & peruicacia versantur:ita rursus cari, & in Dei conspectu positi obtemperantes, atque tractabiles. Iudæis enim,qui intemperanter illum iniuria violare constituissent,per Esaiæ quoque vocem dicit,[Cum extenderitis manus ad me,auertam oculos meos a vobis;] [oculi autem Domini super iustos,] vt in Psalmis canitur. PALLAD. Verum est. CYRILL. Huius sancti candelabri etiam beatus Zaccharias aperte meminit; sic enim dixit, [Et conuersus est Angelus,qui loquebatur in me, & excitauit me, sicut excitatur homo a somno suo, & dixit ad me, Quid tu vides? Et dixi, Vidi, & ecce candelabrum aureum, & lampas super illud, & septem lucernæ super illud, & duæ oleæ super ipsum, vna e dextris lampadis eius, & vna a sinistris. Et rogaui, & dixi ad Angelum, qui loquebatur in me, dicens, Domine, quid sunt hæc? Et dixit ad me, Non nosti quid sint hæc? Et dixi, Non, domine.] Atque ille quidem beatus propheta percunctatus est dicens, Quid sunt hæc? Sed ille beatus Angelus, breui narratione interposita, visionem interpretatur,& candelabri constructionem ad Christum refert, dicens de septem lucernis,quæ in eo sunt, [Hi sunt oculi Domini aspicientes in omnem terram. Vt enim nonnihil rudiore sensu dicamus, innumeris nos oculis Deus D aspicit,& res humanas considerat, & cognoscit quæ in tenebris sunt, vt scriptū est, [Et lux cum ipso est.] Nam,si nobis quoque,qui in hoc mundo sumus,lumen immittit Deus,proculdubio eodem præ cæteris omnibus abundare ex naturæ suæ condicione credendus est;aut,si qui non ita se rem habere suspicantur, iam vero ita sentientes illis verbis alloqui licebit,[Intelligite insipientes in populo,& stulti, aliquando sapite; qui plantauit aurem, non audit?aut qui finxit oculum, non considerat?] [Viuus est enim sermo Dei, & efficax, & exacutus magis quam gladius anceps, pertingensq. vsque ad diuisionem animæ, ac spiritus, compagum quoque, & medullarum,& discretor cogitationum,& intentionū cordis; & non est creatura aliqua inuisibilis in conspectu eius;omnia autē nuda,& aperta sunt oculis eius.] Illuminat igitur Christus,& aspicit omnia: ideo-

Marginal notes: 1. Cor. 12. — Ioan. 3. — Exod. 25. — Num. 8. — Esai. 1. — Psal. 33. — Zacch. 4. — Daniel. 2. — Psal. 93. — Hebr. 4.

Section letters: A, B, C, D

Hiere.23. ideoque dixit per quendam e prophetis, [Deus e proximo sum ego, dicit Dominus, & non Deus a longe? num a me occultabitur aliquid?] Nihil enim latere potest mentem illam omnia scientem. An tibi parum considerate hæc dicere videor? PALLAD. Immo vero maxime. CYRILL. Sed propheta, cũ inusitatum quiddam in candelabro videret, (olearũ enim in eo inerant rami) A
Zacch.4. denuo sciscitatus est dicens, [Quid sunt hæ duæ oliuæ a dextris cãdelabri, & a sinistris? Et rogaui, inquit denuo, & dixi ad eum; Quid sunt illi duo rami olearum, qui sunt in manibus duarum narium aurearum infundentium, & retrahentium suffusoria aurea? Et dixit ad me, inquit, Nescis quid sint hæc? Et dixi, Non, domine, Et dixit ad me, Hi duo filij pinguendinis astant ante Dominum vniuersæ terræ.] PALLAD. Quid tandem opus fuit beato prophetæ, vt iterum interrogaret? Interrogaui, namque inquit, denuo. CYRILL. An tu, Palladi, minime putas esse sapientis, & ad eos qui recte sentire velint, non maxime pertinere censes, de vnaquaque re neccessaria diligenter, & accurate B interrogare? PALLAD. Puto equidem. CYRILL. Ramos igitur olearum tenero, recentique germine virentes cum aspexisset propheta, oleas, non olearũ ramos appellauit. Itaq. tacuit beatus Angelus, cũ prudentiorem, ac veriorem interrogationem expectaret: postea vero quam excitatus iam, duos ramos olearũ appellauit, & se doceri flagitauit, cuius rei essent illa symbola didicit illico, dicente Angelo,]Hi duo filij pinguedinis astant ante Dominum vniuersæ terræ:] duos porro pinguedinis filios tum illum ex Israel, tum vero alterum ex gentibus populum appellauit, quos etiam ante Dominum vniuersæ terræ astare dicit: in quo manifeste & euidenter illud candelabri opificium pro Christi figura posuit, ad cuius dextram sinistramque partem oliuarum rami tamquam circum illud essent collocati, impinguanturoleo, quod sancti Spiritus figuram gerit, mentem credentium irrigantis, iuxta illud, [Impinguasti in oleo caput meum.] PALLAD. Sed cur non oleas eas potius, quam ramos C olearum vocauit? CYRILL. Ob eam caussam, Palladi, quia fideles tamquam ex oleis tenues, ac pubescentes surculi detracti sunt, & simul cum fide ad pietatem prope transplantantur: alij quidem ex Iudæorum Synagoga; alij autem ex Gentium turba detracti: neque enim omnes, qui sunt ex Israel, crediderunt; neque vniuersa multitudo Gentium est ingressa. Rami sunt igitur olearum, qui vel ex multitudine Iudæorum, vel etiam e turba Gentium tamquam ex arboribus detracti, & ad diuinum lumen traducti sunt, & abundantiore iam Spiritus sancti effusione quodammodo luxuriant. Id enim significare arbitror, quod tãquam in naribus lucernarum sint olearum rami collocati, quorum ipse quoque Psalmorum auctor meminit, cum ad Christum omnium saluatorem carmen conuerteret, ac tum de sponsa, quæ illi coniuncta est, hoc est, Ecclesia, tum etiã
Psal.127. de illius per fidem filijs diceret, [Vxor tua sicut vitis abundans in lateribus domus tuæ; filij tui sicut nouellæ oliuarum in circuitu mensæ tuæ:]. participando D namque Spiritum, & sancta Christi mensa fruendo, viuificamur, posteaquam
Ioan.6. illius fidẽ amplexi fumus. PALLAD. Recte vero dicis. [Ego enim, inquit, sum panis viuus, qui de cælo descendi, & vitam do mundo.] CYRILL. Ac de candelabro, & ijs, quæ in eo sunt, hactenus ad præsens dixisse sufficiat. Iam vero ad altare æneum pergat oratio, cuius vsus in illo legali cultu maximus
Exo.27. erat. [Et facies, inquit, altare de lignis imputribilibus: quinque cubitorum longitudo, & quinque cubitorum latitudo; quadratum erit altare, & trium cubitorum altitudo eius; & facies cornua in quatuor angulis, ex ipso erunt cornua: & operies illa ære: & facies coronam altari, & tegumentum eius, & phialas eius, & fuscinulas eius, & focum eius, omnia vasa eius facies ex ære.] Quinque

A que igitur cubitorum est altare per longitudinem ac latitudinē, erat enim opus profectò vt haberet mensuras, & eas amplissimas: namque & scissa ligna super illud, & boum cæsorum frusta, & holocausta, ouiumque, & hircorum Deo consecratorum oblationes erant imponendæ. Hanc ob caussam & craticula, & focus, & fuscinulæ, & phialæ, & omnia denique eius vasa ænea sunt: vt legalibus sacrificiis suū vsum præbere possent, neque tamen voracis Ignis appulsu consumerentur. Coronā vero, & angulorum cornua ipsius figuræ pulchritudini tribuemus: nā apud illum omnium sapientissimum Deum deforme nihil est. Illud tamen rursus agedum dicamus, iis, quæ de re quaque præcepta sunt, accurate animum adiicientes. Altare præcepit fieri, quod legalibus hostiis conueniret, atque aptum esset. Sed aureum in eo nihil, quale profectò & in arca, & candelabro, & mensa, & iis, quæ in illa erant, videre licet. PALLAD. Quæ tandem est rei istius caussa? CYRILL. An vero, Palladi, non B illius diuinæ, & immortalis naturæ, supra res omnes præstantiā, ac splendorem incomparabilem (de eo loquor, qui potest intellectu percipi,) auro dicebamus aptissime significari? PALLAD. Fateor. CYRILL. Considera igitur, illud legalis cultus altare expers omnino auri fuisse: qua in re apertissime nobis innuit Deus, Legis beneficio Spiritū sanctū minime conciliari nobis, neque vim illā figurati cultus esse eiusmodi gratia decoratam: Spiritus enim seruitutis erat super Israel. Nobis autē hoc donum per Christum tributum est, posteaquam a mortuis reuixit: insufflauit enim dicens, [Accipite Spiritum sanctum.] Itaque Paulus alloquebatur credentes, [Non enim accepistis spiritum seruituris iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba, Pater.] Illam porro cultus legalis facultatem non fuisse sancti Spiritus participatione præditā, eumq. iis potius datum esse, qui fide iustificari sunt, confirmat sapientissimus Ioannes, cum dicit, C [Nondum enim erat Spiritus sanctus, quia Iesus nondū erat glorificatus.] Nondum enim reuixerat Christus: tum enim hominis natura Spiritu, & eius communicatione propemodum inaurata est. Hac igitur de caussa sine auro fieri iussit altare, vt opinor. Ceterum rationē æris, ex quo illud extructum fuit, prætermittere non sine studiosorum, vt opinor, iactura possumus: nam hæc inquisitio aliquid vtilitatis pariet, vt est a quodam sapienter dictum, [In omni solicito inest vtilitas.] PALLAD. Quid igitur hac de re dicere habes? CYRILL. Audi igitur, Aaron enim virum illum admirabilem, cælesti suffragio sacerdotem, ac principē electum fuisse, sacræ litteræ testantur. Core tamen, & Dathan, eorumq. sociorum effrenata illa multitudo contra supernum illud decretum petulantissime obnixa, & aduersus diuinas leges excitata turibula detulerunt, cum inuocati, suaq. sponte ad id munus properarent, honoremq. sibi minime tributum arriperent, ac sacerdoti principi, & ex vniuersis D lecto nimis præcipiti furore suam amentiam, atque audaciā opponerent. Designabatur autem hoc facto futura aduersus Christum Iudæorum audacia: ipse enim est noster summus Sacerdos, qui ad hoc dignitatis culmen Patris suffragio est prouectus; atque illi quidem conatuum adeo turpium pœnas dederunt, dabuntq. etiam post eos Iudæi, cum iisdem criminibus teneantur. Deus autē Moysi, tum & Eleazaro Aaron filio, ac sacerdoti dixit, [Sumite turibula ænea de medio combustorum, & ignem hunc alienum sparge ibi, quia sanctificauerunt turibula horum peccatorum in animabus suis; & fecerunt ipsa laminas ductiles circumpositionem altari, quia allata sunt corā Domino, & sanctificata sunt, & facta sunt in signū filiis Israel.] Atque hæc quidem eo tempore dixit Deus. In Exodo autem scriptum est de Beseleel, qui patre quidem erat

Ioan. 20.
Rom. 8.
Ioan. 7.
Prouer. 14.
Num. 16.
Num. 17.
Exo. 38.

erat Vria, sed de tribu Dan, & vniuersi operis princeps, [Hic fecit altare æneum A
ex turibulis æneis, quæ fuerant hominum, qui seditionem concitauerunt cum
synagoga Core.] PALLAD. Quid igitur istud est? CYRILL. Maxi-
mam id vero vtilitatem continet, si animaduerterimus, arcam quidem, quæ
Christi figuram gereret, & alia præterea, candelabrum inquam, & propitiato-
riū, & ex auro mensam, hæc facta esse omnia offerente populo, & singulis, quod
in manibus erat, Deo dicantibus: accepti enim sane sunt in gloriam Dei, & Pa-
tris, qui Christum donis venerantur, & spirituales oblationes offerunt, quorū
illi figuræ, vmbræque erant: sed illud culturæ legalis altare irritationis, atque
contradictionis, conspirationis eius denique, vt ita dicam, quæ aduersus sa-
cerdotem summum facta est, veluti monimentum quoddam esse, atque prædi-
ctionem in ipsa altaris constructione positam, mystice, & dispensatiue signifi-
catur. Nonne tibi figura perspicua est? Christi namque figuram tenet Aaron.
Aduersus autem Christi gloriam contentione summa Iudæi quoque certaue- B
runt: caussaque contradicendi est eis legale hoc altare; ablatus est enim ille
tamquam in vmbra cultus, & in Christo potius illum odorem bonum Patri ado
Exo. 30. lemus. Idque rursus tamquam in vmbris designauit dicens, [Et facies altare
thymiamatis ex lignis imputribilibus; & facies illud cubiti longitudine, & cu-
biti latitudine, quadratum erit, & duorum cubitorum altitudine; ex ipso erūt
cornua eius, & inaurabis illud auro puro, craticulam eius, & parietes eius cir-
cumquaque, & cornua eius.] Cumque illi amites, & circulos, & vectes, & cete-
ra eiusmodi adiecisset, ait, [Et pones illud contra velum, quod est super arcā
testimoniorum, in quibus cognoscar a te inde: & incendet super ipso Aaron in-
censum compositum mane mane; cum componet lucernas, adolebit super ipso;
& cum accendet Aaron lucernas vesperi, incendet super illud incensum conti-
nuationis in perpetuum coram Domino in generationes eorum; & non impo-
nes super eo incensum aliud: oblationem hostiæ, & libationem non libabis su- C
per ipso, & propitiabitur super ipso Aaron in cornibus eius semel per annum
de sanguine purgationis peccatorum propitiationis: semel in anno purgabit il-
lud in generationes eorum; sanctum sanctorum est Domino.] PALLAD. In
figuram ergo Christi hoc accipiemus? CYRILL. Maxime vero, Palladi.
Nam id verum esse ex præclaro, & sublimi eius mysterio patere, & quidem fa-
cillime poterit; si qui subtiliter, & solerter huiusmodi res peruestigare volue-
rint: factum enim erat ex lignis imputribilibus, totumque auro tectum; incor-
Ioan. 1. ruptibile namque est Christi corpus, & diuinam in se ipso naturam habet; [Ver-
bum enim caro factum est, & habitauit in nobis.] Primitiæ porro nostræ, atque
stirps nostri generis Christus est: quod genus hoc ipso, quod cum Deo iunctū
est, ad incorruptionē recreatur; quamuis in illo præcipue ea res intelligatur.
Sunt etiam altari cornua, ac veluti manus extentæ, gloriosæ crucis habitum
præfigurantes. Quod siquis quatuor esse cornua dixerit, nihil impedimenti stu- D
dioso ea res affert, quominus recte intelligatur. Nam, cum altare quadratum
sit, & æqualibus vndique lateribus, æque ex omni parte cornua conspiciuntur;
hoc vero quid significat? nempe in omni loco Christum agnosci, eumque cru-
cifixum; id autem in eum credentibus illustris est gloriatio. Itaque beatus Pau-
Galat. 6. lus, [Mihi autem, inquit, absit gloriari nisi in cruce Christi, per quem mihi
mundus crucifixus est, & ego mundo.] Adiuncta sunt præterea huic operi, quæ
ad ornatum pertinent, nempe corona tortilis; est enim sane Emmanuel [specio-
Psal. 44. sus forma præ filijs hominum.] Addita sunt etiam, quæ ad eius vsum pertine-
rent, vectes inquam, & reliqua instrumenta; nam diuinum illud altare, quo tē-
pore proficiscendū erat, decenter ferri oportebat. Id vero faciebant beati illi

discipuli,

A disci puli, cum prædicando Christum circumferebant: honeste autem, & ordinate, vt Dei ministri, & dispensatores mysteriorum Christi. [Pones autem altare, inquit, contra velum, quod est super arcam testimoniorum, in quibus cognoscar a te inde.] PALLAD. Sed quid tandem opus fuit locis certa ratione definitis? CYRILL. Latet quidem in profundo, & obscura nimis est huius rei ratio: dicam tamen, Deo fretus, qui ipsis quoque cæcis sapientiam tribuit. Arcam ex lignis imputribilibus, & auro mundo factam esse ait, in qua Lex erat, idest, diuinus sermo, seu testimonia: figura quippe ea res erat Verbi ex Deo geniti, quod habitauit in nobis, & in carnis similitudine factum est, vt Scripturæ testātur; deinde velum quoddam in quatuor columnis expansum supra arcā pendere iussit, idque velum propitiatoriū appellabatur. Quod etiam Christum significat. [Nam ipse est propitiatio pro peccatis nostris, & propitiatorium per fidem:] sic enim illum Paulus appellauit. Depicta porro erant, 1.Cor.4. 1.Ioan.2. Rom.3.

B ac veluti circum propitiatorium Cherubim, quæ supremarum virtutum seruitutem, quā Deo exhibent (Deus enim est Verbum) hoc ipso, quod prope sunt, atque etiam quod ad ministrantium speciem assistunt, optime significant. Tum dixit Moysi, [Et cognoscar a te inde, & loquar tecum desuper propitiatorium inter duo Cherubim, quæ sunt supra arcam testimonij.] Arca quidem, vt dixi, Christus erat, tamquam in incorruptibili corpore Deus Verbum; sed tamen in terra sita est arca, ad nostram enim submissionem, & humilitatem descendit ille Vnigenitus: nam seruilem formam subiit, & semetipsum exinaniuit. Ipse est præterea propitiatorium in sublimi positum, & a supernis virtutibus circumseptum. Non enim e solo nobis duntaxat exinanitionis modo notus est Filius, sed etiam ex eo, quod Deus est, & vniuersorum dominus: etsi enim ex humana natura se ipsum humiliauit, atq. sapienti gubernatione ad nostrā conditionem descendit; attamen [Deus illum superexaltauit, & dedit illi nomen, Ioan.1. Philip.2. Philip.2.

C quod est super omne nomen.] Huius autem rei non absurde figura est, quod in sublime positum est propitiatorium, Cherubim ad eius dextram, sinistramque partem depictis: nam, vbi ministerium Deo proprie conueniens adesse cernitur, ibi profecto diuinitatis quoq. gloria prorsus adest, & ea dignitatis excellentia, quæ orationem omnem superet. [Desuper autem Cherubim cognoscar a te,] inquit ille vniuersorum dominus; in quo illā ineffabilem naturā non inter creaturas quæri iussit; sed vltra id omne prorsus, quicquid vt sit vocatum est. Dei enim, qui natura Deus est, ratio, & locus est ille decentissimus, præter, ac supra id omne esse, quod ortum est. Igitur ille supra Cherubim locus in illo sancto tabernaculo nostris etiam sensibus diuinam prope naturam ostendit, ob eamque caussam altare illud aureum, quod in figuram Christi factum fuerat, e regione eius collocari iussit, qui supra Cherubim & edebat oracula, & intelligebatur: qua in re locus ipse significabat, in Dei quodammodo conspe-

D ctum, & ante oculos Patris nos in Christo esse perductos: hominem enim, cum in auersione esset, ac propter transgressionem, peccatorumque multitudinem Deum offendisset, rursus in se ipso, ac primo Christus in conspectu Patris constituit: [præcursor namque pro nobis in cælum est ingressus, vt nunc appareat vultui Dei pro nobis;] vt ille sapiens vir Paulus scriptum reliquit. Nam, qui semper est vna cū Patre, nunc apparere dicitur, vt pote qui in se ipso, ac primo in conspectu Patris naturam humanam collocarit, & veterē illam auersionem reuocauerit: [ipse enim est pax nostra,] vt Scripturæ tradunt. PALLAD. Effectum est igitur, altare illud aureum esse Christi rursus imaginem. CYRILL. Adhæc non absurde idē ipse intelligi potest illud esse thymiama compositum, ac tenue; ipse enim est princeps ille sacerdotū. [Incendet enim, inquit, Hebr.9. Ephes.2.

super

super eo Aaron thymiama compositũ tenue:] ac compositũ quidẽ est thymiama; nam, cum Deus esset Verbum, caro factũ est, & compositus est nobis quodammodo ille Emmanuel, cum diuina simul, humanaq. natura in vnitatẽ, quæ omnem intelligentiã superat, ineffabili modo conuenerint. Deinde tenue est, A
Psal. 39. quia illam legalis cultus concretionẽ non habet: [sacrificium enim & oblationem noluisti; holocausta, & pro peccato non placuerunt tibi; corpus autẽ aptasti mihi; tunc dixi, Ecce venio, vt faciam, Deus, voluntatẽ tuam.] Quæ autem
Ioan. 6. esset ea Patris voluntas, ipse nos in Euangeliis docuit dicens, [Quia descẽdi de cælo, non vt faciam voluntatẽ meã, sed voluntatẽ eius, qui misit me; hæc est autẽ voluntas eius qui misit me, Patris, vt omne, quod dedit mihi, nõ perdã ex eo,
Ephes. 3. sed resuscitẽ illud in nouissimo die:] nã semetipsum obtulit pro nobis in odorẽ suauitatis. Ob eamq. caussam etiam summi Sacerdotis est dignitate insignitus. Ipse igitur est summus Sacerdos, ipse Thymiama compositũ, ac tenue, quod ip
2. Cor. 2. sum Paulus his verbis testatus est, [Deo autem gratias, qui semper triumphat B
nos in Christo, & odorem notitiæ suæ manifestat per nos in omni loco; Christi enim bonus odor sumus Deo in iis qui salui fiunt; & in iis qui pereunt; his quidem odor mortis in mortem; illis vero odor vitæ in vitam.] Nos etiam alloque-
Ephes. 5. batur dicens, [Estote igitur imitatores Dei, vt filij carissimi, & ambulate in dilectione, sicut & Christus dilexit nos, & tradidit se ipsum pro nobis, oblationẽ, & hostiam Deo, in odorem suauitatis.] Tempus præterea incensi adolendi manifestum fecit, ac sancit, vt omnia ordinate, & honeste fiant, & ita vt iis ad internarum rerum contemplationem nostræ vires adiuuentur, [Mane, inquit, & vesperi cum lucernæ accenduntur, & componuntur;] ac mane quidem, & vespere continuũ, perpetuumq. tempus indicant: porro cum accenduntur lucernæ, adolendũ esse incensum, illud fortassis apte significat, cum diuino lumine illustramur, tum demum Christi bono odore nos abunde compleri, & ita ad interioris tabernaculi bona, idest, ad diuina munera percipienda pergere, quæ Christus C
iis, qui digni sunt, largitur. Itaque, si quis nondum est in lumine per fidem, est proculdubio spiritualis odoris expers, cũ adhuc Christi mysteriũ ignoret: [Ni-
Esai. 7. si enim credideritis, inquit, non intelligetis.] Est enim fides velut primus aditus ad sapientiã perducens, mentemq. quodammodo ad diuini luminis receptionem aperit. Continuationis autem incensum appellat; nullum quippe tempus est, quin Christus in sancto tabernaculo, hoc est, in Ecclesia odorem spiret. Interdicit autem prorsus, ne super illud, nimirum super altare Christi, libamen imponatur, aut offeratur oblatio; nam in Christo abolita sunt, quæ legis erant, & ad finem perueniunt vmbræ, hoc est, vt opinor, libamen, & oblatio; idque
Ioel. 1. propheta testatur dicens, [Ablata sunt de domo Domini sacrificium, & libamen.] Namque, manifestato iam illo adorationis, & cultus genere, quod exhibetur in spiritu & veritate, superuacuæ sunt vmbræ quodammodo, & inanes fi-
2. Cor. 5. guræ, ac prorsus inutiles; noua quippe creatura in Christo: a gratia enim exci- D
Galat. 5. derunt, qui post declarationem veritatis in Lege iustificantur. [Non impones præterea, inquit, super altare incensum aliud,] alium enim recipiemus in Chri-
Matth. 23. sto prorsus neminẽ, neque, Rabbi, cuiquã alteri dicemus; vnus est enim magi-
Cant. 1. ster noster, ac præceptor; eique soli inhærebimus dicentes, [Vnguentũ exinanitum nomen tuũ, propterea adolescentulæ dilexerunt te, traxerunt te post te in odorem vnguentorum tuorum curremus.] An non hoc illud est, [Non impones super illud incensum aliud?] Solus enim Christi bonus odor in Ecclesia satis erit iis, qui sani reuera sunt, cum alium odorem minime quærant, vt certe infelices Iudæi faciunt, qui illud thymiama compositum, ac tenue, idest, Christum præ superbia, ludibrio habent, & sacri huius, ac sane diuini odoris expertes remanserunt,

A manſerunt, alium autem pro eo recipient, [illum nempe filium iniquitatis, qui aduerſatur; & extollitur ſuper omnem, qui dicitur Deus, aut quod colitur, ita, vt ipſe in templo Dei, vt ſcriptum eſt, ſedeat, oſtendens ſe, tamquam ſit Deus] qui diuinum tabernaculum etiam inquinat, cum ſit fumus alienus, &, vt ita dicam, diabolicus fætor; [Erit enim, inquit, illius aduentus ſecundum operationem Satanæ.] PALLAD. Quod dicis, intelligo; eſt enim perſpicua tua oratio. CYRILL. Propitiari autem ſuper altare thymiamatis iubet Aaron ſemel in anno, vngentem ſanguine purificationis peccatorũ capita cornuum; [Sanctum enim ſanctorum eſt,] inquit. Quod tibi perſpicuum faciet beatus Paulus dicens; [Chriſtus vero aſſiſtens pontifex futurorum bonorum, per amplius, & perfectius tabernaculũ non manufactum, id eſt, non huius creationis, neque per ſanguinem hircorum, & taurorum, ſed per proprium ſanguinem introiuit ſemel in Sancta, æterna redemptione inuenta.] Nam, vt idem *2.Teſſal.2.* *Hebr.9.*

B rurſus dicit, [ſemel mortuus, non amplius moritur, mors illi vltra non dominabitur; quod enim mortuus eſt, peccato mortuus eſt ſemel; quod autem viuit, viuit Deo.] Ingrediebatur itaque vir ille admirabilis Aaron in Sancta ſanctorũ ſemel in anno per ſanguinem purgationis peccatorum. Vide autem rurſus in hoc ipſo Chriſtum, ſanguine ſuo pro ſalute omnium ac vita, ſuam crucẽ quodammodo aſpergentem; crucis quippe figura ſunt cornua, quæ manuum inſtar vtrinque exporrecta prominent. Igitur mortuum quidem ſemel Chriſtum intelligẽ, ſed eundem ex natura ſanctum eſſe tamquam Deum. Eſt enim verax Ioannes, qui ait, [Ex plenitudine eius nos omnes accepimus:] eſt enim Chriſti particeps vniuerſa non modo viſibilis, ſed etiam inuiſibilis creatura. Angeli namque, & Archangeli, illæ etiam quæ ſupra hos ſunt naturæ, ipſa denique Cherubim non aliter, quam per Chriſtum ſolum in ſancto Spiritu ſancta ſunt. Ipſe igitur eſt altare, ipſe thymiama, ſummuſq. Sacerdos, ipſe item ſanguis *Rom.6.* *Ioan.1.*

C purgationis peccatorum. PALLAD. Recte ſane dicis. Sed quid tandem ſit ſanguis purgationis peccatorum, perſpicue intelligere nequeo. CYRILL. Cũ præfiguraret Lex illam per ſanguinẽ purgationẽ, & ſacrã illam victimam, (Chriſtum intelligo) per quem ſalui facti ſumus, & maculas, ex peccato nobis inuſtas, eluimus, ad hunc fere modum dixit in Leuitico, [Si autem vniuerſa congregatio Iſrael ignorauerit, & abſconditum fuerit verbum ab oculis congregationis, & fecerint vnum ab omnibus mandatis Domini, quod non oportet fieri, & deliquerint, & cognitum fuerit ipſis peccatum, in quo peccauerunt, adducet congregatio vitulum ex bobus immaculatum pro peccato, & adducet eum prope oſtium tabernaculi teſtimonij, & imponent ſeniores congregationis manus ſuas ſuper caput vituli coram Domino, & immolabunt vitulum coram Domino, & inferet ſacerdos vnctus de ſanguine vituli in tabernaculum teſtimonij, & intinget ſacerdos digitum de ſanguine vituli, & aſperget ſepties *Leuit.4.*

D coram Domino e regione contra velum ſanctuarij, & de ſanguine imponet ſacerdos ſuper cornua altaris incenſi compoſitionis, quod eſt coram Domino, quod eſt in tabernaculo teſtimonij.] Quibus de rebus copioſius a nobis alias dicetur. Conſidera rurſus illum Emmanuel vt in vitulo pro nobis immolari, & nos a peccatis liberare, & a ſupplicio eximere, & a pœnis eripere, & per maius, atque perfectius tabernaculum ingredi non per vitulos, aut hircos, ſed per proprium ſanguinem, & mortem ſemel guſtare: nam, cum ſublimis in ligno penderet, eius latus lancea perfoſſum ſanguine & aqua manauit. Figuram porro crucis non abſurde tenent cornua altaris eminentia, vt in ſuperioribus diximus. PALLAD. Recte ais. CYRILL. Atqui nõ ſanguine ſolum, ſed ſancta quoque aqua purgari oportere, Lex per ænigma iuſſit, quæ via eſt ad purga-

tionem perfectissima, si mysteriũ, quod est in Christo, consideres P A L L A D. A
Quomodo tandẽ, aut qua ratione id ostendit? C Y R I L L. Scriptum est enim,
Exo.30. [Et locutus est Dominus ad Moysen dicens, Fac labrum æneum, & basem illius æneam ad abluendum, & pones illud inter tabernaculum testimonij & altare;& effundes in illud aquam, & abluent Aaron; & filij eius in eo manus, & pedes aqua;cum ingredietur in tabernaculũ testimonij, abluentur aqua, & non morientur, vel cum ingredientur vt ministrẽt ad altare, vt offerant holocausta Domino, abluent manus, & pedes aqua, vt non moriantur:& erit memoriale sempiternum ipsi, & generationibus eius post eum.] Gratiam igitur sancti baptismatis in ea re præfiguratam esse, non est obscurum. Nam, cum baptizamur, non sordium carnis depositionẽ consequimur, sed inquinamẽtis animi, & cordis liberamur, & maculas delictorũ abluimus illius gratia atq. benignitate, qui
Rom.3. nos ad salutẽ vocat. Iustificamur enim nõ ex operibus Legis, vt scripturæ testatur, sed ex fide Iesu Christi. Illud autẽ animaduertas velim Aaron & eos qui- B
bus vna Deo ministrare iussum erat, quamuis ex Lege sancti essent, adhuc tamen aqua manus, ac pedes abluere, ita denique sacra munera obire, & in Sancta sanctorum ingredi omni formidine liberatos. In quo illud quoq. Lex aperte, & euidenter ostendit, atque ipsa res gesta propemodum voce testatur, eum etiam, qui ex Lege sacer esse videatur, profanum apud Deum haberi, nisi abluatur aqua, vimque illam legalis cultus non esse ad purgandum satis efficacem. Itaque, tametsi Lege sanctificati essent, adhuc tamen abluebantur; purgatur autem certe, quod purum est, nihil, sed quod immundum & impurum: eiusmo-
Ioan.13. di quidpiã ipse quoque Christus dixit, [Qui lotus est, nõ indiget nisi vt pedes
Heb.10. lauet; est quippe mundus:] scribit etiam vir sapientissimus Paulus, impossibile esse sanguine taurorum, & hircorum auferri peccata. Imperfecta est igitur Lex ad sanctificationem, nisi iis, qui Dei coniunctionem ardenter expetunt, baptismus quoque salutaris accesserit. Itaque Ioannes quoque ille vir admi- C
randus, quamuis summis ornamentis esset insignitus, & ad eam virtutem progressus, vt iam ad summum verticem peruenisset, se tamen baptizari posce-
Matth.3. bat, cum Saluatori diceret, [Ego opus habeo a te baptizari.] P A L L A D. Ita est. C Y R I L L. Manus autem, & pedes abluti, operum, & ad vnamquamque rẽ gerendam incessus quodammodo puritatẽ, atque sinceritatẽ significãt. Quod vbi accurate præstiterimus, permittitur, vt interius tabernaculum ingrediamur, offeramusq. Deo hostias spirituales, eique bonum odorem euangelicæ conuersationis, thymiamatis instar, consecremus. Neque vero inutiliter præcipit, vt, qui velint in Sanctasanctorum ingredi, quiq. sacra munera procurant, abluantur, ne moriãtur. Periculosum est enim, & haud impunitum, ad
1.Cor.11. Deum non purgatos accedere. Itaque nobis vir ille sapiens Paulus mãdat, vt, si mysticæ benedictionis participes esse velimus, nos ipsos probemus, atque ita denique accedamus: esse autem hanc in eiusmodi rebus negligentiam, rem pe- D
riculi plenam aperit, dicens, [Ideo multi infirmi inter vos, & imbecilles, & dormiunt multi: si enim nos iudicaremus, non vtique iudicaremur; dum iudicamur autẽ a Domino, corripimur, vt non cum hoc mundo damnemur.] P A L L A D. Certum est igitur sacrum illud labrum sancti baptismatis gratiã præfigurasse. C Y R I L L. Sic se habet, neque prorsus ambigendum putes. At, si eius præterea opificij rationẽ consideres, multo etiam magis, nisi fallor, admirabere: sic enim scriptum est de Beseleel, qui tabernaculi opera fabricatus est, [Hic fecit labrum æneum, & basim eius æneam e speculis ieiunantium mulierum, quæ ieiunabant prope ostia tabernaculi testimonij in die, qua fixit illud; & fecit labrum, vt abluerent ex eo Moyses, & Aaron, & filij eius manus suas, & pedes,

A & pedes, cum ingrederentur in tabernaculum testimonij, aut cum pergerent ad altare, vt ministrarent Deo, abluebantur ex ipso, vt constituit Dominus Moysi.] PALLAD. Quid autem speculis opus erat? quæve etiam illæ, quæ ieiunauerant, fuere? CYRILL. Multæ res gestæ haud aperte in Scriptura sacra explicantur, sed obiter tamen significantur; quale hoc est, quod in manibus habemus: nam vbi quive ieiunauerint, dum sanctum tabernaculum erigeretur, id Moyses non exposuit; sed quin factum sit, nemini dubitare licet: etsi enim parum perspicue, dictum est tamen. Sed, hoc prætermisso, ad illud pergamus. PALLAD. Quodnam illud? CYRILL. Nempe, cuius rei figura fuerint mulieres, quæ ieiunauerūt; cuius etiam, quod e speculis labrum æneum factum est. PALL. Atqui tui muneris est, id etiam explicare. CYRILL. Accipe igitur. Genus Israelitarum, cum seruiret AEgyptiis, ac diu in illorum legibus vitam traduceret, idola coluit: mos igitur erat præcipue apud mulieres
B AEgyptiorum linea veste indutas, adire templa, speculum sinistra, sistrū dextra sacro habitu gestantes, eumq. honorem, immo, vt verius ac melius dicam, contumeliam illæ quidem, quæ inter ceteras maxime excellerent, & sacris essent initiatæ, vix obtinebant. Mulieres igitur ex genere Israel reliquias illius cultus, quem in AEgypto seruauerant, cum in sua supellectili reperissent, hæc ipsa inquam specula oblationis caussa detulerunt, eaque ad labri vsum translata sunt: cumque sanctum tabernaculum erigeretur, illæ ieiunauerunt, ad ostiū assidentes, & per omnia caste degentes: quo facto significabatur, veriore iam tabernaculo manifestato, idest, Ecclesia, quod tabernaculum fixit Deus, & non homo, *Heb. 8.*
vt beatus Paulus scribit, tempus iam esse profecto, vt, qui ad venerationem Dæmoniorum gregis dicati erant, in sacra vasa mutentur, quæ sint ad sancti baptismatis receptionem apta; adeo vt ornamentis, quæ supra Legem sunt, excellere possint: hoc enim est, vt opinor, e gentilium speculis, seu diabolicis thesauris
C labrum æneum formari, in quo iam aqua sit, qua ipse quoque Moyses purgetur, quæque ad ablutionem nimirum spiritualem legali sacerdotio sit vsui. An tu ipse, Palladi, qui in errore seducti erant, & dæmonia coluerant, eos non vasa fuisse diabolica censes? PALLAD. Ego vero quidni fatear? CYRILL. Ieiunauerunt porro eæ mulieres ad ostia sancti tabernaculi, idque præclarum est, ac scitum ænigma, qui in Christo iustificati sunt, eos non per sanguinem ingredi in Ecclesias, sed potius spiritualibus hostiis insignitos, & temperantiam atque continentiam & mortificationem quandam carnis, quasi donum quoddam offerentes, [Exhibete enim, inquit, corpora vestra hostiam viuentem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum:] & iterum, [Glorificate igitur Deum in corpore vestro.] Igitur, quæ cum tabernaculum erigeretur ieiunauere mulieres, animarum imaginem referunt, quæ non mosaicis adhuc mandatis instituuntur, sed iam spiritualem potius, euangelicamq. conuersationem *Rom. 12.* *1. Cor. 6.*
D ostendunt, terrenasq. voluptates non sine labore calcant, &, dū execranda illa, atque nefaria carnalis libidinis crimina subire non sustinent, præclare ad illam incorruptam pulchritudinem reformantur. An vero non hæc est nostra viuendi ratio, qui ad sanctificationem, gracilitatemq. illam spiritualem vocati sumus? PALLAD. Maxime vero. CYRILL. Atque hæc quidem hactenus de sacris instrumentis dixisse sufficiat. Iam vero ipsum tabernaculum quomodo positum sit, & extructum consideremus: quamuis autem ea res recondita sit, nostrumque modū superet, nihil tamen officit omnino, quominus vndique studiose colligamus, quod vtile sit, & ea etiā quæ longe sublimiora sunt, quoad possumus, aggrediamur. PALLAD. Recte ais. CYRILL. Ac, si quis hæc velit nimium subtiliter explicare, longa erit vnaquaque de re ac multiplex

 oratio.

oratio. Illud tamen sciendum est ex illis instrumentis quædam contemplationem attingere, & ad rationes mysticas pertinere, quædam esse ad ornatum, & vsum tabernaculi fabricata. Orationis itaque longitudine, quoad fieri poterit, circumcisa, breuiter dicam; narrationemque perstringam: dicit igitur, A
Exo. 26. [Et facies tabernaculum, decem aulæa ex bysso torta, & hyacintho, & purpura, & coccino neto: Cherubim opere textorum facies ipsa: longitudo vnius aulæi octo & viginti cubitorum, & latitudine quatuor cubitorum erit aulæum vnum: eadem mensura erit omnibus aulæis: quinque autẽ aulæa erunt sibi inuicem cohærentia alterum ex altero, & quinque aulæa erunt cohærentia alterum alteri.] Decem itaque cortinæ sunt, & inter se arctius consertæ: multæ namque mansiones sunt apud Patrem: & qui in illis habitant, vnum profecto
1. Cor. 7. omnibus est, ac pium propositum, vna etiam de Deo cognitio; in pace namque vocauit nos Deus, vt scriptum est. Poteris autem decem aulæa, si placet, accipere, atque existimare summam esse omnium, quæ vbique sunt, Ecclesiarum, quæ minime in diuersas sententias, & compugnantes opiniones diuisæ sunt, sed coniunctæ spiritu, & per vnitatem, quæ est in Christo per fidem, quasi in vnum constrictæ: vbique enim, & in omnibus vnus Dominus, vna fides, B
Eph. 4. vnum baptisma. Vniuscuiusque autem aulæi latitudo quatuor cubitorum est, & viginti & octo longitudo; & id quidem ænigma operosius est, atq. subtilius: illud tamen obscure, ac latenter eo significari arbitror, Legis institutionem admitti in Ecclesias, angustam quidem illam propter litteræ obscuritatem, sed tempore in longum progrediente, finem habituram in ipso Christi mysterio, idest, octauo die, seu in resurrectione, quæ octauo die contigit: finis quippe Legis, ac prophetarum Christus; ad quem etiam beatus Dauid clamabat,
Psal. 118. [Latum mandatum tuum nimis.] Scribit etiam beatus Paulus ad eos, qui cul-
2. Cor. 6. tum Legis, Christi fidei præferebant, [Os nostrum apertum est ad vos, Corinthij; cor nostrum dilatatum est: non angustamini in nobis; angustamini autem in visceribus vestris: eandem autem habentes remunerationem, tamquam filiis dico, dilatamini & vos; nolite iugum ducere cum infidelibus.] Vides igitur quemadmodum velle Iudæis incredulis adhærere post fidem, ea, quæ in Lege sunt, loquentibus, in angustum adducat? PALLAD. Intelligo. CYRILL. Sunt autem aulæorum vela ex bysso torta, & hyacintho, & purpura, & coccino neto. Varius est enim Ecclesiæ ornatus. Idque etiam beatus Dauid psallendo C
Psal. 44. canit, sic de illa dicens, [Astitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato, circundata, variegata:] ornamentum autem ipsius, ac multiplex decor, Christus est, qui, cum vnus secundum naturam sit, figuris tamen multis, ac diuersis intelligitur, velut, ne longius abeam, & bysso torta, quod illud ex Deo Patre genitum Verbum, cum tenue sit, & incorporeum secundum naturam, tortum est quodammodo, eo quod eum carne quasi consertum est; byssus est igitur torta: hyacintho præterea simile, quia non ex terra, sed superne, ac de cælo, nam hyacintho persimile est hoc sublime, & superum, & ætheriũ corpus, quod ad ipsum vsque firmamentum pertinet. Vt hyacinthus igitur, quia de cælo est: purpura vero, quia minime seruus, tamquam factus, sed ex Deo rex, & vniuersorum dominus: tortum porro coccinũ, quia cum esset cum carne consertum, vt modo dixi, & tamen vere Dei Verbum, suum sanguinem pro nobis dedit; sanguinis quippe signum est coccinum. Cherubim autem depicta erant in pellibus; qua in re aptissime fortasse significatur, summis ima coniuncta, atq. cælestibus virtutibus terrestrem ecclesiam esse connexam. Illud autem scitu dignum est, sapientissimum quoque virum Salomonem in parietibus templi Cherubim insculpsisse, atque ad hunc eundem modum effectam illam esse do- D

mus de-

A mus deſcriptionem, quæ Ezechielis voce ſignificatur. Aulæorum porro tegmi-
na ſunt vela capillacia anſis & circulis conſtricta: operimenta præterea ſuper-
iecta hyacinthinæ pelles, & pelles arietum rubricatæ, quæ Chriſtum Eccleſiæ
protectorē indicant; per hyacinthum rurſus, vt pote qui e cælo ſit, ſuperisq. lo-
cis, per colorem autem rubrum, vt qui in carne ſit ortus; talis eſt enim quodam-
modo carnis color. PALLAD. Harum rerum contemplationem non ab-
ſurde ſe habere cenſeo. CYRILL. Columnæ autem aulæorum in latitudine
quidem cubitum ac dimidium habent, in longitudine denos; earumque tum
capita tum corpora erant auro conſperſa, biniſque baſibus, iiſque argenteis in-
nitebantur. In ſingulis porro columnis rurſus Chriſtus intelligitur, Eccleſiæ 1. Tim. 3.
fulcrum, ac veritatis firmamentum, vt Paulus ait. Omnia vero ipſe confirmat,
& continet; nam per vnum cubitum atque dimidium tum perfectus, quod
ad naturam diuinitatis pertinet, tum vero minor, vt in menſura humanitatis
B oblique ſignificatur. Neque vero abſurdum eſt, ſi dicamus, perfectiſſimum qui-
dem eſſe Chriſtum, vt in integro cubito, cum Deus ſecundum naturam ſit;
eundem tamen vt in dimidio cubito ex humana natura ſubmiſſiorem. Nihil eſt
enim in rebus ortis perfectum: porro ille Vnigenitus, cum diues eſſet, pauper Philipp. 2.
in nobis factus eſt, ac ſeſe ad exinanitionem demiſit. PALLAD. Ita eſt.
CYRILL. Non igitur æquare poterit diuinitatis excellentiam humana na-
tura; id enim fieri minime poteſt. Itaque, vt qui noſtri ſimilis factus eſſet, atque
etiam intelligeretur, dicebat, [Pater maior me eſt;] cum tamen ex natura Ioan. 14.
diuinitatis æqualis ſit, & nihilo inferior excellentia genitoris. Longitudo ve-
ro columnæ decem cubitorum erat; eſt enim Chriſtus, quod ad diuinitatis ſu-
blimitatem pertinet, perfectiſſimus; porro in diuinis litteris denarius numerus
perfectionem ſignificat. Aureum eſt præterea columnæ caput, & item corpus;
eſt illud viciſſim de Virgine templum ſummæ illius naturæ inhabitatione præ-
C diues: diuinitatis quippe ſymbolum eſt aurum, cum omnibus præſtet, ſi metal-
li rationem conſideres. Baſis præterea ex argento, ac duobus conſtat, ſplen-
det item in terris, & illuſtris eſt Chriſtus, vnde illud eſt, [Deus dominus, & il- Pſal. 117.
luxit nobis:] geminaque eſt eius cognitio, vtrumque enim in eo Deus & ho-
mo intelligitur; hoc enim eſt, vt opinor, duplicem habere quodammodo &
argenteam baſim. PALLAD. Recte coniicis. CYRILL. Illud tamen
animaduertas velim. PALLAD. Quid iſtud tandem? CYRILL. Nam,
cum ad decem aulæa totum tabernaculum porrigi iuſſiſſet, hæc interponit ver-
ba, [Et facies vela capillacia tegumentum ſuper tabernaculum: vndecim facies Exo. 36.
ipſa vela, longitudo vnius veli erit triginta cubitorum, & quatuor cubitorum
latitudo veli vnius: eadem longitudo erit velis vndecim; & coniunges quinque
vela inter ſe, & duplicabis velum ſextum in facie tabernaculi; & facies anſas
quinquaginta in ora veli vnius, quod eſt intermediū in cōmiſſura: & quinqua-
D ginta anſas facies in ora veli cohærentis ſecundi.] Quidnam eſt hoc, Palladi?
nam, cum decem aulæa erigat, quæ cauſſa eſt, cur non totidem ſint vela, ſed
vnum ſuperfluat, nimirum vndecimum? Coniunges enim, inquit, quinque ve-
la inter ſe, & ſex vela inter ſe. PALLAD. Ego vero quid dicam, non habeo.
CYRILL. Atqui ipſa collocatio perſpicuum faciet, quod quæritur. PAL-
LAD. Quo tandem modo? CYRILL. Nam quinque aulæa, inquit, inter
ſe connexa fieri oportere, quinque itidem altera, eadem figura, eodemque mo-
do oppoſita, quibus e regione, atque ex aduerſo erectis, ex aquilonari latere
verbigratia, & auſtrali, aut certe ab ortu & ab occaſu, vndecimum iam interme-
dium latus efficiebat, quod illa decem aulæa ſeiungeret, duas in partes diuiſa,
quo ex latere vndecimum velum tendebatur, annulis atque anſis vtrumque la-

 tus conti-

tus continens;huius quoque lateris columnæ ceteris similes erant,numero tantum pauciores; nam illa quidem decem vela, vt iam dixi,per longum porrigebantur cubitis octo & viginti,sed vndecimum,quod medium erat inter cetera, cum longitudine latitudinem quinque reliquorum æquaret, quæ singula quaternos cubitos habebant, ad vicenum cubitorum spatiũ protendebatur. Hanc ob caussam inquit, Et duplicabis velũ sextum ante faciẽ tabernaculi:ne, quod protensum redundabat,tabernaculi pulchritudini officeret. In hoc igitur,quod ceteris medium interiectum erat, & tamquam vndecimum, sacra illa diuinaq; vasa collocata erant, quæ in se ipsis vario modo illum Emmanuel figurabãt:ac fortassis ille numerus hoc quoque significabat, in extremis sæculi temporibus, & vndecima ferme hora, Christum & illud tabernaculum, quod Christum continebat, idest Ecclesiam, apparuisse. PALLAD. Nihil absurdi est vt videtur, existimare huius quoque rei rationem apte redditam esse. CYRILLVS. Postquam igitur verba de tabernaculo fecit, ac figuras præbuit, [Et faciès, inquit, atrium tabernaculo in latere, quod respicit ad Austrum,& tentoria atrij ex bysso torta: longitudo centum cubitorum erit vni lateri, & columnæ eorum viginti, & bases earum viginti æneæ, & circuli earum, & arcus earum argentei: sic etiam in latere,quod est ad Aquilonem,tentoria longitudine centum cubitorum,& columnæ eorum viginti,& bases earũ viginti æneæ, & circuli earum, & arcus columnarum, & bases earum inargentatæ argento: latitudo autem atrij, quæ vergit ad mare, tentoria quinquaginta cubitorum, columnæ eorum decem, & bases earum decem.] Animaduerte igitur angusta quidem priora illa aulæa fuisse,& quæ ad tres cubitorum decadas peruenirent, latitudine namque quatuor cubitorum erant, longitudine octo & viginti;quæ vero post illa sequũtur,lata adeo ac longa;centum enim per centum habebant, & quinquaginta per quinquaginta, pertinebantque hoc quidem ad Ortum, illud vero ad Occasum & Austrum. PALLAD. Quidnam tandẽ hoc ænigma significat? CYRILL. An non hoc illud est plane, quod olim per Esaiæ vocem,Ecclesiæ in extremis temporibus declaratæ, promissum est, [Dilata locum tabernaculi tui, & aulæorum tuorum, fige, ne parcas adhuc in dextram, & sinistram extende:] angusta enim erat initio Christi Ecclesia, postea ad Ortum, & Occasum, & Septemtrionem, & Austrum dilatatur, & ad omnem locum peruenit. PALLAD. Vera dicis. CYRILL. Animaduerte autẽ alias omnes columnas decem aulæorum, & illius intermedij auro contegi iussisse,sed basibus duplicibus inniti ex argento factis: atque huius rei quoque ratio iam reddita est, vt opinor; ceterum longorum, latorumque aulæorum columnas alia ratione exornati iubet;nam a capite ad pedes ornari argento præcipit;sed basibus niti æneis, ac deargentatis:id quoque non absurde Christi figuram gerit;atque argento quidem significatur,luminis instar illum splenduisse, cum vt Deus radiis nimirum spiritualibus fulgeret. Claram vero, ac resonantem in terris eius prædicationem,idest, præconium euangelicum fuisse, æs illud deargentatum oblique nobis indicat; nam æs quidem resonat, sed argentum clarum est, ac lucidum. Inest autem vtrumque in euangelico præconio: ac videre licet Saluatoris nostri prædicationem summa pietate claram, ac puram esse, & per vniuersum orbem terrarum resonare. Quod si quis velit sanctos Apostolos, & Euangelistas, vt in eiusmodi columnis præfigurari, is non absurde cogitabit: sunt enim sane quasi deargentatæ,cum sint Christi illuminantis participes. Itaque ait, [Et erit splendor domini Dei nostri super nos.] Appellantur præterea, Lux mundi. Quid? nonne iidem æri deargentato insistunt?nam velut firmamentum quoddam illorum est,quod splendida, resonantique prædicatione vtuntur

Margin notes: A; B; C; Esai. 54. (beside "vocem,Ecclesiæ..."); D; Psal. 89. (beside "cipes. Itaque ait...")

A ne vtuntur, [Dominus enim, inquit, dabit verbum euangelizantibus virtute Psal.67.
multa.] Speciosos item esse pedes euangelizantium bona, scriptum est. PAL- Esai.22.
LAD. Recondita est ista quidem expositio; sed tamen ad veritatem proxime
accedit. CYRILL. Cum igitur de aulæis præcipere desiisset, ad olei, & vnguen
ti, & thymiamatum compositionẽ transit, ita dicens, [Et tu præcipe filijs Israel, Exo.27.
& accipiant tibi oleum ex oliuis, defecatum, purum, contusum, ad lumen, vt ar
deat lucerna semper in tabernaculo testimonij extra velum, quod est super arcã
testimonij, & accendet illam Aaron, & filij eius a vespera vsque mane coram
Domino, legitimum sempiternũ in progenies vestras a filijs Israel.] PALLAD.
Quid istud tandem est? CYRILL. Necessarium sane in primis, vt declaretur, &
scitum esse ænigma censeo: nã septem lucernis ardentibus, ac semper in taber-
naculo lucentibus, Christi illuminatio aptissime comparatur, quæ ad animos
fidelium illustrandos, atque accendendos, complendosque sufficit: nam septena-
B rius numerus vbique significationem perfectionis insinuat, vt, cum verbigratia
dicit, [Sterilis autem peperit septem,] id est, plurimos, & quot opus erat, vt satis 1.Reg.2.
essent. Accendunt porro lucernas Aaron, & reliqui sacerdotes, qui ei successe-
runt: non enim extinguitur illa Christi illuminatio, quæ in Ecclesijs, eorum qui
ad sacerdotij munus eliguntur, probitate seruatur, dũ rectis disciplinis animos
credentium illustrant: hoc enim, vt opinor, est a vespera vsque mane ardere lu
cernas. Tenebras autem esse puto errorem, ad quem Diabolus impellit, ac spi-
ritualem quodammodo noctem animis hominum offusam, censeo nefariorum
hæreticorum obscuras, tenebricosasque fabulas. Perpetuum igitur, ac iuge no
stri Saluatoris lumen in Ecclesijs videbitur, si earum magistri diuina, euangeli-
caque præconia recte interpretentur. Purgatum porro est oleum; nam ab omni
fece atque crassitudine prorsus remota est illa de diuinis dogmatis recta ac ve-
ra, & omnis vitij expers prædicatio, quæ illam Saluatoris nostri illuminationẽ
C semper excitat; non quod ipsa per se aliquid ad Christi splendorem adijciat,
(nam illum putare hominis opera indigere, summæ dementiæ est) sed quod, cũ
lux vera, & splendor Patris sit Christus, doctorũ rectis prædicationibus idipsũ,
quod reuera est, credentium mentibus appareat. PALLAD. Cur autem oleũ
ex oliuis esse dicit? nam verba tam accurate dicta fortasse contemplationem ali
quam necessariam continent. CYRILL. Optime existimas. Dicã itaque, quod
in mentem venit. Non ex oliuis solum, Palladi, olei vsum quærere solent eius-
modi rerũ periti, sed ex alijs quamplurimis alienis, terrestribusque seminibus:
atque illud quidem sincerum ex oliuis est probatissimis; adulterinũ porro, & vi
quadam, & ex arte factum, & quodammodo minime verum, illud nimirum,
quod e terrestribus seminibus conficitur. Sinceræ igitur, ac veræ prædicationi,
quæ per supernam sapientiã ijs, qui sunt idonei, subministratur, oleũ ex oliuis
confectum aptissime comparatur. Illud vero genus, quod ex humanis cogitatis,
D & instinctu dæmoniaco repertũ est, ei persimile oleo videtur, quod ex quorundã
arte, & tabernariorum opera conficitur, cuiusque vsus est minime legitimus.
Inutilis porro est eiusmodi prædicatio & reiiciẽda, & omnino ad scientiæ Chri
sti illuminationem inefficax. Itaque in Ecclesijs minime recipitur, neque fra-
grantiam sancti Spiritus habet, [nemo quippe dicit, Dominus Iesus, nisi in Spi 1.Cor.12.
ritu sancto] neque sinceritatem, ac puritatẽ veritatis, aut vsum aliquem, qui in-
telligentiam adiuuet. Illud autem obserues velim, Legem præcipere, vt a filijs
Israel eiusmodi ex oliuis oleum afferatur: vt enim paulo ante dixi, prædicatio
veritatis Deo tamquam fructus quidam, atque oblatio spiritualis a nobis offer
tur, quæ Christi illuminationem in ijs, qui mysterijs imbuuntur, extingui non
sinit. Ceterum extra velũ lucernæ & imponuntur & accenduntur. Nam Chri-
stus, quia


stus,quia secundum naturã lumen est,nõ indiget lumine; sed nobis,qui eo ipso, A
quod sumus orti,extra diuinitatem sumus,suum lumen immittit. Intra velũ por
ro arca posita erat,ad Christi figuram,atque imaginem referendam. PALL.
Exod. 30. Recte dicis. CYRILL. Deinde inquit,[Et locutus est Dominus ad Moysen
dicens,Et tu accipe aromata, florem myrrhæ electæ quingentos siclos,& cinna
momi fragrantis eius dimidium,ducentos quinquaginta,& calami fragrantis
ducentos quinquaginta,& casiæ quingentos siclos sanctuarij, & oleum ex oli-
uis,& facies illud oleum vnctionis, sanctũ vnguentũ compositum arte vnguen-
tarij;oleum vnctio sancta erit:& vnges ex eo tabernaculũ testimonij,& arcam,
& candelabrum,& omnia vasa eius, & altare incensi,& altare holocaustorum,
& omnia vasa eius,& mensam,& omnia vasa eius, & labrum, & basim eius,&
sanctificabis ea; & erunt sancta sanctorum; & omnis qui tetigerit ea, sanctifi-
cabitur: & Aaron, & filios eius vnges, & sanctificabis eos, vt sacerdotio fun-
gãtur mihi;& ad filios Israel loqueris dicens, Oleum linitio vnctionis sanctum B
hoc erit vobis in progenies vestras: super carnem hominis non linietur ex eo;
& secũdum hãc compositionem non facietis vobis ipsis similiter:sanctum est,
& sanctificatio erit vobis: quisquis fecerit similiter, & quisquis dederit ex eo
alienigenæ,exterminabitur a populo suo.] De qualitate igitur,& compositio-
ne, inæqualitate etiam, quod ad pondus pertinet, dictorum aromatum, nihil
equidem habeo dicere;sapientibus enim veritas cara est; oleũ porro cum aro-
matibus mistũ significat, vt mihi certe videtur,illã in Christo per Spiritũ san-
Psal. 22. ctificationẽ,quæ misericordiã consecutis tribuitur. Vnde est illud,[Impinguas-
sti in oleo caput meũ.] Vngitur autem tabernaculũ, & omnia, quæ in eo sunt;
nã locus quoque fit sanctificationis particeps per eum, qui in eo habitat. San-
ctificantur vasa quoque,eo qui illis cõuenit, modo;vt ad exhibendũ Deo cul-
tũ,vsum præbeant. Et qui tangit ea,sanctificabitur. Ab iis igitur, qui profani
2. Cor. 6. adhuc sunt,sancta sacrasq. res cõtingi nefas est: [quæ enim societas luci ad te- C
nebras?]sicut scriptum est. Interdicit autẽ omnino,ne similem huic olei cõpo
sitionem sibi faciant; solius enim Dei proprium est sanctificare, eaque res illi
tamquam eximia tribuenda est; nam ortæ conditæq. naturæ qui tandẽ inesse
poterit facultas sanctificandi ceteros, quæ cælitus impartitam sanctificatio-
nem vix assequi potest? Cui potius conuenit vocem illam sanctorum virorum
1. Cor. 3. insonare, [Quid habes, quod non accepisti?] Quinetiam de vnigenito Filio
Ioan. 1. inquit Ioannes,[Ex plenitudine eius nos omnes accepimus;] &,[Non ad men-
Ioan. 3. suram dat Spiritum:] sed potius, cum sit ipse fons sanctificationis,iis,qui di-
gni,& idonei sunt, Spiritum admetitur,& rationalem creaturam sanctificat.
[Super carnem vero hominis, inquit, non linietur ex eo.] Atqui iusserat, vt
ex ipso tum Aaron,tum eius in sacerdotali munere socij vngerentur. Est igitur
sacrum illud genus supra hominẽ,vt pote quod Christi particeps est, qui crea-
turis omnibus excellit, ob eamque caussam, cum ad superiorem ipsa quoque D
natura dignitatẽ nos eueheret,atque a terrenis rebus quodãmodo præcideret,
Matth. 23. superisque coniungeret, [Patrem, inquit, ne vocetis vobis super terram; vnus
est enim pater vester, qui est in cælis; omnes autem vos fratres estis.] Exter-
Matth. 8. minationis autem pœna iis constituta est,qui ex eo alienigenæ dederint. [Ne
detis enim, ait, sancta canibus, neque proiiciatis margaritas vestras ante por-
cos.] Nam,quæ recondita sunt,& sanctis duntaxat cõueniunt, ea nulla ratione
habita, iis,qui sunt adhuc infideles,prodere, periculi plenum est:neque enim,
qui profani sunt adhuc,& immodica impuritate laborant;sed,sancto baptisma-
te purgati sanctificantur. PALL. Vera dicis. CYRILL. Eademq. ratione ac
Exo. 30. modo thymiamatis cõpositionẽ fieri iussit,dicens,[Et tu cape tibi ipsi aromata,
stactem,

A staćten, onychem, & galbanũ suaue olens, & tus lucidum; paria inter se erunt; & facient ex ipsis thymiama vnguentarium, opus compositionis vnguentarij mistum purum, opus sanctum, & comminues de illis minutim, & pones contra testimonia in tabernaculo testimonij, vnde innotescam tibi inde: sanctum sanctorum erit vobis thymiama. Secundum hanc compositionem non facietis vobis ipsis; in sanctificationem erit vobis Domino. Quisquis fecerit similiter, vt eius odore fruatur, peribit de populo suo.] Rursus hic locus latenter nobis indicat, quæ propria sunt, ac præcipua illius præstantissimæ omnium naturæ, ea ad nullam rem creatam essentiæ ratione pertinere posse, omninoq. quod ad dignitatis rationem, & honorum excellentiam pertinet, commune creaturæ cum factore atque Domino nihil est. Meminerimus autem dixisse nos, altare aureum & ipsum thymiama tenue, atque compositum Christum esse, atque ipsum Emmanuel nobis vtroque significari. Igitur, si ad Christum
B refertur thymiama, cum mirum in modum suaui odore sit, non faciemus nobis thymiama illi simile, nam alterum præter ipsum recipiemus neminem, sicut nimirum infelices Iudæi filium iniquitatis; ij namque sibi composuisse deprehenduntur ad similitudinem illius odorati atque eximij thymiamatis, quod Deo & Patri dicatum est, qui odorem notitiæ suæ nobis manifestauit in Filio, per quem nos quoque bene olemus; non quasi nobis thymiama illud tenue composuerimus, sed tamquam illius participes, cum & gratia sancti Spiritus vncti simus, & per christianam conuersationem commendari studeamus. PALLAD. Per omnia igitur ea, quæ in tabernaculo erant, Christi nobis, vt videtur, mysterium adumbratur. CYRILL. Præterea admirabere, si didiceris, etiam ipsos opifices tabernaculi in se ipsis Christi imaginem referre. PALLAD. Quomodo tandem? nam istud quidem excogitare nequeo. CYRILL. Scriptum est enim iterum, [Et locutus est Dominus ad Moysen, di- *Exo. 31.*
C cens, Ecce vocaui ex nomine Beseleel filium Vriæ, filij Or ex tribu Iuda, & repleui eum spiritu diuino, sapientiæ, & intelligentiæ, & scientiæ ad excogitandum in omni opere, & fabrefaciendum, & operandum aurum, & argentum, & æs, & hyacinthum, & purpuram, & coccinum netum, & byssum tortam, & ad lapides elaborandos, & ad lignorum opera fabrilia, ad operandum iuxta omnia opera; & ego dedi ipsum, & Eliab filium Achisama, ex tribu Dan; & omni qui sapiens est corde, dedi sapientiam; & facient omnia quæcunque præcepi.] Animaduerte igitur præesse quidem opificiis Beseleel, Eliab vero opera efficere. PALLAD. Quid vero istud est? CYRILL. Audies iam; Iudas & Dan ambo quidem ex genere Iacob fuere; sed ille quidem ex Lia libera susceptus, hic ex ancilla Bala. Beseleel igitur figura est euidens Christi, qui secundum carnem ex tribu Iuda extitit, atque ex natura vere libera, nimirum diuina illa atque suprema. Eliab quoque illorum figuram optime præse-
D fert, qui ex Hierusalem ancilla nati, Christo cooperati sunt, Apostolos dico & Euangelistas; Dei enim cooperatores fuerunt, in constituendis Ecclesijs prope *1. Cor. 3.* modum laboranti, atque operam danti. Conferebant etiam ex studio ac probitate operas ad tabernaculum conficiendum omnes, qui erant sapientes corde, doctorum imaginem tenentes, qui suo quisque tempore futuri erant, quiq. ad Dei opera, & quæcunque ad vtilitatem Christi Ecclesiæ pertinent, efficienda omni studio, curaque incumbunt.

FINIS LIBRI NONI.

SANCTI

SANCTI CYRILLI
ARCHIEPISCOPI ALEXANDRIAE
DE ADORATIONE IN SPIRITV ET VERITATE



LIBER DECIMVS.

De ijs, quæ erant in Tabernaculo.



VM igitur perſpicua tibi, Palladi, ac ſatis plena vide- A
tur oratio, quã de tabernaculo, & iis, quæ in illo erant,
habuimus? PALLAD. Perſpicua illa ſane quidẽ;
ſed certe haud ſatis plena. CYRILL. Placetne igi-
tur, vt ad id rurſus redeamus, quod tibi in iis, quæ de
tabernaculo narrata ſunt, deeſſe videtur? nam fortaſſe,
niſi fallor, exiſtimas eam orationis partem eſſe adiun-
gendam, qua planum fiat, quomodo illud erectum ſit,
quo etiam tempore, quave ratione, quæ in illo erant,
compoſita ſint: de iuſtificationibus etiam ac legibus & encænijs & ſanctifica-
tione, ac denique de iudiciis eſſe nonnihil dicendum. PALLAD. Igitur
denuo de ſingulis diſſere: recte enim cogitas. CYRILL. Ego vero dicam.
Sed te ad ignoſcendum facilem eſſe velim, illud cogitantem, ſummam eſſe re-
rum ad contemplandum propoſitarum difficultatem: ac, ſi quid fortaſſe dixe- B
ro, quod a certa ratione aberret, & a recta veraq. expoſitione diſcedat, emenda
& corrige: te enim ſociũ adiutoremq. meæ orationis adhibebo. PALLAD.
Perge, Dei auxilio fretus. CYRILL. Completis igitur operibus taberna-
culi, & ſingulis, quæ in eo continebantur, ad illius pulchritudinis in monte de-
monſtratæ ſimilitudinem ſapienter & artificioſe factis, locutus eſt Dominus ad
Exo. 40. Moyſen dicens, [In die vna menſis primi nouilunio eriges tabernaculũ teſtimo
nij:] Et poſt alia rurſus, [Et factum eſt, inquit, in menſe primo, ſecundo anno,
poſteaquam egreſſi ſunt ex AEgypro, nouilunio erectum eſt tabernaculum: &
erexit Moyſes tabernaculum.] Erectum eſt igitur vetus illud tabernaculum
Dei voluntate, quod Eccleſiæ, quæ in Chriſto intelligitur, in ſe ipſo figuras opti
me præferret. Sed peruestigemus, ſi videtur, quibus de cauſſis per Moyſen po-
tius

A tius erectum sit. Ac de Iesu, filio Naue ad præsens sileatur, quamuis ille semper beato Moysi præsto fuerit,& vna in montem Sina conscenderit,& ad Moysi iussum bellum gesserit, & cum Amalec signa contulerit; sic enim illi dixit, [Elige tibi viros fortes,& egressus pugna cum Amalec cras: & congressus est, *Exo.17.*
ac vicit:] Quænam sit igitur huius rei ratio, nonne exquirendum putas?
PALLAD. Maxime vero. CYRILL. Si igitur in vnaquaque re gesta mysterij rationem quis velit, quoad fieri poterit, accurate tractare, obstupefactus dicet, [O altitudo diuitiarũ & sapientiæ & scientiæ Dei!] Vide enim quam subtilis, & quàm vtilis sit in vnaquaque re sensus: nam, ascendente in montem *Rom.11.*
beato Moyse, simul ascendit Iesus: neque enim aliter adiri ad Patrem potest nisi per Filium: vere enim dicit, [Nemo venit ad Patrem nisi per me.] In Christo igitur ipsis quoque sanctis viris patet aditus; neque cuiquam fas est ad *Ioan.14.*
excelsam sublimemque contemplationem quasi in montem ascendere, neque
B vero propius ad Deum accedere, eo nimirum coniunctionis modo, qui in spiritu & sanctitate conuersationis efficitur, nisi illi adsit Emmanuel,&, quæ hominibus ardua sunt & inaccessa, peruia reddat ac plana: idq. esse arbitror, quod est Esaiæ voce dictum, [Omnis vallis implebitur,& omnis mons & collis humiliabitur, & omnia praua erũt in directa,& asperæ in vias planas:] In Christo enim *Esai.40.*
nobis ardua omnia plana sunt,& aspera peruia; facilia item ac prona, quæ sunt inaccessa: vt enim propheta ille idẽ alibi dicit, [Via piorũ recta facta est: parata est via piorum.] Necessario igitur vna cum beato Moyse cõscendit Iesus; nã, vt *Esai.26.*
modo dixi, per Filium adiri potest ad Patrem, & ipse Filius mediator est, qui nos per se coniungit, & ad illam sublimitatem, quæ est natura excellentior, attollit: aciem quoque cum illis selectis egregiisq. viris instruxit, & vicit Amalec. Christus enim, cum sanctos viros elegisset, quorum primitiæ beati illi discipuli fuerunt, vicit ille quidem Principem huius sæculi; sed Moyse iubente;
C factus est enim sub Lege Filius, quamuis idem Legislator esset, qua Deus erat. Pugnæ præterea tempus non ipso die fuit, quo Moyses iussit, sed postridie; idest, dilata est in aliud tempus: nam Lex futura prænunciabat, & Saluatoris nostri res præclare gestas splendide demonstrat, si spiritualiter intelligatur. Hac de caussa, nisi fallor, etiam tabernaculum erexit Moyses: neque enim illa Legis disciplina est ad Ecclesiæ constitutionem inutilis; nam ad Christum homines ducit, qui Ecclesiæ caput est,& omnis constitutio,& columna & firmamentum veritatis, sicut scriptum est. Ideoque Iudæos alloquebatur Christus, [Si crederetis Moysi, crederetis vtique & mihi; de me enim ille scripsit.] AEdificat *1.Tim.3.* *Ioan.5.*
igitur Moyses, idest, illa per Legem institutio Christi Ecclesiam, cum eius mysterium tamquã adhuc in vmbris præmõstret. Moysi porro persona non nunquã Legẽ per ipsum datã designat. Vnde illud est recte in euangelicis parabolis dictũ, [Habent Moysen & prophetas.] PALLAD. Recte dicis. CYRILL. *Luc.16.*
D Quid vero sibi vult, quod vno die & nouilunio mensis primi, & secundo anno sacrũ illud tabernaculum figitur, age iam dicamus, inuestigemusque, quod verum sit,& lector probet. Igitur ille vnus dies, tempus illud nobis exoptatum & salutare demonstrat, quo ille Vnigenitus homo factus, carnis suæ morte, eos, qui in terris versabantur, homines Deo ac Patri acquisiuit. Vnum autem eius rei plane tempus fuit; semel namque mortuus, non amplius moritur, mors illi vltra non dominabitur, vt scriptum est; neque enim amplius expectamus, *Rom.6.*
vt pro nobis ipsis, & spiritibus, qui apud Inferos sunt, ille Dei filius moriatur; neque vt secundæ sint primitiæ mortuorum. Nam, si mors futura nulla est, quæ fuerit resurrectio? Licet igitur verissime dicere, vnum esse huius rei tempus, vt modo dixi,& diẽ vnum; quẽ propheta quoque, tamquã ex persona Dei, commemorat

Esai. 49. memorat dicens, [Tempore accepto axaudiui te, & in die salutis adiuui te.] A
Scribit etiam beatus Paulus, [Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies
2. Cor. 6. salutis;] quo die Christus ex mortuis reuixit, ac triste mortis destruxit imperium; cum ecclesiæ ex Gentibus velut ædificatores quosdam, & spirituales ar-
Matth. 28. tifices sanctos Apostolos constituit dicens, [Euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti, docentes eos seruare omnia, quæ præcepi vobis; & ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationẽ sæculi.] An tu id minime esse censes Ecclesiæ constitutionem? PALLAD. Quodnam istud tandem? CYRILL. Fidem inquam per sanctos Doctores traditam, atque illam in Christo conuersationem ab iisdem prædicatam, illam quoque cum Deo coniunctionem, qua illi per sacrum baptisma sanctique Spiritus participationem iungimur. Ita namque nos allo-
1. Pet. 2. quebatur Paulus dicens, [Et vos tamquam lapides viui superædificamini, domus spiritualis in templum sanctum, in habitaculum Dei in spiritu.] Olim B
namq. per diuersa vasa tabernaculi Christus præfigurabatur; nempe tãquam aureum turibulum, tamquam arca, tamquam lucerna, tãquam deniq. mensa, & quæ in ea posita erant. Sed præsenti tempore, vt opinor, vnusquisque fidelium domus est ac templum Dei, cum Christum habeat inhabitantem; habitat enim
Ephes. 3. in cordibus nostris per fidem, sicut scriptum est; vnus idemque per naturam,
1. Cor. 8. quamuis cum carne intelligatur; [vnus enim Deus Pater, ex quo omnia, & vnus Dominus, Iesus Christus, per quem omnia.] sed tamen diuersis deitatis proprietatibus veluti multiplicitatem quandam in se ipso habens, varie intelligitur. Est enim in nobis vt Dei verbum & sapientia, & lumen, & vita, & panis viuus, ac de cælo descendens. PALLAD. Quod dicis, intelligo. CYRILL. Incarnationis itaque tempus & dies exoptatissimus resurrectionis ex mortuis nobis rursus præfigurabatur in eo quod dixit Deus, [Die vno statues tabernaculum.] Illa porro verba, [Et in nouilunio mensis primi;] vtiliter atque C
necessario adiuncta esse, facile perspici potest, Palladi; vt enim mensis initium primus est eius mensis dies, idest, nouilunium; sic quasi initium quoddam recentis sæculi, ac primus aditus ad nouitatem temporum est id tempus, quo ille
2. Cor. 5. aduenit; [noua namq. in Christo creatura; vetera transierunt] effulgetq. nobis quodammodo, illud sæculum, quod post hoc præsens proxime consequitur, quod nunc quidem spe conspicitur, tum autem re ipsa præsto erit, cum Christus nobis iterum affulserit cum sanctis Angelis in gloria Patris; & eos, qui in nouitate vitæ ambulare studuerint, & illam egregiam euangelicæ conuersationis pulchritudinem per patientiam acquisierint, secum assumet, atque ad illam olim expectatã gloriam ac regnum introducet. Esse autem creaturam nouam, ac veluti temporum & rerum in Christo nouum germen, ænigma primi mensis optime demonstrat, quo terra teneris ac recentibus herbis conuestitur, stirpes D
germinant, & in pratis varia florum species cõspicitur, ridente simul verni temporis fragrantia: tali namque quodammodo tempore Christus Ecclesiam ex
Cant. 2. gentibus vocauit, sic dicens, [Surge, propinqua mea, pulchra mea, columba mea, quia ecce iam hiems transiit, imber abiit, abiit sibi; flores visi sunt in terra, tempus putationis aduenit:] germinauit enim denuo tamquam arbor, hominum natura, quæ morte exaruerat tum propter Adam transgressionem, tum propter peccatum, quod nobis omnibus tyranni more dominabatur. Audio
Esa. 52. etiam Christum per quendam e sanctis suis prophetis dicentem, [Ego, qui loquebar, adsum, sicut vernum tempus in montibus:] quod enim in montibus vernum tempus efficit, vt arbores nouo germine coronentur, hoc idem in nobis Saluatoris nostri aduentus efficit, qui in ordine temporum quasi anno se-

A cundo fuit, non autem primo tempore, quo Lex, & prophetarum chorus vigebat, & quo mors dominabatur: regnauit enim ab Adam vsque ad Moysen. igitur tamquam secũdo anno; idest, tempore quod post illud primũ, quo fuit Lex, proxime consequitur, Ecclesia ex gentibus emicuit, quæ Christum inhabitantem habet, qui est Legis ac prophetarũ finis. Videtur ne tibi nostra oratio recto cursu ad veritatẽ ferri? PALLAD. Maxime vero. CYRILL. Equidem puto verius illud tabernaculũ Esaiæ voce prænunciatum esse, cũ vnicuiq. per fidem ad iustitiam vocato diceret, [Oculi tui videbunt Hierusalem, ciuitates opulentas, tabernacula, quæ non concutientur, neque mouebuntur paxilli tabernaculi eius; neque funiculi eius dirumpẽtur in sempiternum tempus:] Dei namque ciuitas Ecclesia est, cuius beatus Dauid meminit dicens, [Gloriosa dicta sunt de te, ciuitas Dei:] diues enim ea est, supernis cælestibusq. muneribus decorata, neque vnquam dimoueri potest, cũ firmissime constituta B sit, & fixa permaneat: [neque enim portæ Inferi præualebunt aduersus eam,] vt Saluator ait. PALLADIVS. Recte atque conuenienter existimas. CYRILL. Iam vero, erecto tabernaculo, eius instrumenta esse non diperse & negligenter, sed ordine collocanda, docet ille dominus vniuersorum, cum dicit, [Et pones arcam testamenti, & teges arcam velo, & inferes mensam, & propones propositionem eius, & inferes candelabrum, & impones lucernas eius, & pones altare aureum ad adolendum coram tabernaculo testimonij, & impones tegumentum veli ad ostium tabernaculi testimonij, & altare holocaustorum pones iuxta portam tabernaculi testimonij, & circumpones tabernaculum, & omnia, quæ in eo sunt, circumpones in circuitu.] Sed in his sacra vasa fuisse illa quidem in sacrum tabernaculum illata videre licet, non item plane quis cuique vasi locus pro eius conuenientia sit attributus. Visne igitur eiusmodi præceptorum, quæ ad tabernaculum pertinent, subtilem & accuratam cognitionem colligamus? PALLAD. Ego vero libentissime. C CYRILL. Ait itaq. ad Moysen Deus, [Et facies velamẽ ex hyacintho & purpura, & cocco torto, & bysso neta; opus textile facies illud Cherubĩ, & superimpones illud super quatuor columnas imputribiles inauratas auro, & capita earum aurea, & bases earum quatuor argenteæ, & pones velamen super colũnas, & induces intra velamẽ arcã testimonij, & diuidet vobis velamen inter Sanctũ, & inter Sanctumsanctorum; & cooperies velamine arcã testimonij in Sanctosanctorum, & pones mensam extra velamen, & candelabrum contra mensam in parte tabernaculi, quæ respicit ad Austrum; & mensam pones in parte tabernaculi, quæ respicit ad Aquilonem. Et facies adductorium ex hyacintho & purpura, & cocco torto, & bysso torta, opus variatoris, & facies velamini quinque columnas, & inaurabis eas auro, & capita eorum aurea, & conflabis eis quinque bases æneas.] Ac de his quidem hactenus. De labro au- D tem hæc dicit, [Facies labrum æneum, & basim ipsius æneam, vt lauentur, & pones illud inter testimoniũ.] Num tibi perspicue de singulis dictum videtur? PALLAD. Minime vero: dubito enim sane, & qua de re, non habeo dicere. CYRILL. Singulorum igitur verborum, quæ modo posui, vbi ea sumpsero quæ ad eorũ contemplationem vtilia sunt, dilucidã atque perspicuam in primis expositionem afferam. Erectũ namque est in deserto sacrũ illud tabernaculũ, Palladi, duplici quodammodo situ ac figura; atque vna quidẽ eius pars intima erat, eaque Sanctasanctorum appellabatur: huius erat veluti primus quidam aditus, & circa eam posita pars illa prior, quæ Sancta vocabatur; atque in intimo illo tabernaculo erat arca reposita, de quatuor columnis velamẽ suspensum habens artificiose ex hyacintho, purpura, cocco torto, ac bysso neta

Rom. 5.
Esai. 33.
Psal. 86.
Matth. 16.
Exod. 40
Exod. 26.
Exod. 30.

confectum. Sed, quia iam de bysso & purpura & cocco totto, & de hyacintho A
satis, vt arbitror, diximus, vitandum puto, ne eadem repetamus. Illud tamen in præsenti dicemus, velamen illud, quod in quatuor columnis deauratis positum erat, quarum erant bases argenteæ, Christi tum significasse mysteriū. Quid enim? non Paulus quoque vir sapiens Christi corpus velamen appellauit, cum
Heb. 10. dixit, [Quam initiauit nobis viam nouam & viuentem per velamen, id est, carnem suam?] PALLAD. Recte dicis. CYRILL. Vide igitur tamquam in vmbris & ænigmate, Verbum illud, quod Deus erat, & ex Deo patre secundum naturam, in aurea atque imputribili arca, in eo nimirum templo, quod erat ex Virgine, fuisse; imputribile namque ac pretiosum est Christi corpus; atque suscepta carne, tamquam velo quodam propemodū occultari: occultari autem dicimus illud ex Deo Verbū, non quod exigui corporis terminis definiretur; (vbique enim & in omnibus est Filius) sed quod dispēsationis ratione lateret, & declarationis tempus expectaret; declarationis autem tempus, quo B
erat omnibus ostendendus, illud fuit, cum a mortuis reuixit: nam ante pretio-
Matth. 16. sam illam crucem sanctis suis discipulis præcepit, ne se manifestum facerent,
Matth. 28. sic enim scriptum est: postea vero quam mortem pertulit, ac reuixit, [Euntes, inquit, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti.] Igitur suspensum erat de columnis velamen illud, quod arcam interius occultabat, ac figura Christi erat, qui sanctorum Euangelistarum prædicatione in sublime tollitur, & ab iis, qui sunt in tabernaculo, in sancta nimirum Ecclesia, in diuinitatis gloria videtur. Quatuor autem sunt deauratæ deargentatæque columnæ; totidem Euangelistæ, clari simul ac pretiosi. Posita erat igitur arca: superne autem velamen deorsum vsque pertinens ex bysso & purpura ceteraque materia confectum, non sinebat, vt ea videretur: supra velum autem & supra Cherubim, quæ a dextra læuaque erant, responsa dabat Deus, ostendens se & supra omnem creaturam esse, & ipsa quoque Seraphim, quæ sunt inter rationales creaturas præstantissima, esse diuina illa atque C
ineffabili gloria inferiora, stiparique illis ipsum Filium, quamuis sit caro factus, & qua ratione homo est, Patris æqualitate submissior; ideoque ipse di-
Ioan. 14. cebat, [Pater meus maior me est.] Cum vero sit genitori secundum naturam par, minorem se esse dicit propter humanam dumtaxat naturam: ob eam caussam in sacro quoque tabernaculo in circuitu velaminis erāt Cherubim, & ipsa perinde ac si Filium tamquam Deum suo satellitio stiparent. Supra ipsum quoque velamen, quod Christi figuram gerebat, Deus cognoscitur: [Et innotescam inquit inde, & loquar tecum;] nam præter omnem creaturā est Pater, præter ipsum quoque Emmanuel, non ea ratione, qua & est & cognoscitur Deus, nam æqualis est per omnia Deo; sed ex ea parte, quæ ad serui formam, & humanitatis mensurā pertinet. PALLADIVS. Subtilis sane & recondita expositio. CYRILL. Sed tamen non aberrat a proposito. PALLAD. D
Fateor. CYRILL. Arca igitur ad hunc modum composita, [Pones, inquit, altare aureum ad adolendum contra arcam:] atque Christum quidem significari altari illo aureo, satis dictum a nobis puto. Positum est autem contra arcam, supra quam erat velamen, in cuius circuitu erant Seraphim, & in summitate Deus, tamquam illius Emmanuel singularem odoris suauitatem exci-
Esai. 53. peret: neque enim peccatum fecit, neque inuentus est dolus in ore eius, vt scri-
Ioan. 3. ptum est: ideoque dicebat ipse, [Pater diligit Filium.] Accepti etiam Deo nos ipsi sumus, cum Christi vnguentum redoleamus; cuius rei fidem facit Pau-
2. Cor. 2. lus scribens, [Deo autem gratias, qui semper triumphat nos in Christo; & odorem notitiæ suæ manifestat per nos, quia Christi bonus odor sumus

Deo

A Deo.] PALLAD. Recte sane. CYRILL. Quod si in ea, quæ scripta
sunt, accurate animi aciem intenderimus, illud videbimus, arcam quidem
in latere tabernaculi, quod ad Occasum respiciebat, fuisse collocatam; & con-
tra eam aureum altare in loco, qui ad Orientem spectabat: Ortus enim & Oc-
casus Aquilo item & Auster Christo repletus est. Itaque cãdelabrum ad Au-
strum tabernaculi locatum erat mensa autem ad Aquilonem: vtroque vero
Christum significari, longa iam oratione demonstrauimus: nam lumẽ quidem
esse Christum, lucerna declarat; mensa vero, & quæ in ea continebantur, eun-
dem esse vitam, ac panem viuum ostendunt. Illud tamen mysterium conside-
res atque contempleris velim, maxime ad Austrum esse Iudæorum regionem,
vt contra Gentilium ad Aquilonem. Igitur ex vtriusque situ, candelabri in-
quam & mensæ, perfacile erit volentibus intelligere, Iudæis quidem vt lumen
effulsisse Christũ, & apud ipsos illa verba prædicasse, [Ego sum lux]: [missus est *Ioan.8.*
B enim ad oues, quæ perierãt domus Israel:] &, [Eorũ sunt promissiones,] vt Scri- *Matth.15.*
pturæ dicunt. Sed quoniã illud veritatis lumen minime admiserunt, factus est *Rom.9.*
gentibus vita, & panis de cælo. Neque vero gentes lumine carent; idque ex eo
intelliges; nam candelabri lumen etiam ad aquilonares tabernaculi partes pe-
netrabat; & quia angustissimum erat sacrum illud tabernaculum, nihil absurdi
est existimare, propemodum illi mensæ appositũ fuisse candelabrũ, licet austra-
lem locum teneret. Declarat etiam alia ratione nobis illud hæc figura, vbi di-
uinum lumen illuceat, tum iis, qui digni sunt, licere Christi tamquam panis
viui ac veri participes fieri. scribit enim beatus Paulus, Gentes esse concor- *Ephes.3.*
porales atque comparticipes Christi; concorporales porro & comparticipes
factæ sunt Gentes, cum lumine spirituali nimirum repletæ sunt; vbi dies illu-
xit & Lucifer in animis nostris exortus est, ait quidam Saluatoris nostri disci- *2.Petr.1.*
pulus. Iis igitur, quæ in Sanctissanctorum erant, ad hunc modum collocatis,
C atque compositis, adductorium seu velamen fieri iussit, ex hyacintho & purpu-
ra & cocco torto, & bysso neta; idque ad ipsum tabernaculi ostium extendi ha-
ud temere iussit, de quinque inauratis columnis, quarum bases essent æneæ
suspensum. Atque adductorium quidem appellat velum ostio obtentum, quod
exiguis, vt opinor, annullis retraheretur, cum per ostium trãsiri necesse esset, ac
rursus adduceretur explicareturq. per ostium, vt Sancta occultarentur. Quin-
que autem sunt columnæ aureæ atque æneæ, quæ illos, qui tamquam quinto
tempore fuerunt, quo tempore Christi aduentus contigit, doctores atque Ec-
clesiarum duces præfigurarent: qui, cum recte sermonem veritatis tractent,
pretiosi quidem sunt vt aurum, & velut æs resonant; nam [in omnem terram *Psal.18.*
exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum:] qui solerti ac diuini-
tus inspirata doctrina volentibus in Sanctasanctorum introire, aditus quodam-
modo patefaciunt. Igitur Sanctasanctorum, idest, interius illud tabernaculum
D velamine tegebatur: adhærebat vero proxime atque coniũctum erat illi secun-
do, primum quoque tabernaculum, quod altare sacrificiorum continebat, in
quo omnis per sanguinem exhibebatur oblatio, laganaq. & tura & sacrificium
omne atque libatio; & præter altare, labrum quoque æneum. Erat autem
hoc altare situm propter tabernaculi ostium, exterioris nimirum, labrum vero
in ipso medio tabernaculi loco. PALLAD. Quid autem latentis intelligen-
tiæ continet hæc obseruatio? CYRILL. Accurate sunt omnia, Palladi, in sa-
cris litteris perscripta; nihilque prorsus in illis est temere positum: vide enim vt
hoc ænigma nobis ostendat Legis institutionem ad Christũ perducere: nam il-
lud legalis religionis altare ad ipsos aditus, per quos ad Sanctasanctorũ tende-
batur, collocatũ erat. Lex enim vix ad ipsa nos initia mysteriorum Dei, atque,

vt ita dicā, ad prima limina accuratæ Christi cognitionis perducit; sed nullo modo inducit in Sancta sanctorum, id est In interius tabernaculum, in quo multipliciter Christus continetur, vt Dei verbum, vt lumen, vt panis viuus, vt redolens odor Deo ac Patri oblatus. Quid enim? nonne censes præludia illa legalis cultus, elementa esse & initia sermonum Dei? PALLAD. Ita est. CYRILL. Nihil autem ad perfectum adduxisse Legem, (impossibile siquidem est, sanguine taurorum & hircorum auferri peccata) continuo disces, & quidem sine vllo negocio; si modo labri etiam illius vsum consideraueris: erat enim in medio primo tabernaculo situm splendidum atque conspicuum, cuius aqua ingredientes in Sancta sanctorū abluebantur: id enim sacerdotibus Lege præceptū erat. Igitur illa etiam, quæ in Lege perfectio videtur, imperfecta est, ac sancti baptismatis purificationem insinuat, quo sacrū illud genus abluitur, eorum inquam, qui fide iustificati sunt, quos etiam beatus ille discipulus alloquebatur, [Vos autem, inquit, genus electum, regale sacerdotiū, gens sancta, populus in acquisitionem, vt virtutes annuncietis eius, qui de tenebris vos vocauit in admirabile lumen suum.] Illud etiā sciendum ostium quoque exterius tabernaculi velamine obtentum fuisse, ne ijs, qui extra essent, aperta atque perspicua fierent Sancta, idest, primū tabernaculum, in quo legale illud altare collocatum erat: qua rursus figura declaratur, ne ipsam qnoque Legem esse cuiuis perspicuam, velamen enim habet littera, & quadam vmbrarum obscuritate contecta est, atque vestita quodammodo. PALLAD. Sic se res habet. CYRILL. Itaque in primo quidē tabernaculo labrum erat positum, & altare; in secundo atque intimo, arca & candelabrum, aureum quoque turibulū, in quo tenue illud thymiama adolebatur, mēsa denique ac panes: meminit quoq. beatus Paulus aureæ vrnæ, in qua erat manna; virgā quoque Aaron nobis commemorat, quam in Sanctis sanctorum repositam fuisse dicit; vt qui in sacris litteris versatus esset, & quæ olim sancita, quæue beato Moysi diuinitus præcepta esset, optime nosset: nouit etiam mensam atque candelabrum in primo tabernaculo fuisse. Scribit autē ad hunc modum de duobus testamentis, [In eo quod dicit, nouum, veterauit illud prius; quod autem veterascit & antiquatur, prope interitū est. Habuit quidem & prius illud iustificationes culturæ, & sanctum sæculare. Tabernaculum enim factum est primū, in quo candelabrum & mensa, & propositio panum, quæ dicitur, Sancta: post secundum autem velamentum, tabernaculum quod dicitur Sancta sanctorum, aureum habens turibulū & arcam testamēti, contectā ex omni parte auro, in qua vrna aurea habens manna, & virga Aaron quæ floruerat, & tabulæ testamenti: supra autem ipsam Cherubim gloriæ obumbrantia propitiatorium: de quibus non est nunc dicendū de singulis.] PALLAD. Sed, si cui placuerit, diligentius quærere, dixeritque caussas reddi oportere totius cōstructionis, quæ nam a nobis afferri poterit ratio? CYRILL. Quia, Palladi, alia quidem ante tabernaculi constructionem, alia post fieri præcepit; nam in Exodo, antequam vllum adhuc omnino futuri tabernaculi exemplar ostensum, aut aliquid de eo præceptum esset, responsum de aurea vrna dedit, cum sciret, quod futurum erat; postea vero quam totum tabernaculū fixum est, in Numeris virgam Aaron inueniemus fuisse in Sancta sanctorum illatam, sed in Leuitico insuper sancitum est tum de candelabro tum etiam de mensa, quæ in primo tabernaculo posita erat. Paulus autē vir sapientissimus, cū Legis peritus esset, nihil prorsus ex ijs, quæ facta sunt, prætermisit: sed prima ac media & extrema cōmemorauit. PALLAD. Optime sane est a te dictū. Explica igitur singula dilucide ac breuiter: abditus enim est sermo, in quo de ijs rebus agitur. CYRILL. Recte dicis: sic .n. reuera se res habet. Itaq. ab ipsa primū vrna narrādi

exordium

Margin notes: Heb.10. 1.Pet.2. Heb.8. Exo.16. Num.17. Leuit.24. Section letters: A B C D

A exordium faciam. Imbris igitur instar demisit Deus filijs Israel manna per desertum; is enim cibus ac panis illis erat superne atque de cælo datus. Eam porro rem gestam non vsque ad sensibilia illa esse progressam, ibique constitisse; sed per illam figuram & vmbram eo perducere, vt intelligeretur fore, vt supernum illud, & ex Patre Verbum tamquam panis e cælo ad nos tandem adueniret; diuinus quoque vir Dauid nobis indicat dicens, [Panem cæli dedit eis: panem Psal.77. Angelorum manducauit homo:] neque vero censendum est, manna illud sensibile, panem illum de cælo, & Angelorum esse: nam spiritus quidem spiritualiter, corpus autem conuenienter suæ naturæ, idest, corporaliter pascitur: cibus autem angelorum & panis, qui cælis superisque spiritibus conueniat, illud Dei Patris est Verbum. Manna igitur Christum significabat. Sed figura nihil vtilitatis affert, nisi veritas demonstrata fuerit; res enim illa vmbra huius est, neque propter se ipsam proprie gesta est; sed, vt in se aliquid præstantius ex-

B primeret; ob eamque caussam Christus Iudæorum populos sapienter increpauit, qui non se potius, vt qui veritas esset; sed Moysen, qui figurarum administer fuisset, admirarentur: sic enim dixit, [Amen amen dico vobis, Non Moy- Ioan. 6. ses vobis dedit manna: nam panis Dei est ille, qui de cælo descendit, & dat vitã mundo. Ego sum panis viuus.] Cum igitur in manna imaginem proposuisset Verbi, quod superne & de cælo descendit, tũ denique de vrna præcepit Deus. Sic autem scriptum est, [Dixit autem Moyses, Hoc est verbum, quod consti- Exod. 16. tuit Dominus, Implete gomor ex manna ad reponendum in progenies vestras; vt videant panẽ, quem comederitis in deserto, posteaquam eduxit vos de Aegypto; & dixit Moyses ad Aaron, Accipe vas vnum aureum, & mitte in illud plenum gomor mannæ, & repones illud coram Domino, vt seruetur in progenies vestras, vt præcepit Dominus Moysi: & reposuit Aaron ante testimoniũ, vt seruaretur:] vt enim dicebamus, arcam, quod Dei sermonem contineret, signifi-

C casse illum Emmanuel, nam Dei Verbum erat tamquam in sacro templo, in eo inquam, quod ex Virgine sumpserat; sic aurea vrna, quæ manna sensibile continebat, illud supernum ac viuificans Verbum indicat, nimirum illud ex Patre, tamquam in sacro & impolluto corpore. Plena est autem vrna mannæ; inhabitauit enim in illo omnis plenitudo diuinitatis corporaliter, vt beatus Paulus Coloss.2. ait; neque ad mensuram dat Spiritum; perfectissimus enim est Christus: Re- Ioan.3. posita est etiam vrna, vt seruaretur in progenies filiorum Israel: incorruptus enim ac semper manens, & omni tempore notissimus est Christus, & est coram Domino, idest, in conspectu Patris: nam, quando ille Vnigenitus est fa- Hebr.9. ctus nostri similis, tum etiam introiuit in Sanctasanctorum, per amplius ac perfectius tabernaculum, idest in cælum, vt appareat nunc vultui Dei pro nobis, vt scriptum est; neque enim se ipsum sistit ad conspectum Patris, sed velut in seipso nos, quamuis ex illius conspectu recessissemus, ac veluti ex oculis essemus

D auersi propter illam transgressionem, qua in Adam obstricti eramus; & propter imperium peccati, quod omnibus dominabatur. In Christo igitur habuimus Heb.10. accessum & fiduciam in introitum Sanctorum, vt nobis sapientissime Paulus di- Ephes. 2. xit. Vt enim & resurreximus, & simul consedimus in cælestibus in Christo, sic itidem in ipso ad conspectum Patris venimus. Ac de vrna quidem sacra hæc dicta sufficiant. Ceterum ipsam quoque Aaron virgam, Christum significare, deinceps, si placet, dicamus. PALLAD. Sane quidem. CYRILL. Core igitur atque Abiron, & Dathan præterea, ex Leui tribu ac genere orti erant; cũque Dei voluntate certũ atque constitutum in sacro tabernaculo ministrandi officium ipsis esset concreditum, Moysi tamen & Aaron gloriam auide nimis expetierunt, eumque honorem ipsi rapuerunt, cũ ad id munus a Deo minime

vocati essent; quinetiã adeo insolenter audacia sunt elati, adeoq. erexerunt supercilium, vt nõ iam mediocres, sed minime ferendas aduersus vtrumq. calumnias iactarent; & velut aspernantes gregẽ tauri, secederent, excussaq. Dei seruitute, aliis quoq. sociis impietatis, vt vna secũ abscederent, suadebant: verum ij suæ audaciæ pœnas luerunt; nã terra, cum os aperuisset, simul cum cognatis, tabernaculis atque supellectili ad Inferos audacẽ populum demersit. Cum igitur Legislator Deus declarare vellet cælesti arbitrio ac iudicio, nõ Moysi voluntate Aaron præstantissimum sacerdotij gradũ esse sortitum, dixit ad beatum Moy A

Num.17. sen, [Loquere filiis Israel, & accipe ab eis virgã per domos familiarum suarum, duodecim virgas, & inscribe vniuscuiusque nomen in virga eius, & nomen Aaron inscribe in virga Leui; est enim virga vna per tribum domus familiarum ipsorum dabunt. Et pones eas in tabernaculo testimonij corã testimonio, in quibus cognoscar a te ibi; & erit homo, quẽ ego elegero, virga eius germinabit, & auferã a te murmurationẽ filiorum Israel, qua ipsi murmurant aduersus vos. Et locutus est Moyses filiis Israel; & dederũt illis omnes principes ipsorũ, virgam, principi vni virgã per singulos principes, secundũ domos familiarum ipsorum, duodecim virgas, & virga Aaron in medio virgarum ipsorũ, & reposuit Moyses virgas ante Dominũ in tabernaculo testimonij. Et factũ est die postera, ingressus est Moyses & Aaron in tabernaculũ testimonij; & ecce germinauerat virga Aaron in domo Leui, & extulerat germẽ, & emiserat flores & germinauerat nuces: & eduxit Moyses omnes virgas a conspectu Domini ad omnes filios Israel: & viderunt & acceperunt vnusquisq. virgam suam; & locutus est Dominus ad Moysen, Repone virgã Aarõ, quæ germinauit, ante testimonia, vt seruetur, in signũ filiis inobedientiũ, & cesset murmuratio eorũ a me, & nõ moriãtur.] Quod igitur virga germinauit, signũ id quidem non obscurũ fuit, quo declararetur ex tribu Leui admirandũ illum virum Aaron splendide atq. egregie esse ad sacerdotij munus electũ. Sed, si hæc rudior figura ad spiritualẽ contemplationẽ traducatur, Christi mysteriũ rursus elucebit. P A L L. Quo tandem istud modo? C Y B

Heb.7. R I L L. Ille namq. Emmanuel a Deo & Patre Legislator simul & Pontifex noster electus est, qui se ipsum victimã pro nobis offerret: vt enim beatus Paulus C

Heb.8. ait, [Lex quidẽ per Moysen data homines constituit pontifices, habentes infirmitatem; sermo autem iurisiurandi, qui post Legẽ est, Filium in æternum perfectum.] Igitur Verbum illud descendit quidem e cælis, & factũ est nostri simile, Sanctorum minister, & tabernaculi veri quod fixit Deus, & non homo. Sed ij, qui erant ex genere Israel, non recte senserunt: itaque cum illi suam ipsorum voluntatem opponerent, in illum inuidiæ iacula multifarie coniecerunt, non linguæ, non audaciæ, non nefariis iã conatibus pepercerunt, sed in suam ipsi perni

Act.2. ciem miseri postremo crucifixerunt. Sed refloruit virga de radice Iesse, resurrexit Christus, solutis doloribus Inferni, sicut scriptũ est: qui enim tamquã Deus ipsa vita secundum naturam erat, eum qua ratione æquum fuisset, morte detineri, ac non potius ab eo ipsum quoque interitum expugnari? sed vt aridum iam illud lignum cũ germinasset, atque derepẽte floruisset, signum fuit efficax, quo veteribus illis declararetur superno suffragio Aaron summum sacerdotem esse creatum, sic dicimus præclarum & euidens atque idoneum esse argumentũ, quo probetur Deum esse secundũ naturã ipsum Emmanuel, in eo quod mortẽ calcauit, &, vt Deo dignum erat, reuixit. Itaque idem ipse Christus, quãuis nullo negotio ac facile posset, quicquid supra opinionẽ ac rationẽ esset, perficere, D

Matth.12. signum petẽtibus Iudæis dicebat, [Generatio hæc praua est, signum quærit, & signũ non dabitur ei, nisi signũ Ionæ prophetæ; sicut enim fuit Ionas in vẽtre ceti tribus diebus, & tribus noctibus, sic erit Filius hominis in corde terræ tribus diebus,

A diebus, & tribus noctibus.] Igitur celebre sane & illustre signum est, & iis, qui reuera prudentes sunt, satis efficax ad fidem faciẽdam ipsum Filium secundum naturam esse Deum, & ex Deo Patre ortum, hoc ipsum, quod mortem destruxit, & refloruit ad vitam: factus enim est ipse primitiæ dormientium, & primogenitus ex mortuis; idque signum filiis inobedientium est datum, quo intelligant Christum Dei ac Patris suffragio summũm sacerdotem nostrum esse factum, sanctum, innocentem, impollutum, segregatum a peccatoribus & excelsiorem cælis factum, sicut scriptum est. PALLAD. Sed non solum germinauit virga Aaron, (id enim sacræ litteræ modo nobis ostenderunt,) sed protulit nuces. Id vero ænigma quid significet, intelligere nequeo. CYRILL. Primum quidem, Palladi, nihil absurdi est, de nuce assumptam esse virgam suspicari; etatq. priscis illis in more positum talibus vti sceptris: deinde vero, si rationem accommodare oporteat his contemplationibus congruentem, illud pro- *Hebr. 7.*

B pe peruulgatum dixerim, quod etiam apud quosdam fide dignum videtur, nuceam virgam vires habere ad vigilantiam tribuendam, si illam ad caput quispiam posuerit, quod fortasse naturali quadam facultate ex voluntate Dei efficit, eiusq. rei ipse quoque Deus, qui omnia & nouit & condidit, nobis quodãmodo fidem facit, cum Hieremiæ dicit, [Quid tu vides, Hieremia?] cumq. is respondisset, [Virgam nuceam; ad hæc Deus, Recte vidisti, inquit; vigilo enim ego super verbis meis, vt faciam illa.] Pro vigilantiæ igitur symbolo ac nota non inmerito virga nucea poterit accipi. Atqui illa Christi e mortuis resurrectio, quasi quædam e somno euigilatio fuit. Itaque per lyram quoque Psallentis ait, [Ego dormiui, & somnum cepi, euigilaui; quia Dominus suscepit me.] PALLAD. Vera dicis. CYRILL. De lucerna quoque ac mensa, quæ in primo tabernaculo sita erant, sic præterea scriptum est, [Et locutus est Dominus ad Moysen dicens, Præcipe filiis Israel, & accipiant tibi oleum purum, con- *Hiere. 1.* *Psal. 3.* *Leuit. 24.*

C tusum ad lumen, vt ardeat lucerna perpetuo extra velamen in tabernaculo testimonij; & accedet illud Aaron & filij eius a vespera vsq. mane in cõspectu Domini iugiter, legitimũ sempiternum in progenies vestras: in cãdelabro puro accendetis lucernas corã Domino vsq. mane: & accipietis similam, & facietis ex ea duodecim panes; ex duabus decimis erit panis vnus: & imponetis eos duas positiones; sex panes erunt vna positio super mẽsam purã coram Domino: & imponetis super positionem tus purum & sal: & erunt panes in memoriã propositi Domino: die sabbati proponetis eorã Domino in perpetuũ a filiis Israel, testamentum sempiternum; & erunt Aaron & filiis eius, & comedent ea in loco sancto: sunt enim sancta sanctorum: hoc illi ab iis, quæ sanctificantur Domino, legitimum sempiternum.] Purum igitur quæritur oleum, atque oleaginum, id est, ex oleis, non ex alterius generis seminibus atque terrestribus, e quibus exprimebatur quidem oleum, sed nothum quodammodo, & quasi adulteratum; sem-

D per enim est in Ecclesiis purum ac sincerum vere lumen, illud nimirum, quod per Christum in Spiritu sancto accenditur, quamuis sanctorum virorum voce ministretur, quibus dixit Christus, [Vos estis lux mundi:] neq. id mirum, nam, quos fratres appellauit, & participes sui constituit, iis conuenienter suarũ proprietatum gloriã impartit. Ardet itaq. lucerna, & in primo tabernaculo ardet; eaq. res duplicem habere sensum potest; nam in interiori tabernaculo septem lucernæ lucent, quæ mane accenduntur, atque copiosum ingrediẽtibus lumen immittunt. Ac lucerna quidem, vt in figura, rursus Christus erat, qui multo copiosoque lumine in sancta sanctorum ingredi volentes illustrat; [Accedite enim, inquit, ad eum, & illuminamini.] Quinetiam quod mane accendebantur lucernæ, designare poterit ipsum incarnationis tempus: tum enim *Matth. 5.* *Psal. 33.*

velut dies quidã illuxit, & spirituale lumen effulsit, quod nostræ veteris ignorantiæ tenebras dispulit, illamque caliginem, quæ noctis instar vniuersorum cordibus erat offusa, dissipauit; sic enim tempus, quo Saluator aduenit, propheta quoque longe ante vocauit, dicens; [Mane exaudies vocem meam, mane astabo tibi, & videbo:] quando enim acceptæ fuissent vniuersorum preces, & nos olim errantes per coniunctionem nimirum spiritualem & obedientiam ac fidem astaremus Deo nisi nobis illud e cælo lumen, idest, Christus, affulsisset? Igitur in interiore quidem tabernaculo copiosum ac purum septẽ illarum lucernarum lumen erat; sed in primo tabernaculo lucerna erat lucens; quo declarabatur, vt opinor, ne ipsos quidem, qui in Lege instituebantur, esse diuini luminis expertes: nam lex quoque Moysi ex multorum deorum cultu vocabat ad agnitionem eius, qui natura vereque Deus est, ac veteres illos homines abducebat a colenda creatura potiusquam creatore, suadebatque, vt rerum omnium conditori adhærerent; id vero in eorum animis, qui illis imbuebantur institutis, non sine spirituali lumine perficiebatur. Igitur vt id repetam, quod paulo ante dixi, copiosa est ac plena illuminatio, quæ in Sanctasanctorum ingredientibus a Christo tribuitur; minor autem eorum erat, qui in Lege viuebant: idque verissimum est; neque enim illa Legis vmbra cum euangelicis institutionibus illuminatione spirituali æquari vllo modo potest: hæ namque vniuersum orbem terrarum illustrant, illa autem soli Israelitarum generi nota erat. PALLAD. Recte dicis. CYRILL. Videtur autem, Palladi, aliud quiddam designare mensa atque lucerna in primo tabernaculo collocata. PALLAD. Quid istud est tandem? CYRILL. Lucerna quidem fortasse Ioannem Baptistam virũ admirabilem: panes vero duodecim, Apostolorum nobis chorum præfigurant. PALLAD. Quonammodo? CYRILL. An ignoras iis, qui in Lege & per Iudæã erant, instar lucernæ præeuntis fuisse beatum illum Baptistam? ac de illo a Deo & Patre prædictum esse, [Paraui lucernam Christo?] Quinetiam ipse Saluator hoc idem testatus est, cum Iudæorum doctoribus de illo dixit, [Ille erat lucerna ardens, & lucens; vos autem voluistis exultare ad horã in lumine eius.] Vide enim quemadmodum is, qui in Lege peritus erat, propemodum ad memoriam reuocat lucernam illam, quæ erat in primo tabernaculo, inextinctam enim seruari lucernam, Legislator præcepit his verbis, [Et accendent eam Aaron, & filij eius a vespera vsque mane iugiter in conspectu Domini.] Sed Iudæi, cum tempore admodum exiguo de illo gauisi fuissent, hactenus certe, dum ad baptisma illius accurrunt, & illum admiratione maxima prosequuntur; tandem mortis somno dederunt, ac propemodum iugiter lucentem illam lucernam extinxerunt: nam, licet Herodi illud facinus tribuatur, at is certe de Israel genus ducebat. Itaque Christus, cum Iudæorum populos de audacia, qua in omnes sanctos vsi fuerant, accusaret, [Non fieri potest, inquit, prophetam perire extra Hierusalem.] PALLAD. Lux igitur ac lucerna per similitudinem, Christique participationem beatus quoque Baptista fuit iis, qui in Lege ac per Iudæam erant. CYRILL. Ita est. Ad eundem quoque modum panes, sanctos Apostolos accipi putamus; vnus enim cum sit ille per naturam & vere panis, qui de cælo descendit, ac vitam præstat, ex eius tamen imitatione participationeque, qui per naturam talis est, diuini illi mysteriorum doctores ac magistri panes sunt ad pietatem nutrientes, cum verba vitæ nobis præbeant, & famem ex ignorantia proficiscentem de credentium animis depellant. Eodem porro sunt panes numero, quo discipuli, nempe duodecim, iique in duas positiones collocati; Sex hinc, inquit, & sex inde, propemodum in orbem circumstantes, & in medio loco positũ habentes vnum illum

Margin notes: Psal. 5. (beside "pheta quoque longe ante vocauit"); A (right, line 1); B (right, beside "ingredientibus"... "Sanctasanctorum"); Psal. 131. (beside "nam Christo?"); Ioan. 5. (beside "doctoribus de illo dixit"); C (right, same line); Luc. 13. (beside "fieri potest"); D (right, beside "Ita est. Ad")

A illum & de cælo panem, ideſt, Chriſtum. Singuli etiam ex duabus decimis, id eſt, ex duabus perfectis menſuris; nam ex vtraque parte perfecti illi beati diſcipuli fuerunt, ad omne opus bonum omnibus ſuis partibus abſoluti,& opere inſignes & verbo. Tus præterea & ſal illis aſpergitur; ac tus quidem illam ſanctitatis fragrantiam, & Chriſti bonum odorem; ſal vero prudentiam indicat; neque enim ſanctorum virorum ſermo inſipiens aut ſtultus eſt, ſed gratia & ſale conditus, vt ſcriptum eſt, & gratiam dat audientibus: dictum eſt etiam illis a Chriſto, [Vos eſtis ſal terræ.] Proponuntur etiam die Sabbati; dies enim, quo ſunt ſancti Apoſtoli declarati, Sabbati ſpiritualis tempus eſt, nempe Chriſti aduentus, quem quia non agnouerunt qui ex Iſrael genus ducebant, Paulus de illis dicit, [Igitur relinquitur ſabbatiſmus populo Dei:] non enim ingreſſi ſunt in requiem eius, quia fidem non receperunt; ſabbatiſmus igitur verus ac ſpiritualis tempus illud eſt,quo Saluator noſter aduenit. In oculis etiam Colos. 4. Ephes. 4. Matth. 5. Hebr. 4.

B Dei eſt panum propoſitio, atque etiam in oculis Iſrael, [Proponetis enim, inquit, die Sabatorum in conſpectu Domini in perpetuum, in conſpectu filiorum Iſrael;]cum ille contempletur, ac perpetuo ſanctos viros ſua inſpectione dignetur; [Oculi enim,inquit,Domini ſuper iuſtos.]In oculis etiam Iſrael, quod eos attẽdere debeat, atque in illis animi oculos quodammodo figat,quorum figuram corporis oculi referunt. [Sed erunt, inquit, Aaron & filiis eius, & comedent ea:] appoſita ſunt quippe nobis in cibum ſanctorum Apoſtolorum ſcripta,qui fide iuſtificati ſumus; & ſancto illi ac ſacro generi,populis in quam illis in acquiſitionẽ,& electis, & ſancti Spiritus gratia perunctis. PALLAD. Recte ais; tibi enim aſſentior. Sed cuius rei gratia non in Sanctisſanctorum,ſed in primo tabernaculo ſancti illius Baptiſtæ,ac ſanctorum Apoſtolorum ſitæ erant figuræ? CYRILL. Primum quidem,quia plurimum inter eos intereſt;neque eodẽ quo Chriſtus, loco viri ſancti eſſe poſſunt, ſed extrinſecus Leuit. 24. Psal. 33.

C quodammodo & ſubmiſſiore gradu:ſeiuncta namque ſunt diuina,ac ſeparatim poſita,& lõge diuerſa ratio a diuinis rebus humana diſtinguit, quæ naturarum proprietatem differentiamq. gloriæ tantam eſſe demonſtrat,vt conferri inter ſe nullo modo queant; Deinde,quia ex Iudæis orti, & ex illa legali obſeruatione fuerunt;ob eam cauſſam locus illis quodammodo decens tributus eſt, nẽpe primum tabernaculum, in quo figuratiuum illud ſacrificiorum altare ſitum erat. An non ex genere Iſrael,& quaſi e primo tabernaculo ſanctos illos diſcipulos eſſe vocatos putas? PALLAD. Ego vero maxime. CYRILL. Cum igitur his de rebus dictum ſit a nobis ſatis,proferenda ſunt,ſi placet,beati Pauli verba,quæ de primo ac ſecundo tabernaculo teſtimonium eleganter explicant: ſcribit enim is ad hunc modum. [His ita diſpoſitis, in primum quidem tabernaculum ſemper ingrediuntur ſacerdotes,ſacrificiorum officia conſummantes; in ſecundum autem ſemel in anno ſolus Pontifex, non ſine ſanguine, quem Heb. 9.

D offert pro ſua & populi ignorantia; hoc ſignificante Spiritu ſancto, nondum propalatam eſſe Sanctorum viam, adhuc primo tabernaculo habente ſtatum: quæ parabola eſt temporis inſtantis,quo dona & ſacrificia offeruntur,quæ non poſſunt iuxta conſcientiam perfectum facere ſeruientem, ſolummodo in cibis & potibus, & variis baptiſmatibus,iuſtificationes carnis vſque ad tempus correctionis impoſitæ: Chriſtus autem aſſiſtens Pontifex futurorum bonorum, per amplius & perfectius tabernaculum, non manufactum, ideſt, non huius creationis, neque per ſanguinem hircorum aut vitulorum, ſed per proprium ſanguinem introiuit ſemel in Sancta, æterna redemptione inuenta.] Intelligis igitur illum cultum, qui in primo tabernaculo deferebatur, exhibuiſſe ſacerdotes, quibus non erat in Sanctaſanctorũ ingrediẽdi poteſtas; talis eſt enim

propemodum cultus legalis, ſtatum illum in vmbris habens : hæc porro inertia A
ſunt ad expiandum eluendumque peccatum : audiſti namque paulo ante cla-
Heb.9. mantem Paulum,ea infirma eſſe ad perficiendum iuxta conſcientiam feruien-
tem ; ſed ſeruabantur vſque ad tempus correctionis, incarnationis nimirum il-
lius Vnigeniti;quo tempore informes illæ figuræ ad veritatem tranſierunt.[Se-
mel autem in anno,& ſolus Pontifex in Sanctaſanctorum intrabat,non ſine ſan
guine, quem offerret pro ſua & pro populi ignorantia;] planum id quoque no-
bis faciet ſapientiſſimus idem vir Paulus, cum ad hunc modum de Chriſto di-
Hebra.10. cit,[Superius cũ dixiſſet, Hoſtias & oblationes & holocauſtomata & pro pec
cato noluiſti, neque tibi placuerunt, quæ ex Lege offeruntur, tunc dixi, Ec-
ce venio, vt faciam voluntatem tuam ; aufert primum vt ſequens ſtatuat : in
qua voluntate ſanctificati ſumus per oblationem corporis Ieſu Chriſti.Et om-
nis quidem ſacerdos præſto eſt quotidie miniſtrans,& eaſdem ſæpe offerens ho
ſtias, quæ nunquam poſſunt auferre peccata : hic autem,cum vnam pro pecca- B
tis hoſtiam obtuliſſet,in ſempiternum ſedit in dextera Dei, de cetero expectãs,
donec ponantur inimici eius, ſcabellum pedum eius ; vna enim oblatione per-
Rom.6. fecit in ſempiternum ſanctificatos :] nam,cum ſit ſemel mortuus, non amplius
moritur, vt ſcriptum eſt, & peccatis multorum oblatis,ingreſſus eſt in Sancta-
ſanctorum,ideſt,in cælum,vt appareat nunc vultui Dei pro nobis. PALLAD.
Perſpicua eſt oratio . Itaque mitte in hac re laborem ſuſcipere;illud potius mi-
hi explices velim, quis ille ſit ſanguis, quem offerre conſueuerit ille ſacerdotũ
princeps tum pro ſua tum pro populi ignorantia . CYRILL. Paulus,cum in
Lege peritus eſſet, ac Moyſi mandatum in primis calleret,Hebræorum populis
tamquam huiuſmodi rerum non ignaris, & qui Legem peruolutaſſent, non lõ-
ga narratione, ſed potius rerum illis notarum commemoratione obiter de tam
venerandis arcaniſque rebus hæc dicit . Afferam igitur, ſi videtur, legem hac
de re conſtitutam,ei qui Chriſti myſterium perdiſcere velit, & locorum ad cõ- C
templandum propoſitorum accuratam & expolitam explicationem audire cu-
piat . Eſt igitur in Leuitico ſcriptum, [Et locutus eſt Dominus ad Moyſen di-
Leuit.4. cens, Loquere ad filios Iſrael ; Anima,ſi peccauerit coram Domino non volun
tarie, in omnibus præceptis Domini, quæ non oportet facere, & fecerit vnum
de ipſis ; ſi quidem ſummusſacerdos qui vnctus eſt peccauerit ; ita vt populus
peccet, afferet pro peccato ſuo, quod peccauit, vitulum ex bobus immacula-
tum Domino pro peccato ſuo ; & adducet vitulum ad oſtium tabernaculi teſti-
monij coram Domino, & mactabit vitulum coram Domino, & accipiens ſacer
dos vnctus, cuius conſecratæ ſunt manus, de ſanguine vituli, inferet illum in
tabernaculum teſtimonij, & intinget ſacerdos digitum in ſanguinem,& aſper-
get de ſanguine ſepties digito coram Domino ad velum ſanctum ; & ponet ſa-
cerdos de ſanguine vituli ſuper cornua altaris thymiamatis cõpoſitionis,quod
eſt ante Dominum, quod eſt in tabernaculo teſtimonij, & omnem ſanguinem D
vituli effundet ad baſim altaris holocauſti,quod eſt ad oſtium tabernaculi teſti
monij, & omnem adipem vituli pro peccato auferet ab illo,adipem,qui operit
inteſtina, & omnem adipem, qui eſt ſuper inteſtina,& duos renunculos & adi-
pem,qui ſuper eos eſt,qui eſt ſuper lumbos, & pinnam, quæ eſt ſuper iecur, cũ
renunculis auferet illud, quemadmodum aufertur a vitulo hoſtiæ ſalutaris, &
offeret ſacerdos ſuper altare ſacrificij ; & pellem vituli ; & omnem illius carnẽ
cum capite & extremitatibus, & ventre & fimo ; & efferent totum vitulum ex-
tra caſtra, in locum mundum,vbi effundunt cinerem,& comburent illum ſuper
lignis igni ; in effuſione cineris comburentur.] Atque hæc quidem Lex fieri
iuſſit, ſi qua ignorantiæ culpa in ſummoſacerdote reſederit : quinetiam inquit
oportere,

A oportere, vt pro populi quoque ignorantiæ sacrificium fiat, allato vitulo, cæsoque ad ostium tabernaculi testimonij coram Domino, imponentibus illi manus Synagogæ senioribus, & in Sancta sanctorum illato sanguine, &, vt vno verbo dicam, omnibus similiter factis, ac de hostia pro Aaron dictum est. Esse autem Christum & sacerdotem, & populi expiationem, (in ipso namque iustificati sumus, peccati maculis ablutis) per hæc quoque cuiuis perspicuum fieri potest. Dicamus autem singillatim, quæ ad singulas huius Scripturæ partes explicandas faciunt; nam hoc modo distinctè progredietur oratio, & ea, quæ latent, quoad fieri poterit, aperiet. PALLAD. Optime. CYRILL. Sumitur itaque vitulus immaculatus, & in quo nulla sit plaga, in Christi figuram, illius vere immaculati, & qui peccati vulnus suscipere non sustinuit; [Venit, *Ioan. 14.* enim, inquit, Princeps mundi huius, & in me nihil inueniet:] neque enim fe- *1. Petr. 2.* cit peccatum, vt Scripturæ tradunt. Affertur autem ad ipsa stabernaculi fores

B coram Domino: quod pati pro ipso sancto tabernaculo, idest, pro Ecclesia non recusarit, sed pro illa Deo ac Patri in odorem suauitatis oblatus sit; ideoque dicebat, [Pro ipsis ego sanctifico me ipsum:] nam, cum dicit, Sanctifico, hoc *Ioan. 17.* significat, Offero ac deuoueo me ipsum oblationem immaculatam Deo & Patri: sanctificari enim dicitur, quod Deo dicatur, iuxta id, quod scriptum est, [Laqueus est homini, cito aliquid e suis rebus sanctificare; nam, postea- *Prouer. 20.* quam deuouerit, fit vt pæniteat.] Fuisse autem huiusmodi oblationem acceptam, ac Deo placitam, declarant illa verba; [Coram Domino]: intelligimus enim id, quod de illo fratrum germanorum pari scriptum est, de Cain inquam & Abel, [Respexit enim, inquit, Deus ad Abel, & ad munera eius: ad Cain *Genes. 4.* autem, & ad sacrificia eius non attendit:] nam respicere illum id quod sibi placeat; & vicissim auersari quod secus habeat, non est obscurum. Imponente autem manus in vitulum eo, qui peccauit, cæditur hostia, & in conspectu

C Dei cæditur; [ipse enim portat iniquitates nostras, & pro nobis dolet,] dum *Esa. 53.* cæditur; operis enim & actionum figuram præseferunt manus. Ceterum in conspectu Dei cæditur, quod Pater propemodum consentiret, vt pro nobis Filius moreretur; neque enim auersatur, cum immolari Filium aspicit non quod eius passionem prorsus approbet; sed quod illum Emmanuel pro nobis pati rem esse mundo salutarem, non ignoret. Ipse igitur nostra peccata portat, ac pro nobis dolet, dum in illa pretiosa cruce pro nobis occidi sustinet. Tum sacerdos digito sumens de sanguine, asperget septies ad velamen sanctum, quod est super arcam, cui nomen est Propitiatorium; vngit etiam cornua altaris incensi: Christus enim propitiatio atque propitiatorium factus est nobis: ceterum in sanguine testamenti æterni perfectissimam nobis purgationē largitur; hoc enim est, nisi fallor, septies aspergi sanguine propitiatorium; est enim septenarius numerus perfectionis signum. Porro eius ipsa quoq. mors

D mundi salutem ac vitam & accessum per fidē velut odorem spirat; [vnus quip- *2. Cor. 5.* pe pro omnibus mortuus est, vt qui viuunt, non iam sibi uiuant; sed ei, qui pro ipsis mortuus est, & resurrexit,] vt scriptum est. Quod itaque altare incensi aureum sanguine perungitur, id eius mortis fragrantiam significat. Effunditur vero etiam reliquus sanguis ad basim altaris sacrificiorum in primo tabernaculo; ac sanguis quidem animæ figura est: ille porro Emmanuel non pro sola ex Gentibus Ecclesia animam posuit, sed pro iis etiam, qui sub Lege erant, idest, pro Israel; redempti enim sumus Christi sanguine simul omnes, Gentiles atque Iudæi, eiusque rei testis est Paulus dicens, [An Iudæorum Deus est tan- *Rom. 3.* tum? non ne & Gentium? immo & Gentium; siquidem vnus est Deus, qui iustificabit circumcisionem ex fide, & præputium per fidem.] Detractis autem

intera-

interaneis vituli, & oblatis ad altare, reliquum corpus extra caſtra crematur; A
ipſe enim hoſtia ſacra eſt virtutibus fragrans, quarum figuræ ſunt interiores il
læ corporis partes; ſunt enim in nobis quodammodo abditæ virtutes, & in ani
mo penitus reconditæ; ipſe idem, qui extra portam patitur, & carnis ſuæ mor-
Heb.9. te purgat inquinatos: [Vitulæ enim cinis aſperſus, ait, inquinatos ſanctificat
ad emundationem carnis.] Vnus igitur idemq. cum ſit Emmanuel, & in ſacris
tabernaculis, in Eccleſijs inquam, ſuauitatis odorem dum incenditur ſpirat, &
extra portam paſſus eſt, quo nobis quoque exeundum eſſe, improperium eius
Hebr.13. portantibus, beatus Paulus ait. Offertur etiam ſimiliter eodemq. modo vitu-
lus pro populi ignorantiis, eadem per omnia ratione ſacrificij ſeruata, nam ſe
ipſum ille Emmanuel pro tenuibus æque ac pro magnis; pro populo æque ac
pro ſacerdotibus obtulit. An vero non verum eſt quod dixi? PALLAD. Ve
rum ſane. CYRILL. Viſne igitur, vt quaſi retorqueamus orationem, &
ad ea, quæ ad tabernaculum pertinent, narranda deflectamus? PALLAD. B
Maxime vero. CYRILL. Omnibus operibus expletis, vaſiſq. ſacris ſuo cu
iuſq. loco diſpoſitis, præcepit Deus, vt & illa & tabernaculum ſanctificaretur:
Exo.30. itaq. beato Moyſi dixit, [Et accipies oleum vnctionis, & vnges tabernaculum
& omnia, quæ in eo ſunt, & ſanctificabis illud, & omnia vaſa eius, & erunt
ſancta, & vnges altare ſacrificiorum, & omnia vaſa, & ſactificabis altare, &
erit altare ſanctum ſanctorum.] Vides igitur oleo ſancto arcã perungi ac men
ſam, candelabrum præterea & altare quoque incenſi aureum; atqui his omni-
bus illum Emmanuel figurari, multis iam verbis declaratũ eſt. PALLAD.
Verum eſt. CYRILL. Intellige igitur illud, quod Dauid, tamquam ad il-
Pſal.44. lum voce conuerſa, decantauit, [Dilexiſti iuſtitiam, & odiſti iniquitatem;
propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ conſortibus tuis:] ſcri-
Hebr.2. bit etiam Paulus, [Qui enim ſanctificat, & ſanctificantur, ex vno omnes.] Non
eſt autem ignorandum, quod ſana veraq. doctrina ſuadet, ipſum etiã, qui tam- C
quam Deus omnibus aliis ſanctificationem tribuit, & vna cum Patre ac Deo
Philip.2. largitur, nobiſcum tamen ex natura humana ſanctificari, hæcq. eſt illa, quæ di-
citur exinanitio; nam qui ſecundum naturam ſanctus eſt, vt pote qui ſit Deus,
Act.10. indigere Deo ſanctificante dicitur; idque ait beatus Petrus, [Ieſum a Naza-
ret vt vnxerit eum Deus Spirituſancto.] Cadit igitur in humanam eius natu-
ram vnctio, & in eius carnem ſanctificatio, quæ non ſuapte natura ſancta eſt,
ſed tamquam ex participatione diuina; nam extrinſecus in creaturas aduenit
ſanctificatio, & aduentitiam a Deo gratiam conſequuntur. Vngitur etiam vna
cum ceteris illius legalis cultus altare; ſancta eſt enim Lex, cum ad agnitionem
eius, qui ſecundum naturam Deus eſt, vocet, & in audientium animis iuſtitiæ
cognitionem inſerat, & eos, quos inſtituit, ad probitatis initia perducat;
Prouer.16. [Initium enim, inquit, viæ bonæ, eſt facere iuſta.] Scribit etiam profe-
Rom.7. cto Paulus, [Itaque Lex quidem ſancta, & mandatum ſanctum, & iuſtum D
& bonum.] Porro ſancta ſanctorũ eſt Lex, non ex eo quod vmbra eſt, ſed quod,
ſi ad ſpiritualem contemplationem transferatur, illæ eius figuræ nobis Chri-
ſtum clamare videantur, qui vere ſanctus ſanctorum eſt, cum ſanctificet tam-
quam Deus, & eos, qui per fidem facti ſunt eius participes, ſuo ſpiritu inun-
gat. Iam vero ſacro tabernaculo erecto, atque etiam ſancto oleo peruncto, di-
camus quod ſequitur, ſi placet. PALLAD. Sane vero. CYRILL. Sic
Exo.vlt. itaque ſcriptum eſt, [Et perfecit Moyſes omnia opera, & operuit nubes taber
naculum teſtimonij, & gloria Domini impletum eſt tabernaculum; & non po-
tuit Moyſes ingredi in tabernaculum teſtimonij, quia obumbrauerat illud nu-
bes, & gloria Domini impletum erat tabernaculum: quotieſcunque autem ele-
uabatur

A uabatur a tabernaculo, castra mouebant filij Israel cum sarcina sua; quod si non fuisset eleuata nubes, non mouebant castra vsque in diem, quo eleuaretur nubes; nubes enim erat super tabernaculo per diem, & ignis erat super illo per noctem in conspectu totius Israel in omnibus profectionibus eorum.] Manifestato namque in orbe terrarum sancto illo ac veriore tabernaculo, idest, illa ex gentibus Ecclesia, Christi lumen circumfulsit, & quasi nubes quædã spiritualis superno rore nos abunde lætificans, Dei templum compleт. Non tamen potuit, inquit, ingredi Moyses; neque enim ingressus est Israel, quia diuini luminis radios ferre non potuit, neque intellexit Christi mysterium; iam vero ne spiritualem quidem illuminationem admisit, neque mentis oculis Domini gloriam aspexit; cum quo dum in figura nubis ex hoc mundo proficiscitur, & ad supera tendit, simul proficiscimur Dominica vestigia persequentes; initiauit enim nobis viam nouam & viuentem, illam, quæ sursum ducit in cælum: dum- *Heb. 10.*
B que conquiescit atque considet, simul conquiescemus atque considebimus: nube enim proficiscente, simul proficiscebatur populus; & considente, simul considebat: Nubes enim erat, inquit, super tabernaculum per diem, & ignis per noctem: spiritualibus namque charismatis eos Christus irrorat, qui propterea tamquam in die sunt ac luce, quod subtiliorem ipsius atque accuratiorem cognitionem perceperunt, & mentem illustratam habent; eos enim, qui sunt adhuc rudiores, illuminat. Omnino autem mundani erroris tenebræ in Ecclesiis nullæ sunt, cum circum eas Christus fulgeat, & spirituali lumine vniuersa simul illustret: non enim sumus noctis neque tenebrarum, sed filij lucis & diei, *1. Thess. 5.* vt scriptum est. PALLAD. Recte ais. CYRILL. His adiiciemus breuiter leges, quæ ad tabernaculum pertinent, & oblationes populi, profectiones etiam ac stationes exponemus; sic enim recto itinere progredietur oratio. PALLAD. Assentior. CYRILL. Constituit enim ille Legislator ac Iu-
C dex, vt in sancto illo tabernaculo duntaxat sacrificia consummarent, quicunq. id facere vellent: vt eos, opinor, ab illo veteri cultu falsæ religionis auerteret, quem in AEgypto nimirum exhibuerant, vbi multa vigebant idolorũ ludibria, falsorumque Deorum turpissima turba, quæ ne ab ipsis quidem, qui adorare vellent, cognosci posset; vbi etiam liberum erat cuique, eo modo sacrificare, quo voluisset, vt est a sapiente quodam gentili temere dictum, Alius vero alij Deo sacrificabat. Ab hoc igitur adeo stulto atque impio vsu & absurda consuetudine cum eos abducere vellet, dixit rursus in Leuitico, [Loquere ad Aaron, *Leuit. 17.* & ad filios eius, & ad omnes filios Israel, & dices ad eos; Hoc est verbum, quod præcepit Dominus dicens, Homo ex filiis Israel, vel ex iis, qui appositi sunt vobis, qui occiderit vitulum aut ouem aut capram in castris, & qui occiderit extra castra, & ad ostium tabernaculi testimonij non attulerit, vt faciat illud holocaustum vel sacrificium salutare, Domino acceptum in odorẽ suauitatis;
D & qui occiderit extra, & ad ostium tabernaculi testimonij non attulerit illud, vt offerat donum Domino coram tabernaculo Domini; sanguis imputabitur homini illi; sanguinem effudit; exterminabitur anima illa de populo suo.] Sanguinem igitur fundere, & homicidij reum fore inquit eum, qui extra tabernaculum sacrificauerit; seipsum enim interfecit, ac suam animam perdidit, quisquis illam ab eo, qui secundum naturam Deus est, auertit, eamque lapidibus ac lignis & dæmoniorum erroribus dicauit. Ceterum non omnem prorsus victimam ad ostium tabernaculi afferri præcepisse, sed eam duntaxat, quam in sacrificium offerre Deo quisq. voluisset, perspicuè ostendit, cũ illico subiunxit, [Et non sacrificabunt sacrificia sua vanitatibus, cũ quibus ipsi fornicatur post *Leuit. 17.* eas.] Igitur interdicit prorsus, ne quis nullo discrimine, cuicũq. velit, sacrificet;

soli autem ei, qui secundum naturam Deus est, cultum exhibendum esse, A apertissime dicit. PALLAD. Præclare sane dictum est. CYRILL. Nec vero mediocriter iuuat, si alio quoq. modo intelligamus expedire, atque etiam prope necessarium esse, in sancto duntaxat tabernaculo sacrificia fieri, ac sacras victimas offerri. PALLAD. Quo tandem modo? CYRILL. An non imaginem ac figuram ipsius Emmanuel esse dicebamus illum vitulum, qui pro sacerdote, & populi ignorantia ad tabernaculum mactabatur? PALLAD. Dicebamus. CYRILL. Ob eam igitur caussam dicimus in Ecclesiis, tãquam in sanctis tabernaculis, Christi mysterium perfici oportere; quod ipsum alibi quoq. præcepit: cũ enim ab initio sanxisset, qua ratione a filiis Israel ex AEgy-
Exo.12. ptiorũ terra proficiscentibus agnus in Christi figurã esset immolandus; [In vna domo comedetur, inquit, neque efferetur de carnibus eius foras.] Violant igitur, diuersa sentientes hæretici, Dei decretum, qui præter illud, quod est re uera sanctum tabernaculum, alterum sibi figunt, & foris agnum immolant, & B longissime ab illa vna domo efferunt, & illum, qui est indiuiduus, diuidunt: vnus est enim ac perfectus in omnibus Christus. At vero sapiens ille, ac sacro-
Deut.12. rum interpres Moyses nobis præcipit dicens in Deuteronomio, [Caue tibi ipsi, ne offeras holocaustum tuum in omni loco, quem videris, præterquam in loco, quem elegerit dominus Deus tuus in vna ciuitatum tuarum; ibi offeres holocausta tua, & ibi facies omnia, quæcunq. ego præcipio tibi hodie; sed in omni desiderio tuo sacrificabis, & comedes carnes secundum desiderium animæ tuæ, secundum benedictionem domini Dei tui, quam dederit tibi in omni ciuitate: immundus, qui in te est, & mundus simul eomedent ipsum, vt capream vel ceruum, præterquam quod sanguinem non comedetis; in terram effundetis ipsum vt aquam.] Animi igitur est in primis impij culpa & crimen, audere in omni loco sacrificare, non in domo Dei explere Christi mysterium. PALLAD. Recte sane dicis; illud tamen explices velim: cum sanguine vesci C Lex improbauerit, & id iure fecerit, quinam in hac littera sensus insit. CYRILL. Si ita videtur, ea, quæ sunt hac de re in Leuitico quoque sancita di-
Leuit.17. camus; quæ sic habent, [Et homo de filiis Israel, aut de proselytis, qui appositi sunt vobis, quicunque comederit omnem sanguinem, statuam faciẽ meam in animam, quæ vescitur sanguine, & perdam eam de populo suo; nam anima omnis carnis, sanguis eius: & ego dedi vobis in altari, vt propitietur pro animabus vestris; sanguis enim eius pro anima propitiabitur. Ideo dixi filiis Israel, Omnis anima ex vobis non comedet sanguinem; & homo de filiis Israel aut de proselytis, qui appositi sunt vobis, qui venando ceperit feram, aut auem, qua vesci licet, effundet sanguinem eius, & operiet illum terra; anima enim omnis carnis, sanguis eius; qui ederit eum, exterminabitur.] Vide igitur aperte ac manifeste pro animæ figura sanguinem accipi. PALLAD. Intelligo. CYRILL. Lex igitur sanguinem a corporibus occisis seiungit ac subtrahit; D qua in re dogma verum docet, & a nobis ipsis fide receptum, & in Ecclesiis in præcipuis habitum, nempe sic habendũ esse, vt animam hominis rationis compotem, immortalem putemus; neque enim mors eam vna cum terrenis corporibus interimit; sed potius ille conditor, qui illi vitam impertiuit, absoluit &
Genes.2 relaxat ac subducit, quominus eam perpetiatur; factus est enim homo ab ipso initio in animam viuentem, cum in ipsum Deus immisisset spiritum vitæ; sic enim scriptum est: impingemus enim, vt opinor, infirmitatis vitium vitæ illi, omnia viuificanti, si, quod ab ea productum est vt viuat, vna cum caducis corporibus dixerimus interire; ac vicissim ornabimus præclara sapiẽtiæ laude, si illam immortalem esse crediderimus, eaque condicione vt esset, illi omnium rerum

A rũ artifici placuisse, in quo viuimus, mouemur & sumus. Atq. hoc sibi volũt le-
gis hac de re cõstitutæ verba. Sed pergamus ad alias tabernaculi leges. Ait igi- *Exod. 23.*
tur Dominus in Exodo, [Nõ sãctificabis super fermẽto sanguinẽ hostiæ meæ:]
Sine fermẽto sit, inquit, sanguis, qui funditur, neq. super id, quod Deo in sacri-
ficiũ offertur, fermentũ aut simila fermẽtata adiiciatur: oportet enim vt expur
gati & azymi quodãmodo, idest, nullã vitij atq. improbitatis admistionẽ in ani
mo habentes, animas nostras, quarũ sanguis figurã gerit, Deo consecremus no
uã etiã conspersionẽ & azymos appellauit beatus Paulus, qui per fidẽ in Chri-
stũ, integramq. dilectionem sinceram ac puram, & ab omni improbitatis admi
stione seiunctam animam conseruarent. Quinetiam, [Non pernoctabit, in- *Exo. 23.*
quit, adeps festiuitatis meæ vsque mane :] idest, hesternum adipem non offe-
res in odorem suauitatis. In Leuitico autem apertius hanc legem explicat,
eamque rem perspicuam facit dicens de eo, qui offert victimam, [Siue voto *Leuit. 7.*
B debitum, siue voluntarium sacrificauerit munus suum, quo die obtulerit sacri-
ficium, comedetur, & postridie; quod autem reliquum fuerit de carnibus sa-
crificij vsque in diem tertium, igni comburetur; quod si comedendo comede-
rit de carnibus die tertio, non erit acceptum offerenti illud. non imputabitur
ipsi; inquinatio est.] Tertio igitur ante die immolatum sacrificium reiicit; sed
etiam hesternum se auersari declarauit, dicẽs, [Quod si sacrificaueris sacrificiũ
votũ pro gratiis agendis Domino, vt acceptabile sit vobis, sacrificabitis illud,
eodem ipso die comedetur: non relinquetur de carnibus in mane: ego sum Do-
minus; peccatum accipiet.] PALLAD. Sed quis nam horum verborũ sen-
sus est? CYRILL. In superioribus Lex nobis sæpenumero demonstrauit hũc
morem esse diuinæ scripturæ, vt vniuersum tempus interdum duas in partes di
uidat; in illud, quo Lex fuit; & illud, quo Christus illuxit: nonnunquam in tres,
eo tempore etiam interiecto, atque in medio collocato, quo sanctorum prophe
C tarum chorus effulsit; sed tamen tam eo tempore, quo Moyses, quam eo quo
prophetæ fuerunt, eadem ratio cultus exhibendi fuit, nimirũ in vmbris adhuc
Legis; sed, cum iam diluxisset, ac tertium illud tempus apparuisset, atque or-
bis, qui sub sole est, vniuersus intelligibili lumine, idest, Christi splendore cir
cunfusus esset, iam veteri caligine discussa, illa cultus ratio, quæ eo tempore
viguerat, non adhuc grata & accepta est, sed adeps aut sacrificium siue hester-
num sit, siue tertianum, apud Deum execrabile est, & auersatur ac respuit, &
alieno tempore offerre volentibus pro inquinamento deputatur. An, cũ Chri-
stus euangelicis disciplinis illustret sanctorum animos, eosq. spiritualis cultus
rationem optime perdoceat, minime putas superuacuas esse iam quodammo-
do, atque inutiles Legis obseruationes? PALLAD. Ego vero fateor, neque *Philipp. 3.*
enim ignoro stercora ac detrimẽta beatum Paulum appellasse Legis ornamen-
ta, propter eminentem scientiam Christi; video enim illum ad quosdam scri-
D psisse, [Dico autem vobis, quoniam si circuncidamini, Christus vobis nihil pro- *Galat. 5.*
derit.] CYRILL. Recte ais. Igitur peccatum est, & inquinamenti plenum,
manifestato iam Christo, cum tempus illud præterierit, quo Lex & prophetæ
viguerunt, velle vmbratilem illum cultum retinere, audereque Deo ouem aut
adipem aut tus offerre; cum perspicue dicat Filius Patri ac Deo, [Sacrificium *Psal. 39.*
& oblationem noluisti, corpus autẽ aptasti mihi: holocausta & pro peccato non
placuerunt tibi; tunc dixi, Ecce venio: in capite libri scriptum est de me, vt face
rem, Deus, voluntatem tuam:] nam, posteaquam Filius immaculatam victi-
mam pro nobis obtulit, legalibus cæremoniis finem imposuit, cũ ea auferre pec
cata non possent; finis enim Legis ac prophetarum, Christus. PALLAD. Re
cte ais. CYRILL. Post illam igitur in Christo consummationem accedi ad

Patrem adhuc legali cultu non potest, sed per Filium duntaxat ad eum accedi- A
Ioan. 14. mus, ideoq. dicebat, [Nemo venit ad Patrem, nisi per me.] Esse autem ad sacrificandum ineptum atque imperfectum, quicquid in Christo non fuerit;& vicissim acceptum & consecrationi aptissimũ, quicquid per ipsum & in ipso offer-
Exod. 23. tur, perspicuum fiet per ea, quæ Lex partim in Exodo edicit his verbis, [Non
Leuit. 22. coques agnum in lacte matris suæ:] partim in Leuitico, [Et locutus est Dominus ad Moysen dicens, Si vitulus aut ouis aut capra cuiquam nata fuerit, erit septem dies sub matre eius; die autem octauo & deinceps acceptabilis erit in oblationes, sacrificium Domino;& bouem & ouem ipsam & filiũ eius non occidetis in vno die.] Agnum igitur recens genitum ac lactentem adhuc, mactare non permittit;qua in re illud ostendit, quod imperfectum sit adhuc,& exigua infirmaq. prudentia, id nondum esse sacrum, ob eamque caussam ne acceptum quidem & gratum Deo, cuiusmodi illi erant insipientes ac rudes, ad quos bea-
Heb. 5. tus Paulus scribit, [Etenim, cum deberetis esse magistri propter tempus, rur- B sus indigetis eo, qui vos doceat, quæ sint elementa initij sermonum Dei;& facti estis, quibus lacte opus sit, non solido cibo; perfectorum est autem solidus cibus.] Igitur imperfectum est, quicquid lacte adhuc nutritur,& sub vbere est, quod ad prudentiam spiritualemq. firmitatem attinet. Iam igitur ex iis, quæ sensui sunt exposita & conspicua, tãquam ex figura, ad ea quæ sensum fugiunt, & intellectu capiuntur, perget oratio. Illud certe optime intelliges, omnia in Christo perfecta & accepta fieri;nam ea animantia, quæ offerrentur atque consecratentur Deo, septem dies sub matre esse iubet, septimo demum die ac deinceps ex eis dona & sacrificia Deo offerri licere. PALLAD. Non satis perspicua sunt hæc verba. CYRILL. An tu diem octauum resurrectionis nostri Saluatoris diem esse minime fateris,& initium quodammodo noui sæculi, quo iam illud Legis sæculum tãquam in diebus septem prioribus pertransiuit? PALLAD. Ego vero fateor. CYRILL. Igitur profanus est iam, & ad C oblationem ineptus, quisquis est tamquam in Legis tempore, nimirũ quisquis in cultu carnali versatur;& apta vicissim oblatio, eaq. Deo acceptabilis, quisquis ex octauo iam die ac deinceps in Christo est; nam illa in Christo vocatio, cum ex eius resurrectione initium sumpserit, nunquã desinet;idq. sciens Filius
Ioan. 12. dicebat interdum quidem, [Cum exaltatus fuero a terra, omnes traham ad me
Ioan. 12. ipsum:] interdum vero, [Amen dico vobis, nisi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit, ipsum solum manet; si autem mortuum fuerit, multum fructum affert.] PALLAD. Recte ais:illud vero non occidendam esse matrem cum filiis eodem die, quidnam significat? CYRILLVS. Cum ea, quæ ad Christum pertinebant, optime constituisset, ac perfectionem, quæ per illum tribuitur, elegantissime prædixisset, non ignorauit, vtpote cum Deus esset, Iudæorum contumaciam & effrenatam audaciam, ob eamque caussam perdendos esse Israelitas, vt qui Dominicidæ,& in Dei filium immaniter contumelio- D si fuissent, non tamen Hierusalem funditus perituram, sed filiis orbam fore, vltimum extremumq. tempus expectantem, quo etiã ipsa salua fiet, ac post gen-
Psal. 20. tes accurret; posita est enim in dorsum, idest, retro, iuxta Psallentis voce, [Quo-
Rom. 11. niam pones eos dorsum:] omnis quippe Israel saluus fiet, posteaquã grex Gentium in ouilia se diuina receperit. Non igitur extremo excidio deleri Lex permittit, prædicitq. supplicium de contumacibus sumendum esse, clementia temperatum. Simul etiam, vt opinor, in ea re tamquam exemplum quoddam cognitionis necessariæ describit; neque enim res omnes intereunt in nihilum, mero exitio tamquam sæuo domino subiectæ, sed permanent veluti successionibus quibusdam, & hoc in illo, illud rursus in hoc seruatur, propterea quod

suas

A suas creaturas per genera ac species funditus interire non patitur Deus; [creauit enim, vt essent omnia,& salutares generationes mundi,] sicut scriptum est. Conuenientissimum porro erat, vt iidem sermones, eiusmodi quoque res prænunciarent atq. declararent, qui Christū prædicabāt, per quem & in quo, quæ interiere, seruantur;& quæ mortis dominatu sunt oppressa, reflorescunt ad vitam; nam stirps humani generis vt in Adam, veluti mater quædam, extincta est; qui tamen ex illa orti sunt, idest, nos refloruimus in Christo, in eoque sumus,& saluamur,ipsumque vitam & alteram quodammodo stirpem nostri generis habemus. PALLAD. Præclara sane & expolita admodum oratio. CYRILL. Operæpretium vero, Palladi, est iis, quæ dicta sunt, etiam illud adiungere, [Non plantabis tibiipsi nemus, omne lignum prope altare domini Dei tui, non facies tibi.] Vide enim vt veritatis adoratorem ab omni errore idolorum prorsus abducat, cum Gentilium legibus vti minime permittat, & B illorum mores abiicere præcipiat, etiamsi nihil offensionis fortasse habeant, si seruentur. PALLAD. Quale tandem istud est, quod dicis? CYRILL. Gentiles,sicubi densas arbores,lucumque totum abunde opacum deprehenderant,ibi aras ad Dæmonum sacrificia extruebant:scilicet opus erat Dæmoniorum aris tamquam aberrationem quandam animi, ac sæculares oblectationes adiunctas esse; nam falsitas ipsa per se infirma est;adhibitis autem extrinsecus persæpe fucis, ornatur, vt turpes mulierculæ solent. Illud porro diuinum altare cum pulcherrima veritatis specie fulgeret, quænam extrinseca adiumenta, aut vana ornamenta requireret? neque enim per sæcularia oblectamenta aditur ad Deum, neque soluto remissoq. animo, & ad carnales voluptates proiecto atque resupino, sed vigilanti ac sursum intentissime respicienti, & in cælis fixo. Ac, si fortuitu ex illo diuino altari stirpes extitissent,ea res firmo ac fideli nostri Saluatoris adoratori nihil obfuisset: sed, quia Gentilium est prorsus C id institutum, refugienda est imitatio, atque consuetudinis similitudo, quemadmodum procul dubio fideli homini, & in vera cognitione atque scientia confirmato, nihil est idolum in mundo, neque aliquid est idolothytum, tamen vt alius quidam præcipit, eo vesci non licet propter infirmorum conscientiam; [vt quid enim ego iudicor ab alia conscientia? Si ego cum gratia participo,cur blasphemor,pro quo ego gratias ago?] Laudabile igitur est apud Deum cauere, ne in altariū situ, neve in religionis moribus atque ritu Gentiles imitemur. PALLAD. Assentior. CYRILL. Aequum esse autem, vt oblationes ad Dei gloriam offeramus, nec vacuis manibus ad sacrū tabernaculum adeamus, eædem sacræ litteræ declarant, quæ sic habent in Numeris, [Et factum est, quo die consummauit Moyses erigere tabernaculum, vnxit illud ac sanctificauit,& omnia vasa eius, & vnxit ea, & sanctificauit ea, & altare, & omnia eius vasa, & vnxit ac sanctificauit ea; & obtulerunt principes Israel, duo- D decim principes domorum familiarum suarum: hi principes tribuum, hi sunt, qui adfuerunt recensioni, & attulerunt dona sua ante Dominum; sex vehicula tecta, & duodecim boues; vehiculum a duobus principibus, & bouem a singulis, & adduxerunt ea ante tabernaculum. Et locutus est Dominus ad Moysen dicens, Accipe ab ipsis, & erunt ad opera ministerij tabernaculi testimonij, & dabis ea Leuitis, singulis pro suo ministerio. Et accipiens Moyses vehicula, & boues dedit ea Leuitis.] Neque vero hucusque duntaxat principum tribuum dona progressa sunt, sed his etiam alia adiuncta: scriptum est enim, [Et obtulerunt principes ad dedicationem altaris die, quo vnxit illud, & attulerunt principes dona sua ante altare, & dixit Dominus ad Moysen, Princeps vnus per singulos dies offeret dona sua ad dedicationem altaris:& fuit qui obtulit

Sapient. 1.
Deut. 16.
1. Cor. 8.
1. Cor. 10.
Num. 7.
Num. 7.

tulit primo die donum suum. Naasson filius Aminadab princeps tribus Iudæ: A
& obtulit donum suum catinum argenteum vnum, centum & triginta pondus eius;phialam vnã argenteam septuaginta siclorũ iuxta siclum sanctum, vtrumque plenum simila conspersa oleo ad sacrificium; mortariolum vnum decem aureorum plenum incenso; vitulum vnum de bobus, arietem vnum, agnum vnum anniculum in holocaustum; & hœdum de capris vnum pro peccato,& ad hostiam salutaris vitulas duas, & arietes quinque, hircos quinque, agnos anniculos quinque; hoc fuit donum Naasson filij Aminadab.] Obtulerunt præterea ceteri deinceps vsque ad duodecimum eodem modo similiq. magnificentia, cum suus cuique certus dies attributus esset: sic enim præceperat Deus. PALLAD. Sed quæ tandem est huius adeo multiplicis oblationis ratio? CYRIL. Equidem, Palladi, si rem gestam spectes, oblatio est, sed illi coniuncta est, mystica, mea quidẽ sententia, ratio, per quam ad Emmanuel, & ad nos ipsos hoc ænigma refertur; id autem explicabo, vt potero. Namque manifestato iam B
in orbe terrarum sancto illo veroque tabernaculo, idest, Ecclesia, Christus in ea multis variisque modis excellens Deo ac Patri a nobis propemodum ac pro nobis vt sacra victima offertur, quæ pretium sit ac pro vniuersorum vita permutatio, quippe cum ille vnus sit pro vniuersis æqua æstimatio; nam, posteaquam ille Vnigenitus factus est vt vnus e nobis homo, se ipsum obtulit Deo & Patri quasi præcipuum quiddam ac primitias humanæ naturæ, sanctitatem redolentis, quæ illi sanctitas, qua parte intelligitur, atque adeo est Deus, secundum naturam & essentiam inerat, sed eandem aduentitiam habebat, qua parte humana in eo natura spectatur: cumque vnus idemq. sit, multis tamẽ modis in illa principum oblatione figurabatur: vt vero tunc, sic hoc quoque tempore sacrificatur Christus per eos principes, qui pro temporum serie succedũt, multiplici notione perceptus, variisq. nominibus ornatus: fiebat enim oblatio per singulos dies; quo facto significabatur illa per singulos dies Christi hostiæ C
perennitas ac perpetuitas, atque etiam eorum, qui fide iustificati sunt, in offerendo largitas; neque enim vnquam deerunt adoratores, neque erit oblationis inopia, sed Christus in sanctis tabernaculis mystice sacrificatus a nobis offeretur. Ipse est autem oblatio nostra prima atque præcipua; seipsum enim obtulit hostiam Patri non pro se ipso, vt vera fides docet, sed pro nobis, qui sub peccati iugo ac reatu tenebamur. Sumus deinde ad illius similitudinem nos ipsi quoque sacræ victimæ, cum mundo morimur, quatenus peccatum in nobis mortuum est, Deo autem viuimus, illam in sanctitate ac pietate vitam; hæc enim nobis præseferre videtur illa principum oblatio; quam placetne per partes, vt nobis optime habere videbitur, congruentibus rationibus examinemus, atque, quoad fieri poterit, explicemus? PALLAD. Mihi sane placet. CYRILL. Allatus igitur est a singulis vitulus, vehiculaque sex numero, sacris operibus tabernaculi attributa sunt; deinde a singulis catinus vnus argenteus, D
& phiala vna, & vtraque, inquit, plena simila conspersa oleo; mortariolũ vnum incensi plenum, aries vnus, agnus vnus anniculus in holocaustum, hœdus e capris vnus pro peccato; atque hæc quidem holocausta fuere. Obtulerunt præterea in sacrificium vitulas duas, arietes quinque, hircos quinque, agnos anniculos quinque. PALLAD. Expone igitur illud in primis, quid intersit quidve differre dicendum sit inter hostiam salutaris & holocaustum. CYRILL. Accipe igitur. Nam illa ex animantibus holocausta tota ex omni parte igni sacro atque perpetuo cremabantur, nulla parte omnino excepta, sed particulis fere omnibus ac membris omnibus in odorem suauitatis ad Deũ ascendẽtibus; quæ vero pro hostia salutari cædebantur, ea consecrabantur ex parte, vt dexter humerus,

Rom.6.

A humerus, caput etiam ac pedes, renes ac iecur, nonnullæ præterea recondi-
tæ partes & intestinæ. Christo igitur conuenit in holocaustum offerri: est enim
reuera totus sanctus, totus odore suauitatis plenus ac sacer: nobis autem illa
victima proprie conuenit, quæ non est ex omni parte sancta, neque omnino
sacra, quibus nonnihil maculæ inest propter peccatum, quod est in nobis;
[nemo enim mundus a sorde;] &, [delicta quis intelliget?] vt scriptum est. ob *Iob. 14.*
eam itaque caussam, hostiam, quæ pro salute offerebatur, non vniuersam in- *Psal. 18.*
cendi, sed potius ex parte consecrari debere, Lex rectissime iussit. Num igitur,
Palladi, perspicua tibi est mea oratio, & ad intelligendum satis apta? P A L-
L A D. Sane vero. C Y R I L L. Age igitur pergamus de iis, quæ a singulis
oblata sunt, aliquid dicere atque intelligere, quod fructuosum sit futurum.
P A L L A D. Perge igitur. C Y R I L L. Hæc sunt ergo a singulis tribuum
principibus oblata, Catinus argenteus vnus, phiala vna, & vtraque plena simi-
B læ consperſæ oleo: catinus itaque ad esculenta continenda est aptus, & ad pul-
menta vsum habet, quod etiam ipse Saluator docuit, qui Ioanni illi fideli disci
pulo roganti, quisnam ipsum traditurus esset, [Qui intingit, inquit, mecum ma *Matth. 26.*
num in catino;] de phialæ autem vsu quid attinet dicere, quę ipsa res voce pę *Ioan. 13.*
ne testari videtur? simila porro panis est signum; ex illa namque fit panis: est au
tem panis vitæ Christus. Igitur tamquam in catino, & in phiala, & tãquam in
pane, qui in vtroq. vase erat, cum vtrumque plenum esset similæ, nimirũ tam-
quam in cibo ac potu Christus, qui vita est, atque viuificator, significatur: in-
quit enim, [Amen dico vobis, nisi manducaueritis carnem filij hominis, & bi- *Ioan. 6.*
beritis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.] Oleo autem similã fuis-
se madefactã inquit: in quo typus ipse pæne illud e Psalmis concinere videtur,
[Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem, propterea vnxit te Deus Deus tuus *Psal. 44.*
oleo lætitiæ præ consortibus tuis.] Mortariolũ vero figura est ac species turibu
C li ad mortarij similitudinem facti, ipsum quoq. ture plenum: bonus enim odor
ac turibulum est Christus, non extrinsecus odorem habens, vt nobis certe con-
tingit, qui participatione virtutis atq. sanctificationis eius, quæ ex pietate est,
hæc ipsa consequimur; sed ex se tamquã Deus, in suaq. natura iis rebus prædi
tum, per quæ illũ admiramur, & odore, qui supra mundum est, & supra creatu-
ram omnem, totum replens orbẽ terrarum: nam illũ secundum naturam ac re-
uera Deum esse, & in sua ipsius natura paternæ cognitionis odorem accepisse,
optime dignoscitur: plenum igitur est incenso mortariolum. Deinde adducitur
bos, aries præterea & hœdus e capris afferuntur; ac per hæc omnia animantia
ipse figuratur, in vitulo quidem propter summam firmitatẽ, & quod mansueto-
rum mundorumq. animantium bos est præstantissimus, ac magnitudine corpo-
ris excellit: omnia autem, quæ ad Christũ pertinent, spirituali excellentia præ-
dita sunt, & ipse præstantia per omnia minime comparanda eminet, atq. supe-
D rior est; in ariete vero propter perfectionem, atque etiam propter innocentiam
in agno. [Ego enim, inquit, tamquam agnus innocens, qui ducitur, vt immo- *Hiere. 11*
letur, nesciebam:] in hœdo rursus, propterea quod pro peccatoribus occisus est;
hœdus enim ex Legis præscripto sacrificium est pro peccato: ille autem Emma
nuel mortem pro nobis subiit, & ea nece, quam pro nobis pertulit, a veteribus
delictis liberati sumus. An vero non id esse verum putas? P A L L A D. quidni
putem? C Y R I L L. Illud autem obserues velim, oblatos quidem esse boues;
ceterum ad opera tabernaculi destinatos, vt, cum castra moueri opus esset, ipsi
onera vehiculis ferendo, sacrorum administros labore ac molestia leuarent: in
Christo enim conquiescit Ecclesia, & nos ipse fert, & laboribus, qui supra vires
sunt, sacrũ illud honoratũq. genus, ac populum sacrorũ operum peritũ succum-
bere

bere non permittit. Sic igitur ſupradicta ad Chriſtum referenda ſunt. Quæ au- A
tem pertinebant ad hoſtiam ſalutaris, ea pro ſeipſis quodammodo principes af-
ferebant, ac tamquam tabernaculo conſecrabant, offerebantq. Deo in odorem
ſuauitatis; vitulæ autem erant duæ, arietes quinque, hirci quinque, agni quin-
que. Ac vitulus quidem Chriſtus eſt, nos viciſſim vitulæ: ratio etiam vtriuſque
non eſt aliena, ſed vera potius atque perſpicua; ſemper enim fere mas princi-
pem locum tenet, & apud Deum honore ac gloria præſtat, eamq. rem ſuo teſti-
monio natura comprobat; inferior eſt autem femina, illiq. ſubiecta, & viribus,
& honore poſterior, & a tergo quodammodo marem ſequens. Eſt itaque vt in
mare vitulo dux noſter Chriſtus, nos vero quodammodo ſubiecti, & multo
quam ille tum robore tum gloria inferiores, longiſſimoq. interuallo diſiuncti:
nam etſi noſtri ſimilis factus eſt; (eadem quippe ſpecie ſunt vitulus ac vitula)
Pſal.88. ſed tamen, quæ ad eum pertinent, longe ſunt excellentiora, [quis enim æqua-
bitur Deo in filiis Dei?] ſimul enim & ſecundum nos, & ſupra nos Chriſtus eſt; B
ac præſtantiam diuinitatis retinet, licet ſit caro factus. Ceterum duæ ſunt vi-
tulæ in figuram, vt opinor, duorum populorum, qui ſuo concurſu vnum effi-
ciunt populum ex vtroque conflatum, cum eos in vnitatem ſpiritus per fidem,
ille conſerat, atque connectat qui propter nos, atque inter nos eſt factus. Arie-
tes præterea & agni totidem, hirci quoque haud pauciores, multitudinem cre-
dentium indicant, quæ quinto quaſi tempore contigit, quo tempore ille adue-
Ioan. 12. nit, qui dixit, [Cum exaltatus fuero a terra, omnes traham ad me ipſum.] Per
arietes autem ſignificatur credentium prudentiæ perfectio, & ſpiritualis æta-
tis, illius nimirum, qua in Chriſto creſcimus, abſolutio; per agnos vero ſim-
1.Cor.14. plicitas & innocentia; [Nolite enim, inquit, fratres, pueri effici ſenſibus, ſed
malitia paruuli eſtote, ſenſibus autem perfecti eſtote.] Per hircos denique pro
peccato, ſemper nos expiatione ac remiſſione peccatorum opus habere: itaque
Matth.6. edocti ſumus in orationibus dicere, [Dimitte nobis debita;] nullum enim tem- C
pus eſt, quo non iis certe, qui perfecta ſunt prudentia, humanæq. imbecillita-
Pſal.18. tis haud ignari, clamare neceſſe ſit, [Delicta quis intelligit? & ab occultis meis
munda me.] Hæc eſt ſpiritualis hoſtia, & quæ pro ſalute noſtrarum animarum
Deo in odorem ſuauitatis offertur. PALLAD. Ita eſt. CYRILL. Chri-
ſtum igitur dixi in vitulo & arietibus, agnis quoque & hircis ceteriſq. animan-
tibus ſignificari: neque vero meam hac de re expoſitionem arbitror ab eo quod
rectum ſit, abhorrere. Sed, ſi quis velit ad nos ipſos quoque ſententiarum
vim transferre, nihil prohibet eiuſmodi quampiam reconditam intelligentiam
propoſitis rebus adiungere. PALLAD. Cuiusmodi tandem? CYRILL.
Offerebantur, vt Lex conſtituerat, ſacræ victimæ ab vniuerſo Iſraelis populo;
ſed ad altare fundebatur cæſorum animantium ſanguis: in quo res ipſa geſta
nobis tamquam in vmbra prope deſcripſit & oblique ſignificauit, Deo, qui
ſanctus eſt, noſtras animas nos conſecrare debere. PALLAD. Recte ais. D
CYRILL. Noſtro igitur loco ac pro nobis victimæ offeruntur, noſque in
illis typice ſacrificamur. PALLAD. Ita eſt. CYRILL. Age ergo dili-
genter examinemus, quæ tamquam ab omni multitudine per manus princi-
pum oblata ſunt, ac ſpiritualis contemplationis pulchritudinem circumſpicia-
mus. Argenteis igitur vaſis, catino inquam ac phiala, ſimila oblata eſt oleo
madefacta: eſt autem argentum ſplendoris nota, vt ſimila vitæ; quippe cum
ex illa panis exiſtat, qui vitam conſeruat; oleum denique ſignum eſt hilarita-
tis. Offeratur itaque a nobis ipſis quoque Deo, qui eſt ſuper omnia, in ſplen-
Rom.12. dore vitæ hilaritas per ſpem, quæ in Chriſto eſt; [Spe enim gaudentes,] in-
quit: qui enim fieri poteſt, vt non ſumma lætitia pleni ſint, qui genus vitæ atq.
con-

A conuersationis splendidum diligenter excoluerint? & Saluatoris nostri mandata custodierint? quibus omnino apud Deū reposita est eius ipsius gloriæ participatio? [Mortui enim estis, inquit, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo; cum Christus apparuerit, vita vestra, tunc & vos apparebitis cum ipso in gloria.] Igitur simila oleo conspersa est; inest enim in sanctorum virorum vita illa vt in spe gloriæ hilaritas cum splendore nimirū sanctitatis & iustitiæ. Aureum porro mortariolum incensi plenum sanctorum pulchritudinem significat, & illam tamquam in sacris vasis suaueolentiam sanctitatis, quæ deinde offertur Deo velut donum quoddam saue fragrantissimum. An vero, Palladi, sanctos viros vasa esse splendida & electa non putabimus? PALLAD. Ego vero maxime puto. CYRILL. Vitulus igitur a singulis vnus offertur: suntq; simul vniuersi duodecim, sed tabernaculum tamen vehunt bini, ad vehiculum ac iugum vnum iuncti, Leuitarumque sunt ministeriis attributi; quæ res figura est duorum populorum, qui non adhuc dogmatum & vitæ dissimilitudine disiuncti, sed sub vnum Saluatoris nostri iugum toleranter ac fortiter coniuncti sunt atque conuenerunt, [Viriliter enim age, inquit, & confortetur cor tuum, & sustine Dominum.] Est autem bos laboris tolerantissimum animal atque robustissimum, quales omnino sunt, qui pietatem in Deum amplectuntur, qui Christum quasi iugum sibi impositum sustinent, in illo sacro tabernaculo figuratum; corpus porro illius Ecclesiam esse, ipse quoque Paulus diuinus vir appellat: dictum est etiam ad Ananiam de eodem Paulo, [Vade, inquit, quia vas electionis est hic mihi, vt portet nomen meum coram Gentibus.] Aries præterea & agnus afferuntur, qui tum antiquioris tum recentioris populi ad Deum accessum ac veluti dedicationem spiritualem præseferunt: vt enim in bobus tolerantia & fortitudo designabatur, sic, vt opinor, in ouibus quoque illa cum mansuetudine vbertas eorum qui per fidem in Christum iustificati sunt, plane indicatur; est namque id animal mansuetum atque fructuosum; quales sunt omnes, qui euangelicam viuendi rationem diligenter colunt, quos ipse Christus alloquebatur, [Omni petenti te tribue; & ab eo, qui tollit res tuas, ne repetas, & percutienti te in dextra maxilla, verte illi & alteram.] Scribit etiam Paulus, [Seruum autem Domini non oportet pugnare, sed mansuetum esse ad omnes, in mansuetudine docentem diuersa sentientes.] Prædictis autem hœdi etiam oblationem adiungi oportere, id nihil aliud, vt opinor, ostendit nisi quod paulo ante dixi, omnes, etiamsi probis moribus fuerint, purgatione pænitentiæ & offensarum obliuione indigere, idque sciens beatus Dauid aiebat, [Si iniquitates obseruaueris, Domine Domine, quis sustinebit?] Hœdus igitur pro remissione peccatorum offertur iuxta veterem legem, & nunc pænitentia & obliuionis petitio nostrum est sacrificium in spiritu & veritate ad Deum accedentium; [Dic enim, inquit, tu prior iniquitates tuas, vt iustificeris:] psallit etiam profecto Dauid. [Dixi, Confitebor aduersum me iniustitiam meam Domino: & tu remisisti impietatem cordis mei.] Estne iam tibi tandem illius oblationis principum ratio perspicua? PALLAD. Maxime vero. CYRILL. Illud etiam dicendum esse arbitror, allato iam a singulis sacrificio, quod tamquā pro omnibus offerebatur, Deum initium fecisse in tabernaculo cum Moyse illo sacrorum interprete colloquendi: scriptum est autem rursus ad hūc modum in Numeris, [Hæc est dedicatio altaris, postquā impleuit manus eius, & postquam vnxit illum, cum ingrederetur Moyses in tabernaculum testimonij, vt loqueretur cum ipso, & audiuit vocem domini Dei loquentis cum ipso supra propitiatorium, quod est supra arcam testimonij inter duos Cherubim, & loquebatur cum ipso.] Nam, consum-

Marginal notes: Coloss. 3. — Psal. 26. — Act. 9. — Luca 6. — 2. Timot. 2. — Psal. 129. — Esa. 43. — Psal. 31. — Num. 7.
Section letters: A, B, C, D.

consummato iam quodammodo tabernaculo,& vera illa sanctificatione,idest, A
Ecclesia mũdo manifestata,tũ denique vox Dei ac Patris nobis insonuit:locu-
Hebr. 1. tus est enim nobis in Filio,quem propitiationem esse dicimus pro peccatis no-
1. Ioan. 2. stris secundum Scripturas. Desuper autem Cherubim vox audiebatur; nam
superior creatura omni atque vlterior est Deus,& essentiali atque insita excel
lentia omnibus rebus conditis præstat. Cum itaque verum propitiatorium,Fi-
lius nempe ad nos transmitteret superas illas & editas a Patre voces, dicebat,
Ioan. 6. [Verba, quæ ego loquor, non sunt mea, sed eius,qui misit me.] Igitur de
propitiatorio vox extitit. Nec mediocriter admiraberis, si principes tribuum,
quo ordine accesserint, inspexeris, cum enim suus cuique dies proprie attribu-
tus esset, quo die iussa perficeret, ac donum afferret, ordinate illi quidem ac-
cesserunt, vt legislatori visum est, non tamen eo ordine, quo quisque natus
erat, idest, ætatis ratione minime habita, neque rursus omnino confuse
atque permiste, sed potius veluti mystica moderatione dispositi. PAL- B
LAD. Equidem, quod a te dictum est,quale sit,non possum intelligere;quam
obrem expone illud apertius. CYRILL. Visne vt ordine & cõsequenter eos,
qui ex Iacob nati sunt, recenseamus? sic enim facillime perspicuum fiet,quo-
modo sit accessionis ordo immutatus. PALLAD. Velim equidem. CY-
Genes.29. & 30. RILL. Est igitur primogenitus Ruben; post hunc Simeon, Leui, & Iudas
ex matre Lia: Bala deinde ancilla,Dan & Nephthalim parit: Zelpha item an-
cilla Liæ, Gad & Aser: Lia rursus post alios quatuor, Issachar & Zabulon, de
Rachel autem Ioseph & Beniamin nati sunt. Igitur primi ex Lia libera quatuor
sunt, Ruben & Simeon, Leui & Iudas: ex duabus porro ancillis Bala & Zel-
pha quatuor,Dan & Nephthalim,Gad & Aser: his alij quatuor additi,duo ex
Lia, Issachar & Zabulon;duo item ex Rachel,Ioseph & Beniamin: meminisse
autem necesse est,Ioseph fortem in duas diuisam esse tribus in Ephraim & Ma-
nasse,ambos ex illo genitos. PALLAD. Equidem ordinem nominum opti- C
me teneo: sed tui iam officij est, declarare quod in iis quæritur. CYRILL.
Qui cum donis accedebant, Palladi, id faciebant, non ætatis habita ratione,
sed primus quidem Iudas, etiamsi temporis ordine quartus erat, nonus etiam
post eum Issachar & vna decimus Zabulon: post hos secunda veluti classis con-
sequitur, primogenitus Ruben, & qui deinceps ordine secundus est Simeon,
hisq. cõiunctus Dan ex ancilla natus:tertius his accedit ordo ex tribus liberis,
Ephraim,Manasse & Beniamin: quarta classis in extremis collocata est eorum,
qui ex ancillis editi sunt,tresque itidem sunt, Dan, Aser, Nephthalim,quam-
uis tempore natiuitatis anteirent eos, qui priore loco collocati sunt, Ephraim
inquam,& Manasse & Beniamin. Num igitur parum necessariam esse censes ha
rum rerum inquisitionem? PALLAD. Ego vero maxime necessariam puto;
sed quænam sit eius rei ratio,enitere vt mihi explices. CYRILL. Videtur ea
res, vt ego arbitror,per ænigma insinuare, quæ per Christum instituta sunt,ea D
apud Deum priorem locum tenere, quam ea, quæ sunt Lege sancita; & qui
erant primi, eos esse vltimos factos; ac vicissim vltimos, primos;nam,qui tem-
pore antiquiores erant, & ob eam caussam primogeniti, idest, Israel, Gentes
a tergo sequitur; quippe spiritum seruilem habent, & seruientis Hierusalem
filij de præstantiore gloria concedunt filiis liberæ,quæ est mater nostra omniũ,
qui in Christo iustificati sumus,& per spiritus libertatem ad liberam condicio-
nem vocati. Vide enim, si placet, diligentem huius contemplationis ratio-
nem:prima enim inter ceteras,donum affert tribus Iuda;ex qua ortus est secun
dum carnem Christus: & post eam continuo tribus Issachar & Zabulon, qui
ambo liberi erant & ex liberis; deinde Ruben primogenitus, Simeon, & Gad,
qui

A qui est ex ancilla natus;per hos autem Israel significatur. Age ergo de vnoquoque dicamus, atque ex iis, quæ a Iacob de illis prædicta sunt, nonnihil sumamus. Dixit igitur beatus Iacob, [Ruben primogenitus meus,tu fortitudo mea, & principium filiorum meorum, durus ad ferendum, durus, & procax.] Et iterum, [Simeon & Leui fratres perfecerunt iniquitatem ex instituto suo;in consilium eorum non intret anima mea, & in conspiratione eorum non innitatur iecur meum; quia in furore suo occiderunt viros, & in cupiditate sua subneruauerunt taurum: maledictus furor eorum, quia pertinax;& ira eorum, quia obdurata est.] De Gad vero hæc rursus dixit, [Tentatio tentabit eum, & ipse tentabit eum secus pedes.] Igitur per Ruben non absurde Israel accipitur; primogenitus ille quidem temporis ordine, sed durus & procax & contumeliosus: per Simeon autem, cui coniunctus est Leui, idem populus vt ad cædem promptus, & sanctorum occisor significatur: [Quem enim prophetarum, in- *Gen.49.* *Act.7.*
B quit,non occiderunt patres vestri?] & taurum prætereа,qui Christus est, subneruauit:neque enim Iudæorum populus duntaxat moliri ausus est illa aduersus sanctos viros atque ipsum Christum facinora; sed Leui quoque se iis socium adiunxit, sacra nimirum tribus, qui altari iugiter præsto erant; scribæ quoque ac pharisæi. Iccirco in prædictionibus Iacob primi parentis cum Simeon coniungitur Leui. Per Gad autem,qui est e serua,& tentamentum,idem intelligitur, vt qui sensu & animo sit ignobili, & Iesum tentet, atque malitiæ suæ laqueos tendat:accesserunt enim dicentes,[Licet censum dare Cæsari, an non?] Igitur, vt ad id, quod initio dicebam, reuocem orationem meam, ille Israel, qui temporis ordine primogenitus erat, ille durus & procax & contumeliosus, ille promptus ad cædem, & qui maledictam iram retinet, & homines occidit,& subneruauit taurum,ille ignobilis & acerbus ad struendos dolos, & qui laqueos tendit, & tentator, denique post eos, qui in Christo & liberi *Matth.22.*
C sunt, collocatus est, etsi liber post nos erit, vt vix tandem ad Dei conspectum veniat. PALLAD. Rectissime dicis. CYRILL. Quod autem dixi, plane intelliges, si ad ea, quæ deinceps sequuntur, animum intenderis: tres enim inter se coniuncti deinceps obtulerunt ex Rachele libera, Ephraim, & Manasses,& Beniamin,quorum priores ex Ioseph parente nati sunt, Ephraim & Manasses, deinde post illos alij tres inuicem iuncti, ancillarumq. filij, Dan inquam,Aser,& Nephthalim. Animaduertis igitur e liberis quidē natos antecedere, & in magno honore haberi, sequi autem filios ancillarum:an non hoc illud est, quod ipse nobis beatus Paulus scribit, [Cum enim,inquit, plenitudo Gentium intrauerit, tunc omnis Israel saluus erit?] PALLAD. Recte ais: est enim subtilis admodum obseruatio. CYRILL. Atqui id non esse falso dictum, scies, & quidem facillime: iam enim Scriptura nos ex alijs sententijs confirmat;ordine enim congruenti iussit Deus, vt castra mouerent atque loca- *Num.7.* *Rom.11.*
D rent, ac sisterent filij Israel, & vt tabernaculum circumirent constituit, iuxta illud, opinor, quod est a beato Dauid eleganter decantatum,[Et circundabo altare tuum, Domine, vt audiam vocem laudis tuæ,] vel illud, [Circuiui & immolaui in tabernaculo ipsius hostiam vociferationis.] Insinuatur etiam aliud quidpiam esse tamquam in figura fieri iussum. Oportet enim, vt nos a Deo minime disiungamur, sed proxime quodammodo, & circa illum stare videamur, ne peccatum interpositum sit, neve vlla sæcularis voluptas nos diuidat, sed rectæ mentis præsentia & ad omnes laudandas actiones suscipiendas alacritas ad spiritualem vnitatē colligat; nam qui sic laudabiliter se gerere curauerint,eos certe in primis dona offerre decet:scriptum est enim, [Omnes in circuitu eius afferent munera.] Itaque simul cum tabernaculo eos proficisci, & illi circumfusos *Psal.25.* *Psal.26.* *Psal.75.*

fusos promouere iussit, ordine quoque non qui ætati conueniret, neque qui a A
primis ad extremos confuse perueniret, sed eadem ratione coniunctos atque
discretos, qua in donorum oblatione dispositi fuerant: scriptum est enim in Nu
Num.2. meris ad hunc modum, [Et locutus est Dominus ad Moysen & Aaron, Homo iunctus secundum agmen suum, & secundum signa, secundum domos familiarum suarum castrametentur filij Israel coram Domino, circum tabernaculum testimonij castrametabuntur filij Israel.] Deinde attributum cuique locum ostendit vbinam, & quomodo, quiue castrametari debeant; subiungit enim ad hunc modum, [Et qui castrametantur primi ad Orientem, agmen castrorum Iuda cum exercitu suo, & castrametantes iuxta eos ex tribu Issachar, & castrametantes iuxta eos ex tribu Zabulon.] Deinde secundā classem recenset, & ait, [Agmen castrorum Ruben ad Austrum cum exercitu eorum, & princeps filiorū Ruben Elisur filius Sediur, exercitus eius recensiti sex & quadraginta millia & quingētis; & castrametantes iuxta eū ex tribu Simeon; & castrametātes iuxta eū B
ex tribu Gad.] Tertiam his illico classem adiungit dicens, [Agmen castrorum Ephraim prope mare cū exercitū eorum, & castrametātes iuxta eū qui ex tribu Beniamin.] Quartæ quoq. classis cōtinuo meminit, dicēs, [Agmen castrorū Dan ad Aquilonē cum exercitu suo; & castrametantes prope eū ex tribu Aser, & castrametātes prope eū ex tribu Nephthalim, omnes recēsiti, inquit, e castris Dā centum quinquaginta & septem millia & sexcenti: extremi mouebunt agmina sua.] Vides primo loco positum esse Iudam, & eius socios, & præcipuū habitare locum ad Orientem & Austrum; nā qui in Christo sunt, in lumine versantur, & spiritu feruent: secundo loco Ruben, & eius comites: tertio rursus, qui e libera sunt, post hos ceteri tres ex ancillis, de quibus dictum est, [Extremi proficiscentur.] An non perspicuum est, ac minime dubium, antelatū esse eum primogenito, ac prius vocatum, qui secundus est, populus nimirum, qui est in Christo? & liberum per fidem præpositum iis, qui e serua sunt nati? illi enim præcedunt propter Christum, qui ex genere Iuda natus est; hi vero vix a tergo sequuntur, & secundo loco positi sunt. PALLAD. Rectissime sane dictum C
est, ac tuam adeo subtilem prudentiam admiror.


FINIS LIBRI DECIMI.



SANCTI

SANCTI CYRILLI ARCHIEPISCOPI ALEXANDRIAE

DE ADORATIONE IN SPIRITV ET VERITATE



LIBER VNDECIMVS.

De Sacerdotio. Sacerdotium legale, figuram fuisse illius, quod in Christo est.

A 
E Tabernaculo quidē & iis, quæ de eo præcepta sunt, sermo a nobis satis plenus est habitus, & ad spiritualem subtilitatem eleganter expolitus. Est autem consequens, vt mihi quidem videtur, teq. assensurum certo scio, ad sacerdotij munera explicanda transire; quoue modo per figuratiuum legale, verū significetur, nimirum illud, quod in Christo est, & per Christū genus illud factum sanctificeat, eos inquam, qui fidei claritate sunt illustres, ac Dei coniunctionem, per Spiritus sancti participationem consecuti. PALLAD. Consequēs vero, ac iure optimo quidem. CYRILL. Igitur, sacro illo tabernaculo cum decenti ornatu iā absoluto, perductoq. ad eam formam, quæ in monte fuerat beato Moysi ostensa, sacerdotes designat Deus:
itaq. ait, [Et tu applica ad te Aaron, fratrem tuum, & filios eius de filiis Israel, *Exo.28.*
B vt sacerdotio fungātur mihi, Aaron & Nadab & Abiud & Eleazar, & Ithamar filios Aaron.] Nominatim igitur electi illi viri sunt, ad sacerdotij munus vocati; [neque enim sibi quisquam sumit honorem, sed qui vocatur a Deo,] sicut *Heb.5.*
scriptū est. Igitur ad sacerdotij munus, quod a Deo defertur, sua sponte accedat nemo, sed vt vocetur, expectet: alioqui, si diuino suffragio minime tributū rapere tētauerit, in easdē, quas Dathan & Abiron, pœnas incidet. Neq. vero tibi mirum videri debet, si hoc ipsum, sponte se ingerere, in nobis absurdū ac turpe sit,
quādo etiā de ipso Christo scribit Paulus, [Nō semetipsum clarificauit, vt Pon *Hebr. 5.*
tifex fieret, sed qui locutus est ad eū, Tu es sacerdos in æternum secundū ordinem Melchisedech.] Ergo vocationis, qua Christus vocatus esse dicitur, imago est, quod ad Moysen sapienter est dictum, [Et tu applica ad te ipsum, Aaron fra

trem tuum,& filios eius:]nam illud, Applica,quid aliud,quam, Adiunge atq. aduoca, significat? Vocatus est autẽ Christus tãquam ad pontificis munus per voluntatem Patris; simul autem cum eo quodammodo vocati,cooperatoresq. officij sacerdotalis effecti sunt etiam sancti illi discipuli. Itaque etiam aperte dicebant, [Dei cooperatores sumus.] Omnem præterea orbem terrarum circuibant, sacrificantes in Gentibus Euangelium Christi. Quamuis enim vocati sint illi quidem per Christum ad apostolatum, idque verissime dicatur; erat tamen id prorsus ex voluntate Patris: vna est enim in omnibus, quæ geruntur, vtriusque sententia; quippe cum Patris & consilium & sapientia & voluntas sit Filius. Est igitur Aaron Christi figura,& illius sacerdotij,quod in spiritu & veritate intelligitur, quædã vt in vmbris adhuc obscurioribus præsignatio. Animaduerte autẽ iuberi Moysi,vt applicet ad se Aaron:infirma enim est Lex & imperfecta, si a Christo disiungatur;[impossibile est enim sanguine taurorũ & hircorum auferri peccata:]Christus autem,vnã pro peccatoribus cũ obtulisset hostiã,consummauit in sempiternũ sanctificatos. Sciant igitur qui vmbram adhuc & litterã diligunt,& mosaicis mandatis mordicus adhærescunt,nisi sibi ipsis adiunxerint atq. applicauerint sacerdotem illũ & Apostolum confessionis nostræ,Iesum Christũ, illud studium cultus in figura exhibiti vanũ & irritum fore. Quo enim numero sint apud virtutis amantẽ Deum illa vitæ secundũ Legem actæ ornamenta? Itaq. Paulus ille vir sapientissimus propter eminentem Christi scientiã,vt stercora se arbitrari testatur,quæ in mũdo sunt omnia, eisq. spiritualia præferre;idq. est secundũ sublimiorẽ sensum,applicare ad se Aaron.

1. Cor. 3.
Rom. 15.
Hebr. 10.
Philip. 3.

PALLAD. Teneo quid velis:perspicua est enim oratio. CYRIL L. Applica igitur ad te,inquit,Aaron fratrem tuum;alia quoque ratione,vt opinor,hoc ipsum ad spiritualis intelligẽtiæ fructũ nõnihil valere sciens;sed,quod dicturus sum,aduertas velim. Mittebatur namq. Moyses,vt ex Aegypti afflictione Israelem educeret;qui,cũ humanis viribus multo antecellere, suæq. facultatis atq. eloquentiæ modũ superare illud opus intelligeret,rogabat dicens, [Ecce non sum eloquens ante hesternum,neq. ante nudiustertianũ diem,neq. ex quo cœpisti loqui ad seruũ tuum;gracili namq. voce, ac lingua tardiore sum ego.] Ad hæc Deus cum diceret,[Quis dedit os homini?& quis fecit surdũ ac mutum,videntem ac cæcum?nonne ego dominus Deus? Et nunc vade,& ego aperiam os tuũ.]Ille officij magnitudine victus,pertimuit iterum,ac dixit,[Obsecro Domine,elige aliũ,qui possit,quem mittas.]Tunc igitur statim Deus elegit Aarõ in Christi figuram,qui omnia facile perficere nouit:neque aliter liberatus fuisset Israel, nisi illi Moysi vocis gracilitati atq. infirmitati Christus itidem tãquam in imagine Aaron datus esset adiutor. Ad eundem quoq. modũ hoc loco velim intelligas;vt enim Legis infirmitatẽ in Christo perficeret,ideo ipsum Aarõ ad sacerdotale munus prouexit,atq. beato Moysi vtiliter adiunxit. Neq. enim ad liberandũ,neq. ad perficiendum in sanctificatione satis virium est in Lege, sed vtrumque, & liberatio & sanctificatio Christus est, tametsi cooperentur sancti viri, vt certe Moyses ipsi Aaroni tunc in AEgypto socium se operis præstitit, & eidẽ postea ipsius Aarõ filij. At vero illius summi Sacerdotis omniũ atq. principis Christi,spiritualiter cooperatores fuerunt etiã beati discipuli,quãuis ille omnia posset efficere,eiq. nõ vt imbecillo se comites adiũxissent,sed vt ad subministrandũ vocati,ac præ ceteris electi,viribus ab eo ad omnia perficiẽda sumptis. Cuius rei testis est B. Paulus,cũ dicit,[Omnia possũ in eo,qui me cõfortat Christo.] PAL. Igitur delecti ac nominatim appellati ad sacerdotij munus vocati sũt Aarõ ac reliqui. CYR. Adhæc vestes illis quoq. præclaras,& sacerdotali munere dignas cõfici præcepit dicẽs,[Et facies stolã sanctã Aarõ fratri tuo ad honorem

Exod. 4.
Exo. 28.

A honorem & gloriam: & tu loquere ad omnes sapientes mente, quos impleui spiritu intelligentiæ; & facient stolam sanctam Aaron in sanctificationem, cum qua sacerdotio fungatur mihi.] Paulus igitur vir sapientissimus eos, qui fide iustificati erant, sancta illa ac vere de cælo stola vt induantur hortatur, scribens[:Induite Dominum nostrum, Iesum Christum.] Esaias quoque Propheta multo ante tamquam ex Ecclesiæ persona clamabat dicens,[Exultet anima mea in Domino; induit enim me vestimento salutis,& tunica lætitiæ.] Vestis igitur ad honorem & gloriam plane sacrati sanctique generis Christus est, atque præclarum ac supernum sanctarum animarum ornamentum.[Quotquot enim baptizati estis in Christum, inquit, Christum induistis:] quod verissime dictum est. Lex porro tamquam in vmbris & imagine exornat ipsum Aaron, eamque illius variæ vestis gloriam ad Christum refert; propemodum enim vna cum illo artificioso apparatu cõtexta ratio mystica, atque subtilis inuenitur, Rom.3. Esai.61. Galat.3.

B quæ figurate Saluatoris nostri gloriam indicat. Vide enim quemadmodum vestium opifices spiritu sapientiæ, qui datur a Deo, repletos esse dicat, qui spiritus illos ad floridi ac variegati operis effectionem perduceret,& Christi gloriam in vestimentis describeret. Sunt autem ea opificia, pectorale & superhumerale & talaris tunica, & tunica fimbriis ornata, cidaris etiam & zona, & nonnulla alia præterea, de quibus singillatim erit nobis, vt res patitur, differendum. De iis igitur, qui ad ea opera efficienda assumebantur, ait, [Et ipsi accipient aurum & hyacinthum, & purpuram, & coccum & byssum.] Ac mihi rursus ad ea, quæ proposita sunt, mentis aciẽ intendas velim, atq. hoc ante alia cõsideres. PALL. Quid istud est? CYRILL. An non ex auro & bysso & purpura & coccino torto, ac hyacintho etiam ea omnia facta erant, quæ ad tabernaculum pertinebant, eademque Christi figuram gerebant? PALLAD. Ita est. CYRILL. Vide igitur ex materia eadem etiam præcipui sacerdotis stolam esse

C confectam, quæ Christi gloriam vt in imagine itidem ac figuris contineret; nam eadem verba, & intellectus non diuersus, Christi gloriam significant. Nam is vt in auro quidem Deus; vt in purpura regiam dignitatem habens; vt in bysso tenui, Verbum subtile,& corporis expers intelligitur: idem quoq. vt in cocco figuratur propter carnis naturam; vt in hyacintho denique aeris speciem referente, (is est enim hyacinthi color,) propterea quod e supernis est & e cælo. Quid enim? nonne & Deus simul & Rex est illud ex Deo parente Verbum? PALLAD. Quis neget? CYRILL. Nonne præterea, cum Verbum esset Patris subtile, & corporis expers, idem in carne factum, & de supernis est? PALLAD. Verum. CYRILL. Igitur eadẽ est omnino etiam quod ad subtiliorem contemplationem pertinet, materia vestimentorum, & eorum quæ in tabernaculi opere confecta sunt. Sed de his satis. Iam vero de iis, quæ ad honorem & gloriam Aaron varie contexta sunt, dicendi tempus

D est. Igitur: [Et facient, inquit, superhumerale ex bysso torta, opus textile variatoris, duo superhumeralia continentia erunt ipsi, alterum alteri in duabus partibus iuncta,& textura superhumeralium, quæ est in ipso iuxta effectionem, ex ipso erit, ex auro & hyacintho & purpura & cocco torto,& bysso neta.] Cũ itaque materiam, quæ nunc dicta est, textilibus vestibus tribuisset, continuo subiigit,[Et accipies duos lapides, lapides smaragdos,& sculpes in eis nomina filiorum Israel, sex nomina in lapide vno, & sex nomina reliqua in lapide altero, iuxta natiuitates eorum, opus gemmariæ artis: sculptura sigilli sculpes lapides nominibus filiorum Israel: & pones duos lapides in humeris superhumeralis: lapides memorialis sunt filiis Israel.] PALLAD. Profunda equidem videtur propositarum quæstionum ratio, sed enitere hoc mihi prius exponere, Exo. 28.

qnidnam illud ſit, qnod appellatur, ſuperhumerale, quoue modo confectum. A
CYRILL. Textilem quandamv eſtem tunicæ inſtar, vſque ad pectus pertinentem fieri iuſſit, vt, iis veſtibus, quæ interiores eſſent, & corpus contingerent, & vſque ad pedes demitterentur, ſuper inducta, & auri, ac purpuræ ſplendore fulgens, intuentium oculis venerandam, & ſacerdotali maieſtate dignam admirationem ingereret. Hanc vocauit, Superhumerale, ſeu, vt græce eſt ἐπωμίδα, propter breuitatem, vt arbitror, operis, & quod vix ſuper vtrumque humerum extenderetur. In hoc itaque ſuperhumerali duos lapides, (ſmaragdi hi erant,) tenuibus texturis probe conſtrictos inſeri iuſſit, inſculptis artificioſe per nomina tribubus, ita vt ſex in vno lapide deſcriberentur. Eiuſque rei rationem ipſe nobis declarauit dicens, Et portabit Aaron nomina filiorum Iſrael, coram Domino, in duobus humeris ſuis, in monimentum pro ipſis. PALLAD. Quid vero exiſtimandum eſt lapidibus & eorum ſculpturis ſignificari? CYRILL. Accipe iam. Liuidus lapis eſt ſmaragdus; habet B
tamen ſplendorem in profundo velut innatantem, ac lumen quodammodo admiſtum tenebris, quorum vtrumque alterum vincere contendit. Num igitur, Palladi, hic corporis oculus ſurſum verſus & in ſublime ſpectans, & quamlongiſſime in ſummum aerem, & cælum intentus, non in eiuſmodi quandam ſpeciem incurrit? liuidus eſt enim ſane, ac velut in profundo niger, & lumine mediocri temperatus ille longe ſupremns aer. PALLAD. Ita eſt. CYRILL. Vtuntur ergo hoc lapide ſacræ litteræ tamquam imagine quadam cæli: neque tibi id mirum videatur; cum etiam ſapphiro illud perſimile faciãt: pallida eſt enim gemma ſapphirus, & à ſmaragdi ſpecie non longe remota. Eſt
Exo. 24. autem ita ſcriptũ in Exodo, [Et aſcendit Moyſes & Aaron, & Nadab & Abiud, & ſeptuaginta e ſenioribus Iſrael, & viderunt locum, vbi ſtabat Deus Iſrael, & ſub pedibus eius quaſi opus lapidis ſapphiri, & quaſi ſpecies firmamenti cæli, cum purum eſt.] Nam, quia in Aegypto filij Iſrael coluerant creaturam, & cæ- C
lum Deum appellabant, Ideo opportune rerum omnium ille Dominus ſuper ipſum quoque firmamentum ſedens apparuit; vt intelligerent illum omnia ſub pedibus habere, & ipſius cæli eſſe dominum, vt illius effectorem. Intelligis igitur ſacras litteras quaſi figuram quandam & imaginem ad cæli ſpeciem ſignificandam adhibere lapidem mediocri qnodam lumine palleſcentem, cum ſit ferrugineo quodam ſplendore præditum? PALLAD. Optime dicis. CYRILL. Cæli igitur eſt nota ſmaragdus, & inſcriptum habet per genera atque tribus ipſum Iſrael, locumqne in ſuperhumerali nacta; ex quo facile intelligi poteſt, quicunque deſcriptionem in cælo conſecuti fuerint, eos prorſus in Chriſto requieturos, qui probos viros propemodum in humeris tenet, & loco filiorum habet. Eiuſmodi quiddam beatus quoque Moyſes dixit, cum a Dei protectione
Deu. 32. laudare vellet Iſraelem, [Sicut àquila fouens nidum ſuum, & ſuper pullis ſuis deſiderauit, expandens alas ſuas, accepit eos, & aſſumpſit eos in hume- D
ris ſuis.] Quinetiam Dauid ſancto cuique & in adiutorio Altiſſimi habitanti
Pſal. 90. præcinit, [Scapulis ſuis, inquiens, obumbrabit tibi;] ſcapulas, vt opinor, partes corporis, quæ ſub ceruice ſunt, & humeros indicans, non omnino ter-
Oſee 10. ga. In humeris igitur portabuntur, vt propheta dixit, & in brachio aſſumentur; perinde atque ille antiquus Ephraim, quicunque ſuperam illam deſcriptionem conſecuti fuerint, quam glorioſam eſſe & admirandam, & diuinis muneribus ceteris pulchritudine longe præſtantem, ipſe Saluator ſanctis ſuis diſci-
Luc. 10. pulis declarauit, dicens ad hunc modum, [Nolite gaudere, quod Dæmonia ſubiiciuntur vobis; ſed potius gandete, qnod nomina veſtra ſcripta ſunt in cælis.] Illam porro in lapidibus deſcriptionẽ fore inquit filiis Iſrael monimentũ

coram

A coram Domino, quos ille tamquam in Aaron persona propemodum intueatur; admittit enim nos Deus ac Pater in memoriam in Christo, in eoque & domestici facti sumus & eius inspectione dignati, & tamquam in Dei libro conscripti. PALLAD. Recte ais. CYRILL. Huic alterum quoque ornamentum adiungi iubet, dicens, [Et facies scutula ex auro puro permista; & facies duas fimbrias ex auro puro permistas floribus, opus tortile, & impones fimbrias tortas scutulis ad humeralia eorum ex anteriori parte. Et facies rationale iudiciorum opus textoris; ad modum superhumeralis facies illud; ex auro & hyacintho & purpura & coccino torto, & bysso torta facies illud; quadrangulum erit duplex extentæ palmæ mensuram habens in longitudine, & tantumdem in latitudine; & adtexes illi texturam quatuor ordinibus lapidum intextam.] Deinde, cum lapidum nomina ordinate posuisset, adiungit iterum, [Et lapides sint ex nominibus filiorum Israel duodecim iuxta nomina eorum sculpturæ sigil-
B lorum singulis iuxta nomina eorum sint in duodecim tribus.] Et post pauca [Et portabit, inquit, Aaron nomina filiorum Israel in rationali iudicij in pectore, cum ingreditur in Sanctum, memoriale coram domino Deo.] PALLAD. Obscurum sane est ipsum rationale: & ratio quoque, ex qua constructum est, mihi quidem difficilis admodum esse ad intelligendum videtur. CYRILL. Ad hæc igitur explicanda pergendum est, vt proxime ad veritatem accedi poterit; etsi omni ex parte illam consequi fortasse ipsa rei difficultas minime permittit. Nam res valde obscuras, vel in speculo videre præstat, quã nullam prorsus earum intelligentiam capere. Dicam igitur, vt vires ferent, & vt mente complecti potero. Scutula duo fieri præcepit ex auro puro, latiora illa quidem, quam sit numismatis ambitus, sed forma tamen eadem; rotunda nempe est numismatis figura: deinde duas fimbrias floribus permistas ex auro puro. Catenulas autem esse putamus fimbrias, speciem tamquã coloribus variatam
C habentes: nã flores cum dixit, colores intelligit: ij autem erant byssus & purpura, & aurea fila, necnon hyacinthus, & tortum coccinum. Ad hæc fieri oportere inquit quadratam texturam cubi specie ad palmæ extentæ mẽsuram, æquis vndique lateribus, cui intexendas esse duodecim gemmas ait, ternis in singulos ordines dispositis, ita vt in quatuor vniuersis ordinibus insculptæ essent tribus vniuersæ per nomina. Aureis igitur ac variis catenulis ex superhumerali pendentibus scutula sensim subiecta erant, vt superius & in ipsis esse humeris viderentur; sed contingerent pectus, & ad mãmas suspensa essent: ex scutulis autem iudiciorum rationale catenulis aliis probe alligatum inhærebat pectori, fimbriis pendentibus, adeo vt illud ornamentum intuentibus maximæ admirationi esset, gemmis & auro conspicuum, & egregiis aliarum quoque materiarum coloribus admirabiliter elaboratum; id quoque ornamenti genus ait fore filiis Israel in monimentum coram Domino, Aaron in Sanctuarium ingrediente. Est ne tibi iam tandem perspicua, quoad fieri potest, horum opificio-
D rum forma? PALLAD. Maxime vero: ceterum quam ob caussam id opificiũ, Rationale iudiciorum, est appellatũ? CYRILL. Nonne superhumerale item appellatum esse ex eo quod super vtrumque humerum induceretur, verbi originem spectantes superius dicebamus? PALLAD. Ita. Quid tum? CYRILL. Quia itidem recte ex vocis origine ac proportione id quod in corde & visceribus repositum est, rationale iudiciorum appellatum esse dicimus, cum sedes quodammodo facultatis nostræ rationalis cor ac viscera sint: inhæret autem propemodum & infixa est secundum naturã huic rationali facultati etiam illa in quibuscunque rebus agendis recta & integra iudicandi facultas, idest, iustum iudicium, & quod rem quamque decet. An vero facultas rationis, quæ

est in nobis, non expendit rerum agendarum naturas, & a rebus præferendis A
parum iucundas inutilesque secernit? P A L L A D. Sane vero. C Y R I L L.
At qui consueuit scriptura diuina iudicium appellare vim illam, qua recte ac iu
Psal. 105. ste iudicamus. Itaque beatus Dauid in Psalmis ait, [Beati, qui custodiunt iu-
Psal. 98. dicium, & faciunt iustitiam in omni tempore:] dixit etiā rursus, [Et honor regis
iudicium diligere:] præclara namque regis est gloria & honos, si iustitiam di-
ligat. Id igitur ornamentum, quod cordi ac pectori superiectū est, rationale vo-
catur iudicij ob eam caussam, quod ibi situm est, vbi rationalis facultatis est
locus, in qua facultate recte ac iuste iudicandi ratio continetur. In hoc eodem
vero rationali lapides duodecim sunt auro inclusi, in iisque vniuersæ tribus de-
scriptæ: neque vero absurde sanctorum virorum figuram gerūt, qui tum splen-
dorem habent, tum pretiosi sunt & veluti lapides quidam electi, ac propemo-
dum in Christi corde atque animo positi. Sunt enim plane digni, qui comme-
morentur propter virtutis claritatem dignitatemque sanctificationis. Pendent B
etiam de rationali iudiciorum aureæ quoque fimbriæ: qua re significatur, vt
opinor, de sanctorum hominum cœtu maximum & infinitum rerum præclare
gestarum examen prope suspensum videri, ideoque beatus Dauid Ecclesiæ iti-
Psal. 44. dem ornatum in fimbriis esse dicit. P A L L A D. Credibilis sane expositio.
C Y R I L L. A rationali autem iudiciorū aureis annulis conserta varia & pul-
chris coloribus ornata catenula serpit, vt dicebamus, & per ambo scutula tran-
siens, ad ipsum peruenit verticē superhumeralis, in quo gemmæ descriptionis
erant: Quid autem id quoque sit, perspicere operæpretium est. Videtur ita-
que mihi hoc ænigma eiusmodi quidpiam significare: nam, qui sunt vt lapides
pretiosi, & quos Christus & cognitione & memoria complectitur, ij ad illam
supernam descriptionē per arma iustitiæ dextra & sinistra perueniunt; sic enim
2. Cor. 6. plane scribit beatus Paulus: atque etiam alibi dicit, [Induite vos armaturam
Ephes. 6. Dei.] Aurea sunt porro regis arma, aurea item scutula, Deique armaturam C
figurate indicantia. Non igitur alia ratione fieri potest, vt in Dei memoria &
descriptione simus, nisi arma iustitiæ arripuerimus, ac per illa recte faciendo
transierimus. Iam vero, quod superhumerali aptatum est rationale, ea re si-
gnificari opinor, Christo interposito mediatore, superis infera esse connexa.
Ephes. 2. [Ipse est enim pax nostra, qui fecit vtraque vnum,] vt Scripturæ tradunt, &
Angelorum cœtui humanam naturam caritatis vinculo deuinxit. Nec igno-
randum est, quod etiam beatus Propheta Ezechiel principem Tyri omni lapi-
de pretioso indutum esse ait, eosdemque numerat, quos beatus Moyses in ra-
tionali iudiciorum positos esse dicit. Hi autem erant, Sardium, Topazium,
Smaragdus, Carbunculus, Sapphirus, Iaspis, Ligyrium, Achates, Amethysus,
Chrysolithus, Berillium, Onychium. Terni autem dispositi erant, ita vt in vni-
uersum quatuor ordines efficerent; quæ dispositio, eorū, qui in Christi corde ac
memoria habentur, fidei firmitatē nobis adumbrat. Nam fidei signū est, quod D
terni, & tamquam in Trinitate dispositi sunt; firmitatis autem, quod ea figura
conformati, quæ quadrata esset, & paribus vndique lateribus. Sic enim rationa-
le effectum erat, in quo erant gemmæ illæ duodecim collocatæ. P A L L A D.
Assentior. C Y R I L L. Præterea aliud quoddam ornamentū his duodecim
gemmis adnecti præcipit dicēs, [Et impones super rationale iudicij manifesta-
tionem & veritatem, & erit supra pectus Aaron cum ingredietur in Sanctum
coram Domino, & inferet Aaron iudicia filiorum Israel in pectore coram Do-
mino in perpetuū.] Manifestationē igitur ac veritatē appellat, nō tamen aperte
indicauit vtrū lapides fuerint, an velut in parua tabella eam inscriptionem fieri
Osee. 3. iusserit: memini etiā prophetæ dicentis, [Quia dies multos sedebunt filij Israel
sine

A ſine rege, ſine principe, ſine ſacrificio, & ſine altari, & ſine ſacerdotio, & ſine manifeſtationibus.] Sed, ſiue lapides illi fuerint, ſiue tamquam in aurea tabella ea nomina deſcripta fuerint, id vero non nimium curioſe perueſtigabimus: tantum ſcire ſatis erit, ea in figuram Chriſti eſſe poſita, qui vna cum ſanctis hominibus verſatur; [Ecce enim, inquit, vobiſcum ſum omnibus diebus, & vſque ad conſummationẽ ſæculi.] Veritas autem ac manifeſtatio Chriſtus eſt; in eo enim Patrem cognouimus, & manifeſtauit nobis bonam ipſius voluntatem, & perfectam & beneplacentem, iuxta Scripturas: ait enim Chriſtus, [Iam non dicam vos ſeruos, vos amici mei eſtis; quia omnia, quæ audiui à Patre meo, annunciaui vobis.] Veritas eſt etiam alia ratione ille Emmanuel; quia ſolus ipſe eſt ſecundũ naturam filius & vt Deus ex Deo ſolus Sanctus, ſolus Dominus; at vero creatura per participationem atque imitationem id eſt, quodcumque ille eſſe intelligitur. Adeſt itaque Chriſtus cum ſanctis viris præſens, cum tamquam in manifeſtatione ac veritate intelligitur; idemque cauſſam noſtram in conſpectum Patris refert, ſemper viuens ad interpellandum pro nobis: id enim eſt, vt opinor, illud, Et inferet Aaron iudicia filiorum Iſrael B coram Domino in pectore ſuo in perpetuum. PALLAD. Ita eſt. CYRILL. Veſtem adhuc quandam ſacram, & admirabilem fieri iubet, dicens. [Et facies tunicam talarem, totam hyacinthinam; & erit capitium ex ipſa medium, oram habens in circuitu capitij, opus textoris, commiſſuram contextam ex ipſa, ne rumpatur; & facies ad extremum tunicæ deorſum, quaſi florentis mali punici malogranata ex hyacintho, purpura, & coccino neto, & byſſo torta in extremitate tunicæ in circuitu: eadem ſpecies erit malogranatis: & tintinnabula aurea iis interpoſita iu circuitu; poſt ſingula malogranata tintinabulum & floridum, ſub extremitate tunicæ in circuitu. Et erit Aaron dum fungitur ſacerdotio, audietur vox eius, dum ingreditur in Sanctum coram C Domino, & dum egreditur, ne moriatur.] Subuculam igitur ac talarem veſtem, tunicam longam, & ad amiciendum aptam, & a collo ipſo ad extremos vſque pedes pertinentem perſpicue appellat; ex hyacintho autem, quia ſupernæ illius incorruptionis eſt ſignum, nempe Chriſti; eiuſmodi quidpiam beatus quoque Dauid præcinit, cum ex perſona Dei de iis, qui in Eccleſiis ſacerdotali munere funguntur dixit, [Sacerdotes eius induam ſalutari:] induere etiam dominum Ieſum Chriſtum, ſapiens vir beatus Paulus nobis in epiſtola præcipit: hocque illud eſt de cælo habitaculum, quo indui exoptamus, illa exultationis tunica, & indumentum ſalutaris, iuxta prophetæ vocem. Cæli autem figura eſt ipſe hyacinthinus color, vt eſt manifeſte dictum. Ac vere hæc quidem dicta ſunt, ſi de nobis ipſis intelligantur; amicti namque incorruptione ſuperna ſumus. Sin ipſe quoque Chriſtus intelligatur tamquam in Aaron perſona talarem ſubuculam habens, nihilominus veriſſime dicitur. Ille nam- D que Vnigenitus cum ſit ſecundum naturam Deus, incorruptibile ſuum corpus effecit, & cum illud ſupernæ vitæ amictu induiſſet, prorſus mortis dominatu valentius reddidit. In Chriſto enim ſecundum naturam ſimul & ex participatione incorruptionem ac vitam ineſſe, hinc quoque intelliges; nam vt qui ſecundum naturam Deus eſſet, dixit, [Ego ſum reſurrectio & vita.] Idem tamen ſecundum naturam viuiuificatus humanam, [Sicut enim Pater, inquit, habet vitam in ſemetipſo, ſic dedit & Filio vitam habere in ſemetipſo.] Igitur, etiamſi ipſe Chriſtus intelligatur is, qui ſuperna incorruptione amictus eſſe dicitur, nihil ab eo, quod deceat, aberrabit oratio. Ad extremas autem partes malogranata atque tintinnabula alterna poſita erant, malogranata quidem contexta, tintinnabula vero aurea, vt & ſonum vere haberent, &, dum ingrederetur

Matth. 28. Rom. 12. Ioan. 16. Heb. 7. Exo. 28. Pſal. 130. Rom. 13. 2. Cor. 5. Eſa. 61. Ioan. 11. Ioan. 5.

deretur Aaron in sancta sanctorum, eius ingressum notissimum facerent. Id A
quoque symbolum est illius salutaris atque sapientis dispensationis, diuinæ inquam atque euangelicæ prædicationis, qua propemodum vniuersæ vrbes circumsonant, cum propter nos introiuit in Sanctasanctorum, æterna redemptione inuẽta, summus ille Sacerdos, immaculata victima: [vna enim oblatio-
Hebr. 11. ne consummauit in perpetuum sanctificatos.] Sunt autem minime obscurum ænigma prædicationis quidem salutaris illa ex auro facta tintinnabula, vrbium autem malogranata. PALLAD. Quo tandem modo? CYRILL. Vt enim vrbs vno illa quidem extrinsecus muro circundatur, longe autem plurima intra se domicilia continet, eodem quoquo modo malum granatum vno extrinsecus putamine cingitur, sed interius grana subtilibus tunicis tamquam muris inter se distinguuntur, ac, prope dixerim, per domicilia colliguntur. Num ita se res habet? PALLAD. Ita prorsus. CYRILL. Tintinnabulum igitur singulis malogranatis adiunctum est, nam & vnicuique vrbi suus magister, qui diuinarum disciplinarum sonitu atque concentu Saluatoris nostri in Sanctasanctorum ingressum omnibus declaret. Impendebat autem mortis metus iis, quibus sacerdotis munere in tabernaculo fungi demandatum B
erat, nempe Aaron, nisi tintinnabula maxime circumstreperent. Est enim silentium doctoribus in primis periculosum: idque perspicue illud est, quod Pau-
1. Cor. 9. lus ait, [Væ enim mihi est, nisi euangelizauero.] PALLAD. Ita videtur. Nam haud male coniicis. CYRILL. Præterea, [Facies, inquit, laminam auream puram, & cælabis in ea cælatura sigilli, Sanctificatio Domini, & impones illud in hyacintho torta, & erit super mitrã ante faciem mitræ, & erit in fronte Aaron: & portabit Aaron peccata sanctorum, quæcunque sanctificauerint filij Israel, omnis doni sanctorum ipsorum. Et erit in fronte Aaron perpetuo, acceptabile ipsis coram Domino.] Ex hyacintho igitur mitra, lamina vero aurea est; illa autem cælatura atque descriptio in ea exarata ipsum Christi mysteriũ erat, & eius C
in mundum hunc missionis euidens prædictio, Sanctificatio enim, ait, Domino. An non sanctificatũ se esse à Deo & Patre perspicue dixit Emmanuel? PAL-
Ioan. 10. LAD. Certe: neque enim me fugit eum Iudæis dixisse, [Si illos dixit Deos ad quos sermo Dei factus est; & non potest solui Scriptura; quem Pater sanctificauit, & misit in mundum, vos dicitis, quia blasphemas, quia dixi, Filius Dei sum? CYRILL. Igitur, cum se à Patre & Deo sanctificatum esse, Filius dicit, se tamquam electum esse missumque significat. Sanctificatio igitur Domini, inquit, idest, in hunc mundum legatio ac missio, sed ad regnum tamen & gloriam. Sic enim consecrat ipsum Aaron, dum in eius fronte aureum circulum ponit: vniuersorum autem Dominus est atque Rex Christus & secundum naturam, & secundum participationem; cum enim Deus per naturam esset, exinaniuit semetipsum, ac demisit ad serui formam, regnumque accipit, quod ad humanum habitum pertinet, licet iam inde ab initio eiusdem D
cum Deo & Patre consessus particeps, & simul cum eo Dominuus omnium, ac moderator esset. Iam vero intellige quonam modo mitram ex hyacintho habuerit; cui insigne regni præclarum inesset, lamina inquam aurea. Est au-
Ioan. 18. tem hyacinthus cæli signum: recordare igitur Christi dicentis, [Regnum meum non est de hoc mundo.] Neque enim Christus rex terrenus, sed cælestis est, vniuersamque creaturam sub pedibus habet: cum vero addidisset, [Et portabit Aaron peccata sanctorum, quæcunque sanctificauerint; omnis doni sanctorum eorum,] omnem accessum atque perfectionem esse in Christo aperte demonstrauit: quinetiam iustificationem omnem in ipso & per ipsum esse, veterum quoque peccatorum depositionem; ipse enim tollit peccata nostra,
& per

A & per ipsum acceptabiles efficimur, dum spiritualia munera Deo ac Patri offerimus. PALLAD. Recte ais. CYRILL. Immotum porro atque perpetuum fore Saluatoris nostri regnum, & ad infinita sæcula duraturum, præclare ostendit, de mitræ lamina dicens, [Et erit supra frontem Aaron perpetuo.] Quo tandem igitur abibit audax & insanus impiorum hæreticorum sermo, nugantium fore, vt aliquando desinat Christi regnum, & tradat imperium Deo & Patri, & à diuinitatis consessu recedat Emmanuel? De his enim adeo tetris ac vanis docendi rationibus gloriantur, quibus dici non absurde possit; [Erratis nescientes Scripturas.] En, cum aperte atque perspicue ille Deus & Pater perpetua & gloria & honore, ac regni insignibus coronet Aarō, ipsi ab eo coronam auferunt, ac propemodum accōmodatam fronti sacram mitram abripiunt. PALLAD. Ita est. CYRILL. [Cidarim quoque & zonam ex bysso facies] inquit. Militaris vero habitus Aaron cingulum & galea; Matth. 22.

B eiusmodi namque speciem cidaris refert: bellum enim pro nobis Christus gessit [in manu occulta,] sicut scriptum est: & [arcum suum intendit, & parauit illum, sagittas suas ardentibus effecit,] & deiecit principatus, triumphauit potentias, deturbauit dominationes, & eos, qui in terra erant, cum captiui tenerentur, liberauit. Fuisse autem hoc eius bellum non spectabile atque corporeū, neque eiusmodi vt cum carne & sanguine gereretur, indicari videtur per ænigma, in eo quod ex bysso tantum, quæ subtilis est admodum, confectum est bellicum instrumentum, cidaris inquam & zona. Sacro igitur ornatu clarum atque admirandum ostendit Aaron. Præcipit autem insuper dicens, [Et filiis Aaron facies tunicas & zonas: & cidares facies ipsis, in honorem & gloriam: & indues eis Aaron fratrem tuū, & filios eius post eum, & vnges eos, & implebis manus eorum, & sanctificabis eos, vt sacerdotio fungantur mihi: & facies illis femoralia linea, vt operiant turpitudinem corporis sui; a lumbis vsque ad femora erūt; Exod. 17. Psal. 7. Exo. 28.

C & portabit ea Aaron, & filij eius, cum ingredientur in tabernaculū testimonij, aut cum proficiscentur ad ministrandum ad altare sanctificationis; & non inducent sibi ipsis peccatum, ne moriātur; legitimum sempiternū ipsi & semini eius post ipsum.] Vides ipsis quoque filiis Aaron decorum esse, quod bellico habitu induti videntur: sacrum enim illud genus vniuersum est ad pugnam aptum, nō quod aduersus carnem & sanguinem bellum gerere, & pugnare, sed quod impurum peccatum reprimere, norit, tum apertissime & orationis viribus pro veritatis dogmatis decertando, tum vero omnem intelligentiam ad obedientiā Christi captiuam ducendo, sicut scriptum est. Linea porro illis sunt femoralia, vt deformitatem atque turpitudinem, quæ in femoribus est, optime contegant. Nam omnia, quæ ad sanctos pertinent, honestissima sunt, nihilque in illis turpe est: lineum autem indumentum partibus corporis circa femora inductum prope insinuat refrigerationem carnis voluptatum maxime decere sanctos: li- 2. Cor. 10.

D nea namque vestis frigida est: feruor autem ille, quo turpissimæ appetitiones excitantur, ab vnoquoque viro sancto est alienus. Alia quoque ratione, qui sacerdotale munus sortiti sunt, eorum & vestes & femoralia ex lino fiunt: etenim illos à mortuis operibus recedere necesse est; signum autem mortalitatis est, quod ex corpore morituro sumitur, ex oue inquam. Esse igitur lineis non laneis vestibus indutum, figurate significat, opera mortua deponere: eaque lex sancta est atque perpetua. Fore autem omnino vt, si eius, quod deceat, atque honestatis, quæ illis maxime conuenit, negligentes sint, eos mortis pœna consequatur, indicauit, cum dixit, indutos ea veste sacrificare oportere; Et non inducent, inquit, sibi ipsis peccatum, ne moriantur. PALL. Cauta ac prouida Lex est, cum, quid cuique expediat, optime demonstret, & per quæ se optime quisque

quisque habere possit, perspicua faciat. CYRILLVS. Ita est. Eiusmodi A
igitur veste sacrum & electum genus exornat; sed alia ratione sanctificat, vt in
Exod. 29 vmbra quidem adhuc, sed in Christo tamen: ita igitur scriptum est, [Et hæc
sunt, quæ facies eis, Sanctificabis eos, vt sacerdotio fungantur mihi: accipies vitulum ex bobus vnum, & arietes duos immaculatos, & panes azymos, oleo litos, & lagana azyma, vncta oleo, similam ex frumento facies ea, & impones ea in canistrum vnum, & offeres in canistro, & vitulum & duos arietes; & Aaron & filios eius adduces ad ostium tabernaculi testimonij, & lauabis eos aqua, & acceptis stolis, indues Aaron fratrem tuum tunicam talarem & superhumerale, & rationale, & coniunges illi rationale ad superhumerale, & impones mitram super caput eius, & impones laminam sanctificationem super mitram; & accipies de oleo vnctionis, & effundes illud super caput eius, & vnges illum: & filios eius adduces, & indues eos tunicas, & cinges eos zonis, & circumpones illis cidares, & erit illis sacerdotium mihi in sæculum, & con- B
secrabis Aaron manus, & manus filiorum eius.] Igitur afferri pro sacrificio iussit vitulum, ac duos arietes, lagana quoque & panes in canistro: prius autem alia ratione illos expiat, figuram, vt opinor, in ea re veræ sanctificationis ostendens: nam, cum Aaron ipsum aqua prius abluisset, sacra illum stola induit. Nos quoque sancto baptismate abluti, omnique genere impuritatis absterso, tum
Rom. 13. denique superna illa cælestiq. gratia ditamur, & lætitiæ tunicam accipimus,
iuxta illud, [Induite dominum nostrum Iesum Christum.] Superiori nam-
Psal. 27. que oratione demonstratum est in ornatu Aaron fuisse Christum varie figuratum. Oleo quoque sanctum caput inungit: psallit autem Dauid, [Impinguasti in oleo caput meum.] Vbi olei nomine hilaritas spei, quam sancti voce testantur, id est, superna inspectio hilaritatis effectrix designatur: misericordiam enim consecuti sumus, qui credidimus, & benedicti Domino, mente per subministrationem Spiritus impinguata: mentis autem figuram gerit caput. Ad C
eundem quoque modum sanctificabantur sacerdotes; nam & aqua abluebantur, & inungebantur oleo, ita denique sacro amictu induebantur, & eorum consecrabantur manus, vt iam apti quodammodo ad hostias pure & rite immolandas viderentur. Nos item sanctificati prius, & superna gratia exornati atque ad perfectionem spirituale inuncti, tum denique confidenter puris quodammodo & sanctis manibus munera Deo, spiritualia nimirum offerimus:
Psal. 23. eiusmodi quidpiam opinor significare, quod beatus Dauid de quouis homine
ascendente in montem Domini cecinit, [Innocens manibus, & mundo corde.]
Exo. 29. PALLAD. Ita videtur. CYRILL. Quonam vero modo essent item
pro sacerdotibus peragenda sacrificia sanxit dicens, [Et adduces vitulum ad ostium tabernaculi testimonij, & imponent Aaron, & filij eius manus suas super caput vituli coram Domino, & immolabis vitulum coram Domino ad ostium tabernaculi testimonij, & accipies de sanguine vituli, & pones super D
duo cornua altaris digito tuo; reliquum vero sanguinem effundes ad basim altaris: & accipies adipem, qui est super ventre, & pinnam, quæ est super iecore, & duos renes & adipem, qui est super ipsis, & impones super altare: carnes autem vituli & pellem & fimum combures igni extra castra; pro peccato enim est: & accipies arietem vnum, & imponent Aaron & filij eius manus suas super caput arietis, & immolabis eum, & acceptum sanguinem profundes ad altare per circuitum, & arietem concides per membra, & lauabis interiora & pedes aqua, & impones super concisiones cum capite: & offeres totum arietem super altare, holocaustum Domino in odorem suauitatis; incensio est Domino: & accipies arietem alterum, & imponent Aaron & filij eius manus suas super

per

A per caput Arietis,& immolabis eum,& ſumes de ſanguine illius,& pones ſuper
extremum auris Aaron dextræ,&ſuper ſummitatem manus eis dextræ,& ſuper
ſummitatem pedis eius dextri , & ſuper extrema aurium filiorũ eius dextrarũ,
& ſuper ſummitates pedum ipſorum dextrorum ; & ſumes de ſanguine, qui eſt
ſuper altare,& de oleo vnctionis, & aſperges ſuper Aaron,& ſuper ſtolam eius,
& ſuper filios eius, & ſuper ſtolas filiorũ eius cum ipſo, & ſanctificabitur ipſe &
ſtola ipſius,& filij eius,& ſtolæ filiorũ eius cum eo.Sanguinem vero arietis pro-
fundes ad altare per circuitum ; & ſumes ab ariete adipem eius, & adipem, qui
operit ventrem,& pinnam iecoris,& duos renes,& adipem, qui ſuper eos eſt,&
armum dextrum,(eſt enim conſummatio hæc) & panem vnum ex oleo,& laga-
num vnum de caniſtro azymorum propoſitorũ ante Dominum, & impones om
nia in manus Aaron,& in manus filiorum eius,& ſeparabis ea ſeparationem co
ram Domino,& ſumes ea de manibus eorum, & offeres ſuper altare holocauſti
B in odorem ſuauitatis coram Domino : oblatio eſt Domino:& ſumes pectuſcu-
lum ab ariete cõſummationis, quod eſt Aaron,& ſeparabis illud ſeparationem
coram Domino,& erit tibi in partem, & ſanctificabis pectuſculum ſegregatio-
nem,& armum ſeparationis, qui ablatus eſt de ariete coſummationis ab Aaron
& a filiis eius, & erit Aaron & filiis eius legitimum ſempiternum a filiis Iſrael,
eſt enim ſeparatio hæc & demptio a ſacrificiis ſalutaribus filiorum Iſrael,dem-
ptio Domino,]Et poſt pauca.[Et arietem cõſummationis ſumes,& coques car-
nes in loco ſancto ; & edent Aaron & filij eius carnes arietis & panes , qui ſunt
in caniſtro ; & ad oſtium tabernaculi teſtimonij edent ea, in quibus ſanctificati
ſunt in ipſis,vt conſecrarentur manus eorũ ad ſanctificandum eos;& alienigena
non edet ex eis;ſunt enim ſancta:quod ſi relictum fuerit de carnibus hoſtiæ con
ſummationis,& de panibus vſque mane,teliqua cõbures igni: nõ comedentur:
ſancta enim ſunt.] PALLAD. Quam recondita ſunt hæc Legis mandata! CY-
C RILL. Recondita vero admodũ,recte enim dixiſti,non ramen prorſus obſcura,
ſi nobis diuinum Spiritus ſancti lumen affulſerit. Age ergo ſingula,vt fieri pote-
rit, explicemus. Dominus noſter Ieſus Chriſtus nos innumeris modis ſanctifi-
cat,& ſacros acceptoſque reddit; per ipſum namque & in ipſo acceſſum habui-
mus,& grati Deo ac Patri ſumus. Sed nobis qui ſub interitu & peccato teneba-
mur, vtiliſſima,& ad ſalutẽ in primis neceſſaria mors eius eſt,atque etiam vita;
præterea illa perfectio,qua per corpus eius & ſanguinem perficimur: in Chriſto
namque non in lege perfectio ſita eſt. PALLAD. Recte dicis. CYRILL.
Vide igitur ea tamquã in figuris adhuc, per quæ ſaluati & ſanctificati, & ſacri,
ac ſancti facti ſimus in Chriſto. Vitulus ex bobus ad ſacrificiũ adducitur, & im-
molatur ad ipſum oſtiũ tabernaculi,manibus ſuper illum impoſitis; effundītur-
que eius ſanguis ad altare , & illius cornua eo perunguntur ; interanea etiam
tamquam odoratiſſimum incenſum adolentur; reliquum vero corpus exporta-
D tum extra caſtra comburitur. Ac vitulus quidem Chriſtus eſt,vt qui ſimul ex-
tra iugum & ſub iugo eſſet:nam, cum ſecundum naturam Deus eſſet, factus eſt
ſub Lege per humanitatem. Quid enim? nonne vitulus paruus iugo quidem ad-
huc inſuetus eſt, ſed eius naturæ tamen , quæ iugo ferendo ſit apta? PALL.
Ita eſt. CYRILL. Vitulus igitur appellatus eſt Chriſtus ſapienti conſilio,vt
in eadem re intelligatur a nobis tum eius Verbi diuinitatem minime aſſuetam
eſſe ſeruituti,tum eam naturam,quæ ſub iugo eſſet,quod ad eius humanitatem
attinet,ſubiiſſe. Immolatur autem tamquã pro ſacro tabernaculo,ac pro iis,qui
ſibi manus impoſuiſſent : (Leuitæ ij erant & ſacerdotes) nã ille mortuus eſt pro
Eccleſia & iis, qui ſunt illi per fidem conſecrati. Sacram porro fuiſſe , & in ſa-
crificij morem acceptam Deo ac patri Emmanuelis mortem , ex eo videre
licet,

licet, quod sanguis ad altare funditur, & ex eo perungitur, quod item adolentur intestina, quæ virtutum intimarum & in animo reconditarũ figuram gerũt, in quibus spiritualis odor inest, neque ille simplex cum intestina multiplicia sint, adeps, renes, pinna iecoris. Comburitur autem reliquum corpus extra ca- A
Hebræ. 13 stra; nam extra portam passus est Christus; sic enim scribit Paulus. Quod autem igni corpus absumitur, subtili ratione designare potest, nullo modo eius passionem & mortem illi ignominiæ futuram, sed præclarum gloriæ atque illustrem exitum habituram; ignis enim specie diuinitas intelligitur, cum etiam in montem Sina ea forma descenderit: destructurus vero mortis imperium Christus, dispensatorie mortem subiit, vt a nobis tamquam Deus glorificaretur. Mors itaque ad diuinam gloriam tendit, cum finem sit præclarum consecuta, ipsam nempe resurrectionem, & humilitas illa patiendi summis victa honoribus absumitur: idque, vt opinor, est figurate, quod occisus vitulus igni concrematur. In eo autem, quod adiunxit, Peccatum est, ad peccatum expiandum Christi passionem fuisse susceptã indicauit; eaque res minime obscura est. PALLAD. Minime vero. CYRILL. Deinde aries prior sumitur & immolatur æque ac vitulus: effunditur itẽ sanguis ad altare, & mẽbratim cæsus offertur intestinis lotis aqua, cum capite simul ac pedibus; quia incensum est: per quæ rursus nobis Christus describitur, ille in ariete perfecto perfectus, sanctamque vitam habens; id enim significat, vt opinor, quod sanguis ad altare funditur: sanguis quippe vitæ figura est: & in odorem suauitatis oblatus Deo & Patri pro omnibus simul ac singulis; huius item rei figura est quod aries altari, & tamquam totus & per membra cæsus imponebatur. Nos item & B
Rom. 12. singuli membra Christi sumus, & vniuersi vnum corpus intelligimur; totum porro illum esse sacrum ac sanctum, & labem impuritatis habere nullam, ablutio illa intestinorum optime declarat. Simul autem offeruntur caput & pedes, vt illam suaueolentiam sanctitatis, quæ in Saluatoris nostri vita a principio C
vsque in finem fuit, ostendant. Nam cuiusque animantis caput principium est; extremum vero ac finis totius corporis pedes. Aut fortasse melius est, in mentis figuram caput accipere; incessus vero eius, quo in actionibus efficiendis progredimur, pedes. In Christo autem odorem spirant, & summa puritate præstant omnia tum cogitata tum facta; neque enim peccatum fecit, ob eamque caussam hanc oblationem arietis, & holocaustum & incensum appellat; neque enim ex parte sanctus aut sacer est: non enim infirmitas vlla aut lapsus aliquis in illum cadit, vt in nobis contingit: nemo quippe mundus a pec-
Iob. 14. catis; & in multis offendimus omnes, vt scriptum est. PALLAD. Sed ip-
Iacob. 3. sam quoque Saluatoris nostri vitam pro nobis fuisse, qua ratione quispiam existimare potest? CYRILL. Percipies id vero, & quidem facile, si intellexeris illius in Adam transgressionis nos esse participes factos, & eorum, quæ ille deliquit, persoluisse pœnas, cũ in vniuersos pertrãsierit illa maledictio, & quod D
ex eo satum est genus, illa ira quodammodo depasta sit. Ille igitur Vnigenitus
Philip. 2. ad hominis naturã descendit, & habitauit in nobis, & sese Deo ac Patri subiecit; [Factus est enim obediens vsque ad mortẽ] & illius ex Adam desertionis crimen eluit, & obedientiæ suæ odorẽ tamquam pro omnibus simul & singulis Deo & Patri obtulit, ac per ipsum salui facti sumus: Cuius rei Paulus testis est, qui
Rom. 5. sic scripsit, [Igitur, sicut per vnius delictum in omnes homines in condemnationem, sic etiam per vnius iustitiam in omnes in iustificationem vitæ: sicut enim per vnius hominis inobedientiam peccatores constituti sunt multi; sic per obedientiam vnius hominis iusti constituentur multi.] Intelligis igitur saluos nos esse factos, Christo vt in vituli figura pro nobis mortuo; sed per eius obedien-

A obedientiam & vitam in sanctificatione actam suauem Deo ac Patri odorem redolere? Nam ad sanctum altare arietis cruor effundebatur. PALLAD. Teneo quod dicis. CYRILL. Eundem vero vt nobis varie tamquam in vmbris effingeret, Et sumes, inquit, arietem alterum, qui etiam ad eundem modum, quo prior, immolatur, vngiturq. Aaron, cœtusque subiectorum illi sacerdotum sanctificatur, sanguine ad extremas dextras manus & aures & pedes illito: sanctificatur etiam sacerdotum stola sanguine respersa: tum reliquus sanguis Dei iussu ad basim altaris funditur. Sumuntur deinde intestina & azymus panis & laganum vnum, ambo lita oleo, eaque suis manibus imposita Aaron eiusq. filij afferunt: excipit autem sacrificium, & offert Moyses: armum præterea atque pectusculum inquit attribui oportere sacerdoti, & inter se parata numerari. Nomen autem est ei sacrificio, Aries consummationis. Incensis denique intestinis, reliquum corpus cum panibus editur, & reliquiæ,

B quæ in posterum diem superfuissent, igni comburuntur; sic enim sacræ litteræ continent. PALLAD. Quam abditus est hic scripturæ locus? CYRILL. Recte iudicas: abditus est enim sane, sed continet tamen Christi mysterium: factus est namq. nobis aries consummationis, cum in omni rerum optimarum genere nos absolutos atq. perfectos reddat, & per sanctificationem in spiritu, virtutibus insignes efficiat; & ante alia aures adiiciat benedictione plenas, illas nempe obtemperantes & faciles & ad eius quidem dogmata excipienda paratas, insusurratas vero nugas & execrandam nonnullorum loquacitatem, qui veritatem oppugnant, & cum rectis dogmatis bellum gerunt, minime sustinētes: is enim est aurium sanctarum fructus. Atque vir admirandus Ioannes ita nobis ferme ait, [Fratres, probate spiritus, si ex Deo sunt: omnis spiritus, qui non confitetur Iesum, Christum, ex Deo non est; & omnis spiritus, qui confitetur Iesum, Christum, ex Deo est.] Nihil autem est, quo melius verba probentur & examinentur, quam aures. Sanctæ sint igitur aures, certæ veritatis & rectorum dogmatum studiosis: id porro Christi donum est, & cæleste munus, & sancti illius sanguinis opus: nam omnes res præclaras in ipso & per ipsum consequimur. Ideoque & manus sanctificabatur, quæ est ad operandum & efficiendum apta, & pes, qui rectorum gressuum euidens est signum ac nota: de sanctis enim factis nobis gloriam parare oportet, & per eam semitam incedendū, quæ nos ad ea omnia, quæ Deo placent, compendiaria via perducat, iuxta id, quod in Psalmis canitur, [Et conuerti pedes meos in testimonia tua:] & illud, quod in libro Prouerbiorū habetur, [Rectos gressus fac pedibus tuis, & vias tuas dirige.] Genus igitur sacrum & electum sanctas aures habeat, manum similiter ac pedem iis, quos iam diximus modis, dextraque omnia peruncta, & tamquam summo loco, idest, in extremis: Extremum enim, inquit, auris, & pedis, & manus: omnis enim actio proba, mea quidem sententia, strenua ac dextra est, nihilque de vitio sinistrum habet, & vsque ad extrema, idest, perpetuo seu ad finem vsque porrigitur. Qui enim Deo consecrati sunt, eos in sanctificatione dextros esse, & perpetuo perseuerantes conuenit: [Qui incepit, inquit, opus bonum in vobis, perficiat.] Valde autem absurdum est, retrorsum cedere, quodammodo boni operis perficiendi pertæsos. Sed, quoniam Dei figuram gerit Moyses, afferunt quidem sacrificium Aaron & eius filij; sed ille suscipit; qua in re Deus, quodammodo designat, se eorum, qui ita sanctificati sunt, oblata in Christo sacrificia propemodum de manibus in manus accepturum, neque fore, vt id munus dedignetur, quod Christi suaui odore sit præditum, idque, vt opinor, est interaneorum oblatio, quæ illi incenduntur. Separantur autem sacerdoti pectusculum, & armus ab ariete consummationis. Et armus

1. Ioan. 4. *Psal. 118.* *Prou. 4.* *Heb. 12.* *Phil. 1.*

C

D

mus virium eſſe nota poteſt, pectuſculum vero cordis ac renum. Datus eſt A
autem ſancto ſacroque generi Chriſtus a Deo ac Patre, virtus & ſapientia. An
vero nõ in eo ſapientes ac fortes ſumus? PALLAD. Quidni ſimus? ſcriptum
1.Cor.1. eſt enim, Chriſtum Dei virtutem eſſe, Deique ſapientiam, eumque hæc nobis
a Deo factum eſſe. CYRILL. Eſca porro ſacra hominibus ad Dei miniſterium
electis carnes ſunt, eaque ſimul cum infermentatis panibus data, nullo
alienigena ad eius participationem admiſſo; aut, ſi quis id feciſſet, etiã morituro.
Sacros enim animos decet eſſe ſanctæ illius eſcæ, ideſt, corporis Chriſti
participes; neque alienigenis licet ad benedictionem accedere; alienum porro
genus cenſeri poteſt, tum illud adhuc infidele, & baptiſmatis expers, tum
præterea illud diuerſa opinione peruerſum, & a ſanctorum hominum ſententia
diffidens, ac dogmatum improbitate diſiunctum. Abſumuntur autem
igni omnes ſacrificij reliquiæ, iis ne poſtero quidem die veſci permittente
Lege: alterum enim ſanctificationis modum in futuro ſæculo, vt opinor, habebimus, B
qui non iam corporaliter, ſed ſpiritualiter efficietur, & ea ratione quam
nouit ille, qui omnia immutat Deus, & quocunque voluerit, transfert. His
autem verbis adiuncta eſt non inepta intelligentia; nam, deſtructa iam in nobis
morte poſt reſurrectionem ex mortuis, non erunt illa neceſſaria, per quæ
mortem effugere licebat. Alter igitur ſanctificationis modus illius temporis
ſtatui conueniens cogitandus eſt, cum Chriſtus nobiſcum erit. Cum igitur,
quod nobis in mentem venit, dixerimus; iis, qui meliora intelligere poterunt,
concedemus. Et fortaſſe eiuſmodi quidpiam ſignificat beatus Paulus dicens,
1.Cor.13. [Cum venerit quod perfectum eſt, euacuabitur quod ex parte eſt;] ideſt, finem
habebit, & conſiſtet. PALLAD. Conſentaneum videtur. CYRILL.
Atque hæc perficienda eſſe dixit in conſecratione ſacerdotum. Congregatis
autem ſacerdotibus Iſrael, & in Eccleſiam collectis, publicam eorum
declarationem fieri præcepit, dicens, [Sume Aaron & filios eius, & oleum vnctionis, C
& vitulum pro peccato, & duos arietes, & caniſtrum azymorum, & omnem
congregationem cõuoca ad oſtium tabernaculi teſtimonij. Et dixit Moyſes
congregationi: & fecit ſicut præceperat ei Dominus; & cõuentum habuit ad
oſtium tabernaculi teſtimonij. Et dixit Moyſes, Hoc eſt verbum, quod mandauit
Dominus facere; & induit decenter Aaron, atque etiam ſacerdotes, aſperſitque
oleo vnctionis altare ſepties, & omnia eius vaſa, & labrum, inquit, & tabernaculum
& omnia, quæ in eo erant, & ſanctificauit ea.] Sanctum eſt enim tabernaculum
quidem, altare tamen ſanctificatione Spiritus perfecte præditum eſt,
non tamquam ex rationalium naturarum numero eius particeps factum, (neq.
enim ita ſanctum eſt, vt verbigratia Angeli natura, vt hominis anima) ſed ex
contactu quodammodo ſacrificij, quod ſuper illud imponebatur. Sanctus eſt
enim etiam locus, vbicumque fuerit Chriſtus. Peruncto igitur altari ſepties,
hoc eſt, abũde, ſanctificat ipſum Aaron: infudit enim ſuper illum vnctionis oleũ, D
ac præterea obtulit hoſtias tum pro illo tum pro eius filiis eo modo, quo ſuperius
expoſuimus. His vero perfectis, præcepit adhuc dicens, [Et ab oſtio tabernaculi
teſtimonij non egrediemini ſeptẽ diebus, quouſque dies impleatur, dies
conſummationis veſtræ. Septem enim dies conſecrabit manus veſtras, ſicut fecit
die hoc, quo mandauit Dominus facere, vt propitietur pro vobis, & ad
oſtium tabernaculi teſtimonij ſedebitis ſeptem dies: nocte & die ſeruabitis cuſtodias
Domini, vt non moriamini: ſic enim mandauit mihi Dominus
Deus.] Quinam vniuſcuiuſcunque ſacrificij fuerit ritus, ſatis eſt a nobis
ſuperiori ſermone demonſtratum; quapropter, omiſſa de his rebus ſubtilitate
differendi, ad illud pergamus. Non permittit Lex eos, qui ſacram egregiamq.

A sortem adepti sunt,& ad sacerdotij munus obeundum iam consecrati, e sacro tabernaculo excedere,sed ad septimum vsque diem eos intus considere iubet, ac prope dixerim,ostio affigit, nec limen egredi finit; quam in sacris illis locis sessionem, vt opinor, firmitatis atque permansionis in sanctificatione symbolum quoddam esse voluit: necesse enim est, vt, qui in hac statione collocati sumus, vt præsto simus Deo, firmi atque immobiles in virtute maneamus, ne extra morum terminos,qui nos decent, egrediamur, aut e sacro sensu excedamus,sed semper prope quodammodo simus,& apud Deum habitemus,iuxta illud,quod est prophetæ voce dictum, [Quærens quære,& apud me habita.] Hoc *Esai.21.* autem per septem dies facere iussit Moyses. Qua in re septenarius numerus id significat, esse nobis adnitendum, vt omni tempore Deo præsto simus; idem enim est, ac si dixisset, Semper ac perpetuo. Intra tabernaculum vero manentem præcipit seruare custodias Domini, significans illius assiduitatis, qua Deo

B assidemus,fructum esse obedientiam, & voluntatem exequendi, quod ille præcipiendum duxerit. Ad hunc igitur modum illi omnium Domino præsto esse debemus, cum ille in recte factis languor in extremum malorum omnium definat: eam enim ob caussam, vt existimo, adiunxit Moyses illa verba, ne moriamini. PALLAD. Recte est a te dictum. CYRILL. Iam vero, posteaquam ad sacerdotij munus consecratus est Aaron, incipit sacrificandi ritum exequi.Quo autem id modo faciat, agedum dicamus. Scriptum est enim rursus in Leuitico [Et factum est in die octauo vocauit Moyses Aaron & filios *Leuit.9.* eius & seniores Israel, & dixit Moyses ad Aaron, Sume tibi vitulum ex bobus pro peccato,& arietem in holocaustũ immaculatũ,& offer illa ante Dominum, & ad seniores Israel loquere dicens, Accipite hircum de capris vnum pro peccato in holocaustum immaculatum, & vitulum & arietem in sacrificium salutaris coram Domino, & similam consperſam oleo:quia hodie Dominus vide-

C bitur in vobis. Et acceperunt, sicut præceperat Moyses coram tabernaculo testimonij; & accessit vniuersa Synagoga, & steterunt ante Dominum; & dixit Moyses, Hoc verbum, quod dixit Dominus, facite, & videbitur in vobis gloria Domini; & ait Moyses ad Aaron, Accede ad altare,& fac pro peccato tuo, & holocaustum tuum, & exora pro te & pro domo tua, & fac dona populi, & exora pro ipsis, sicut mandauit Dominus.] Si subtilem, Palladi,mentis aciem in sacras litteras intenderis,in hac quoque re optime perspicies eiucere Christi mysterium. PALLAD. Quo tandem modo? CYRILL. Octauo certe die desinit quodammodo Moyses officio sacerdotis fungi; sed incipit Aaron; non tamen conticuit Moyses, licet iam Aaron ad sacerdotis munera pergeret. Tempus enim sacerdotii Christi illud congruenter intelligitur, quod post Legem fuit,idest,octauus dies, in quem incidit resurrectio,& initium quoddã factũ est sæculi noui;noua enim in Christo creatura,sicut scriptũ est.Sed Christo *2.Cor.5.*

D iam octauo die declarato, Moysi obseruatio finem illa quidem accipit; neque enim adhuc in figuris & vmbris Deum colimus;sed tamen illa Legis institutio non conticuit;Lex enim spiritualis est spiritualibus, & semper Christi mysteriũ prædicat. Professus est vero Moyses octauo die visum iri Domini gloriam: nam Lex tempus aduentus Saluatoris nostri prædixit. Adhæc iterum præcipit prius quidem pro se ipso Aaron sacrificia facere, postea vero pro vniuerso populo: qua in re nobis iam figuram quodammodo præbuit, præclareque ac perspicue ostendit,qui electi essent ad sacerdotium,& qui sanctificationem in fide perciperent,iis vt sancti sint ac sacri,aptissime cõuenire. Sed quinã fuerit oblationis modus, vt poterimus,explicabimus. Vitulus igitur pro peccato & expiatione sacerdotum immolabatur,fusoq.ad altare sanguine,& intestinis incensis,

reliquum corpus igni comburebatur. Aries deinde totus incendebatur consueta holocausti lege. Iam vero hircus victima erat ad populi peccatum expiandum, vitulus autem & agnus in holocaustum; aries & bos ad sacrificiũ salutaris altari etiam simila imposita, si non tota, at pugillo & ex parte; deinde inquit, A
Leuit. 9. [Et, eleuatis Aaron manibus in populum, benedixit eis: & descendit, postea quam fecit pro peccato & holocausta & salutaria, & ingressus est Moyses & Aaron in tabernaculum testimonij, & egressi benedixerũt vniuersum populum: & apparuit gloria Domini omni populo, & egressus est ignis a Domino, & deuorauit quæ erant super altari holocausta & adipes: & vidit omnis populus, & expauit, & ceciderunt in faciem.] P A L L A D. Quid igitur tandem de his rebus dicendum putas? C Y R I L L. Visa est ergo reuera gloria Domini octauo die, idest, Filius manifestus est factus, qui est gloria Dei ac Patris: sic enim
Num. 14. illum appellauit, dicens ad beatum Moysen, [Viuo ego, dicit Dominus; certe implebitur gloria Domini omnis terra.] Sacros porro nos efficit ipse, dum in bouis figura pro nobis immolatur, & a peccato nos liberat, & vniuersa crimina remittit, & maculas ex condẽnatione contractas abstergit; itidemq. dum in odorem suauitatis spiritualis vt aries consummatur, & ipse idem fit hostia salutaris, & suo nos sanguine sanctificat. Ipse etiam simila est oleo lita, in hilaritate vitæ sanctæ se ipsum Deo ac Patri pro nobis ostendens. P A L L A D. Intelligo quod dicis. C Y R I L. Equidem puto sacrificium illud pro Aaron & pro populo factum, eleganter significare consecrationem illam, qua sancti homines Deo dicantur. Iam vero, posteaquam declaratus est, ac seipsum conspicuum fecit ille Emmanuel, per quem sumus ad sanctificationem vocati, tum denique acceptabiles & sacri, & in odorem suauitatis Patri dicati sumus. Velim namque obserues, sacerdotũ consecrationem per ea quæ dicta sunt, eo tempore perfici consueuisse, sed eosdem fuisse per illum varie sanctificatos. Comburebatur enim vt bos extra castra pro peccato, incendebatur idem vt aries congruẽter in holocaustum oblatus, per membra concisus simul & totus, tamquam pro singulis, itemque pro vniuersis: sanctificabat illos denique sanguine vngens tamquam aries salutaris. Ceterum, cum iam octauus dies illuxisset, is nempe, quo Christi gloria clarior facta est, morte destructa, & interitu conculcato, tum vero sacerdotes ac populi Deo munera offerunt. Neque vero illum omnium dominum alienis quibusdam donis honorant, aut externis muneribus oblectant, sicut Israel secundum carnem, sed se ipsos exhibent hostiam suauiter redolentem. In illis enim hostiis tamquam in imagine quodammodo nostras animas immolamus, Deoque offerimus, dum mundo atque carnis sapientiæ morimur, & vitiorum mortificationem subimus, ac propemodum vna cum Christo cruci suffigimur, vt ad sanctum purumq. viuendi genus nos transferentes ad eius voluntatem vitã ducamus. Eiusmodi quidpiam beatus etiam B C
2. Cor. 4.
2. Tim. 2. Paulus scribit, [Semper mortificationem Iesu in corpore circumferentes, vt & D
Rom. 6. vita Iesu in corpore nostro manifestetur:] & iterum, [Si sustinemus, & conregnabimus.] Si conformamur ad eius mortem atque passionem, vt scriptum est, socij quoque resurrectionis & gloriæ ipsius erimus. Igitur extra portã quidem pro nobis passus est Christus, vt beatus Paulus ait; eximus ipsi quoq. im-
Heb. 13. properium eius portantes, extra portam; & eodem ritu ac vitulus immolamur, & vt aries, in holocaustum oblati, odorem Deo Christianæ conuersationis adolemus. Atq. hæ hostiæ pro Aaron eiusq. sociis ac liberis offerũtur. Sed pro populo victima pro peccato hircus est. Et quæ tandẽ est eius rei ratio? cũ præsertim ad sacerdotũ expiationẽ fuisset vitulus oblatus? Sed in sacerdotibus superiora sunt omnia, tum sacrificij oblationes, tũ quæ ad expiationẽ sanctifica-

tionem-

A tionemque pertinent: maior est autem corporis mole vitulus hirco, spiritualis rerum præstãtiæ specimẽ præseferens. vitulus autem & agnus in holocaustum, hominum fide consecratorum in Christo infantiam insinuat, bos vero & aries patientiam & fortitudinem, & in mansuetudine fructuum vbertatem præclare significant; ac prioris illius figura est bos, aries posterioris. Porro simila oleo perfusa, vitæ, quæ in Christo ducitur, spem præclaram optime declarat: non enim tristes & lugentes, sed lætos & hilares inhærere Christianæ conuersationi decet: id enim est, opinor, illud, [Venite exultemus Domino:] ita enim *Psal.94.* aperte atque perspicue affulgebit Christi gloria, & libentissime sanctorum hominum oblationes admittet; sicut nimirum eo quoque tempore in ignis specie Deus aperte descendit, & victimas illas absumpsit. Eorum enim, qui fide sanctificati sunt, partam ex virtute laudem tamquam pastum ac voluptatem putat. Mysticum vero quiddam præseferunt hæc verba: tunc enim ad concisas illas carnes ignis impetum demisit Deus; perinde ac si propositas oblationes attingeret: semper enim diuinitas ignis naturam figurate subit: nunc vero spirituali hostia sibi proposita, non ignis specie, sed sancto Spiritu oblata munera B spiritualiter attingens, eã participare cupientibus viuificatricem efficit; quam rem veram fide suscepimus. PALLAD. Recte ais. CYRILL. Eleuatis autem Aaron manibus, benedixit populum. Obserua item hanc primam impositionem manuum in populos per Aaron factam: benedicit enim omnibus ille verus Aaron sacerdotibus ac populis, pusillis cum maioribus, sicut scriptum est, *Psal.113.* manibus propemodum impositis: ac manus impositio illius in nos sanctissimi Spiritus missionis signum euidens esse poterit. Ante vero quam sacrificium peregisset Aaron, manuum impositio nulla erat: [nondum enim erat Spiritus (iuxta Ioannis vocem) quia Iesus nondum erat glorificatus.] *Ioan.7.* PALLAD. Congruens certe expositio. CYRILL. Quinetiam ritum, quo sacerdotes C imprecarentur, apte disponit: atque eius imprecationis verba prædictiones quasdam Christi passionum esse voluit: ait enim, [Loquere ad Aaron, *Num.6.* & ad filios eius dicens, Sic benedicetis filiis Israel, dicentes eis, & imponent nomina mea super filios Israel, & ego Dominus benedicam eis, Benedicat tibi Dominus, & custodiat te, illuminet Dominus faciem suam super te, & det tibi pacem, & misereatur tui.] Iubet igitur vt, qui sacerdotio præditi sunt, populo benedicant: sed abducit opportune ab ineptis cogitationibus, ostenditq. non hominis manum esse, quæ benedicat, sed seipsum, vt qui sit Dominus. [Omne enim datum optimum, & omne donum bonum, & omnis benedictio desursum est, *Iac.1.* descendens a Patre luminum,] vt scriptum est. Christus autem est benedictionis via, & ipse nobis est cælestium bonorum distributor, in ipsoque & per ipsum omnia a Patre dantur. Itaque beatus Paulus, [Gratia vobis & pax, *Rom.1.* inquit, a Deo patre nostro, & domino Iesu Christo.] Benedicimur itaque in D Dei nomine; sed eius benedictionis forma quænam esse debeat, eleganter significans, imprecanti sacerdoti hæc verba pronuncianda esse dixit, [Benedicat tibi Dominus, & custodiat te, illuminet Dominus faciem suam super te, & misereatur tui, eleuet Dominus vultum suum super te, & det tibi pacem.] Conseruat igitur nos benedictio, maledictionemq. dissoluit, & eum, qui peccauerat, reformat, vt iam in Christo dignus sit, qui laudetur: eiusq. rei testis est Apostolus, qui in hunc modum scripsit, [Benedictus Deus, & pater domini nostri *Ephes.1.* Iesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in cælestibus in Christo, sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, vt essemus sancti & immaculati in conspectu eius in caritate; qui prædestinauit nos in adoptionem filiorum per Christũ in ipsum.] Vides hominem execrabilem ex peccato,

dignum esse adoptione factum, dum in Christo per participationem Spiritus A
Tit. 3. benedicitur, quem etiam effudit in nos abunde, is, qui non ex parte illum sanctis hominibus donat, sed tamquam ex sua plenitudine infundit. Illuminatio autem faciei Dei mox nobis tribuit, vt misericordiam consequamur, siquidem illud verum est, fore vt in Deo cognoscendo, æternæ vitæ participes simus: ita enim ait Saluator ad Patrem ac Deum qui in cælis est, [Hæc est autẽ vita æterna, vt cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti, Iesum Christum.]
Ioan. 17. Faciem porro Dei, ac Patris esse Filium, qui apparuit nobis, nemo, vt arbitror, ambiget: character est enim & similitudo & imago illius, ac per ipsum & cum ipso patrem cognoscimus, quam cognitionem simul comitatur misericordiæ consecutio: iustificati namque sumus ex fide non ex operibus iustitiæ,
Tit. 3. quæ fecimus nos; sed secundum magnam eius misericordiam; & sarcina corruptionis leuati, & ad vitæ nouitatem, Deo miserante, reformati. Alia quoque ratione, si ad Iudæos vim verborum deflexerimus, misericordiam vere consecuti sunt, cum illis affulsit ille Vnigenitus: erat enim illis velut grauissima quædam & non ferenda sarcina Lex condemnans, quæ sine vlla commiseratione peccantes puniebat. Sed misericordiam consecuti sunt, sero tandem iustificantem gratiam per Christum adepti. Cuius aduentum videre cupientes, ad B
Psal. 79 vniuersorum Deum clamabant, [Deus virtutum, conuerte nos, & ostende faciem tuam, & salui erimus.] Omnes igitur sumus in ostensione Christi misericordiam consecuti. Quinetiam eleuatio vultus Dei conciliatrix est pacis, cuius donator est, & arbiter Christus, qui hoc tamquam proprium ac peculiare bonum in se credentibus & proponit, & donat: [Pacem enim, inquit, meam
Ioan. 14. do vobis, pacem meam relinquo vobis.] Cum enim tamquam in sublime po-
Philipp. 2. suit Filium Pater, dans illi nomen, quod est super omne nomen, ac dicens il-
Psal. 109. li, Sede a dextris meis; tum vero sublatis inimicitiis, quæ nos disiunctos tenebant, in pacem connexi sumus, eo quod quæ ipsius sunt, sapere studemus, & C
Galat. 5. in Spiritu ambulare, in quo & per quem diuinæ naturæ consortes effecti sumus, Christo nos in vnitatem connectente: is enim profecto ait ad Patrem,
Ioan. 17. [Volo vt sicut ego & tu vnum sumus, sic etiam ipsi in nobis vnum sint;]
1. Cor. 10. [vnum enim corpus omnes sumus in Christo;] & [qui adhæret Domino, vnus
1. Cor. 6. spiritus est;] vt habet Scriptura. Deo autem & Patre suam quodammodo faciem eleuante, idest, glorificante Filium, pacem cum eo compositam nos ade-
Ioan. 12. ptos esse declarat ipse dicens, [Cũ exaltatus fuero a terra, omnes trahã ad me ipsum.] PALLAD. Recte existimas: ipse est enim pax nostra, & per ipsum
Ephes. 2. accessum habuimus in Spiritu ad Patrem. CYRILL. De sacerdotibus igitur, deque eorũ creatione hactenus nobis Lex prodidit. Ceterum sanctificari oportere plane Leuiticũ genus, inquit, & ritu conuenienti prius expiatũ, tributũ sibi sacri ministerij munus capessere. Inquit igitur in Numeris ad hunc mo-
Num. 8. dũ, [Sume Leuitas de medio filiorum Israel, & purificabis eos; & sic facies purificationẽ ipsorum, Asperges eos aqua purificationis, & pertransibit nouacula super omne corpus eorum, & lauabunt vestimenta sua, & mundi erunt: & sument vnum bouem de armentis, & eius libamen, similam oleo conspersam, & vitulum anniculum de atmentis accipient pro peccato: & statues Leuitas coram tabernaculo testimonij, & congregabis omnem congregationem filiorum Israel, & adduces Leuitas, & separabit Aaron Leuitas munus corã Domino a filiis Israel, & erunt vt operentur opera Domini. Leuitæ autem imponent manus super capita boum; & facies vnum pro peccato, & vnum in holocaustum Domino, vt propitieris pro eis. Et statues Leuitas coram Domino, & corã Aaron, & coram filiis eius, & donabis eos donũ corã Domino, & distingues D

Leuitas

A Leuitas de medio filiorum Israel; & erunt mihi: & posthæc ingredientur Le-
uitæ ad operandum opera tabernaculi testimonij.] PALLAD. Velim igitur
explices quisnam hic purificationis ritus Leuitis iniunctus, sit a nobis intelli-
gendus. CYRILL. Mysticus sane is est, Palladi, & item in Christo; ipse est
enim nostra expiatio, & ab omni sorde ablutio, & sanctificationis dator: [Asper
ges enim eos aqua sanctificationis,] inquit. Hoc idem Paulus quoq. vir sapiẽs
declarauit ita scribens, [Si enim sanguis hircorum & taurorum, & cinis vitulæ *Heb.9.*
aspersus, inquinatos sanctificat ad emundationem carnis; quanto magis san-
guis Christi?] idque verissime dictũ est; nam, si inest in figuris vtilitas, & vmbra
ipsa est salutaris, quanto magis veritas, id est, sanguis Christi? Aqua igitur san-
ctificationis cineri vitulæ permista illius mortificationis Christi (sic enim dicta *2.Cor.4.*
est) symbolum euidens erat, quam vt in sancto baptismate nos ipsi quoque per
fidem perficere gloriamur. Vt enim idem ipse beatus Paulus dixit, [Consepulti *Rom.6.*
B sumus cum ipso per baptismum in mortem; vt, sicut resurrexit Christus per glo
riam Patris, sic nos quoque in nouitate vitæ ambulemus:] dixit etiam [semper *2.Cor.4.*
mortificationem Iesu in corpore circumferẽtes, vt & vita Iesu in mortali nostra
carne manifestetur.] PALLAD. Sed quænam hæc est, quæ hoc loco dici-
tur Christi mortificatio? CYRILL. Mortuum esse plane mundo atque pec-
catis, sacramque ac sanctam, Deoque carissimam vitam viuere, de qua re
Paulus mirifice gloriabatur dicens, [Ego enim per Legem Legi mortuus sum *Gal. 2.*
vt Deo viuam; cum Christo simul confixus sum cruci: viuo autem iam non
ego, viuit vero in me Christus: qnod autem nunc viuo in carne, in fide viuo
filij Dei, qni dilexit me, & tradidit seipsum pro me.] Hoc est, vt puto, mortuum
esse mundo, & Christi mortificationẽ perferre, ac vicissim illius vitam viuere.
Cinis igitur vitulæ cum aqua permistus, Iesu mortificationem vt in sancto
baptismate perficitur, indicare potest, cuius participes esse oportere dixit eos
C quoque, qui in ordine leuitico censerẽtur, omni carnalis impuritatis genere sic
vt in vmbra rursus abiecto: id enim satis aperte significat illa per nouaculam fa-
cta pilorũ corporis abrasio, [viuus est enim sermo Dei, & efficax, & penetrans,] *Heb.4.*
ex animo abradens insitorum in nobis carnalium motuum, tamquam pilorum
& vnguium impuritatem, quam etiam legem peccati habitantem in membris *Rom.7.*
carnis, repugnantemque legi mentis, & in ea, quæ nefas est admittere, pertra-
hentem, sacræ litteræ quodam loco vocant: attamen sancti spiritus virtnte &
efficacia, tamquam nouacula quadam, præcisa eneruatur, atque, etiamsi rursus *Rom. 7.*
in nobis pullulet, vehementius tondetur, [Spiritu enim, inquit, ambulate, & de- *Gal. 5.*
sideria carnis non perficietis.] Vt autem nouacula innascentem nobis pilum
non in totum ex imis ipsis radicibus extirpat, sed mox pullulantem amputat; sic
quoque Dei verbum in nobis motus illos, qui nos ad insitas cupiditates impel-
lunt, non veluti radicitus euellit, (nam illa perfecta sanctitas in futurum sæcu-
lum reseruata est) sed mortificat & extinguit potius, cum in nobis oriuntur ac
D pullulant; ac legem illam, quæ est in membris carnis nostræ, cum efferatur, per-
domat. Igitur pilorum ademptio mentis purgationem innuit, quam in nobis
diuinum illud & penetrans Dei verbum efficit. Sed vestium ablutio præclaram
& probatã conuersationẽ illam, quæ exterius patet, indicat: [prouidentes enim *Prouer.3.*
bona non solum coram Domino, vt scriptum est, sed etiam coram hominibus:] *Rom.13.*
ipse etiam dicit, [Luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera ve- *2.Cor.5.*
stra bona, & glorificent patrem vestrum, qui in cælis est.] Homines igitur *Matth.5.*
vere sanctos ac sacros tum interius tum vero etiam exterius puros esse opor-
tet, mortificationem Iesu circumferentes in suo corpore, & cum eo per san-
ctum baptisma quodammodo consepultos. PALLAD. Optime dixisti.

CYRILL.

CYRILL. Offerri autem pro ipſis oportere ait ſacrificium, boues duos, perfectum ſimul, atque anniculum, ideſt, tenerum ac iuuenem: ac perfectus quidem in holocauſtum offertur, ſimila conſperſa oleo cum eo ſimul incenſa: at vero ille alter pro peccato extra caſtra comburitur: ſic namque peraguntur hoſtiæ pro peccato. Ac rurſus in vtroque Chriſtus eſt, in boue quidem, qui in holocauſtum offertur, totus ſanctus & in odorem ſuauitatis Deo ac Patri pro nobis oblatus, vitæ, quæ in ſpe ducitur, lætitiam & hilaritatem ſanctis hominibus afferens: nam cum boue ſimul oleo lita ſimila offerebatur: hæc autem lætitia & hilaritas illis omnino cõtinget, qui vitam in Chriſto ducere decreuerunt. Quinetiam vt vitulus pro peccato ignibus abſumitur; nam eius liuore ſanati ſumus, vt ſcriptum eſt. *Eſai. 53.* Illud porro animaduertas velim, bouem quidem perfectum in holocauſtum offerri, anniculum autem pro peccato immolari, vt ſimul in duobus eundem intelligas, quod ad virtutum perfectionem attinet, ſuauiſſimo odore fragrantem; quod ad ſimplicitatem autem & innocentiam, immolatum, [Ego enim, inquit, vt agnus innocens, qui ducitur ad immolandum, non cognoui.] *Hiere. 11.* Iam vero tamquam pro omnibus ſimul & ab omnibus veluti donum Deo genus illud ſacrum offerri, oſtendit illa ab Iſraelitis facta manuum impoſitio. [Imponent enim, inquit, filij Iſrael manus ſuper capita Leuitarum.] Vt enim Leuitæ ſuper victimarum capita & animantium pro ipſis in Chriſti figuram immolandorum manus imponebant; idque non eo faciebant, quod eis benedicerent, minime prorſus id quidem; ſed vt illa manuum impoſitione quodammodo indicarent illum noſtra peccata ferentem Deum, ac pro nobis immolatum, vt ſuæ cruci affigeret chirographum, quod aduerſum nos erat: ſic factam eſſe intelliges illam populi ſuper Leuitas manus impoſitionem: nam vt qui electos homines pro ſe ad ſacrificandi miniſteria Deo addixiſſent, ita manus illis imponebant. Ac tum quidem manuum impoſitio fiebat; nunc vero, rebus in ſtatum longe meliorem commutatis, qui ad ſacrificandi munus per Chriſtum vocantur, eos populi ſuffragio ſuo comprobant, dignos eſſe acclamantes; idque in Eccleſiis faciunt, vt certe olim ad ſacrum diuinumque tabernaculum impoſitione manuum in Leuitas vtebantur. Perſpicuum eſt igitur, ſi neque in Eccleſia, neque in populi conſpectu electio fiat, præter Dei voluntatem fore, & a ſacris legibus alienam. Denique poſteaquam conſecrati ſunt Leuitæ, ea omnia, quæ ad ſacrificandi miniſteria pertinent, attingunt. Itaque, quiſquis aut in Chriſto ſanctus non eſt, aut non eo prius, quo conuenit, ritu purificatus, is longe abſcedat; nam diuina altaria non impune continget.

FINIS LIBRI VNDECIMI.




SANCTI




SANCTI CYRILLI ARCHIEPISCOPI ALEXANDRIAE

DE ADORATIONE IN SPIRITV ET VERITATE



LIBER DVODECIMVS.

Item de Sacerdotio.



A DE stola igitur sacra, atque etiam de sacrificiis, quæ in sacerdotum consecrationibus fieri præcepit Deus, plane iam dictum est. Ceterum cum alia multa diuinis responsis constituta sint, & ad cultum exhibendum, & ad purificationes pertinentia, & ad accuratam diligentiam, in ea vitæ ratione tenenda, quæ cum Lege consentiat maxime, ad spiritualemq. elegantiam sit exposita, illud mihi in primis dicendum esse arbitror.
PALLAD. Quid istud? CYRILL. Nam illa Leui familia donum erat Deo dicatum, & ex omnibus tribubus electum, eiq. generi Lex tribuebat sacra munera, Deo hunc illi honorem præcipue deferente; non tamen sine vllo discrimine cœtum illum sacris faciendis destinatum reliquit; neque, modo ex genere Leui essent, id officium temere quibusuis permisit, sed exquiri diligen-
B tissime præcepit; ne, si aliquo forte corporis vitio laboraret, Deo ingratum esset, & accessum vitiosum redderet, ne illotis, vt ita dicam, pedibus in tabernaculum testimonij irrumpens, etiam nolens offenderet: scriptum est autem ad hunc modum iterum in Leuitico, [Et locutus est Dominus ad Moysen dicens, *Leuit. 21.*
Dic Aaron, Homo ex genere tuo per generationes vestras, in quo fuerit macula, non accedet, ad offerendum dona Dei sui. Omnis homo, in quo fuerit macula, non accedet: homo cæcus, vel claudus, vel curto naso, vel auribus amputatis; aut homo, in quo est contritio manus, vel contritio pedis, vel gibbosus, vel maculosa facie, vel lippis oculis; aut homo, in quo fuerit agrestis scabies, vel impetigo, aut altero testiculo carens: omnis, in quo est macula ex semine Aaron sacerdotis, non accedet ad offerendum hostias Domino, quia macula est in ipso: ad dona Dei sui offerenda non accedet; dona Dei sunt, sancta sanctorum;

ctorum; & de sanctis comedet: nisi quod ad velum non ingredietur, & ad altare non accedet, quia maculam habet, & non profanabit sanctuarium Dei sui; quia ego Dominus, qui sanctifico ipsos.] PALLAD. Dic mihi igitur, est ne cuiquam fraudi, quod debili sit corpore? aut conditor naturam in crimen vocat, quod etiam inuita corrupta sit? CYRILL. Praeclare ais, Palladi. Sapis enim. Nam id vitio nonnullis atq. crimini dari potest modo, quod sponte, & ex animi sui sententia ad res vitiosas deflectunt, & ad quaeuis turpia declinare malunt; debilitates autem corporis, quae ex natura praeter voluntatem eueniunt, accusare, durum, opinor, est, atque inhumanum, & a stultitiae nota minime alienum. Ex quo illud intelligere licet, fieri non posse, vt ille vniuersorum conditor hominum naturam de culpis minime voluntariis ream fecerit, aut infirmitate corporis aliqua laborantem tamquam execrabilem, a sacro ministerio ei demandato repulerit; sed illum credendum est tamquam ex figura rerum corporalium nos ad subtiliorem elegantioremq. intelligentiam expolire, & varia vitiorum animi genera ostendere, vtq. haec Deo esse odiosa cognoscamus, indicare. Quid enim? non etiam beatus Paulus oportere dixit, vt, qui in sacerdotium electi essent, ij praeclaro hominũ iudicio in omni virtutum genere admirabiles habeantur? [Vt perfectus sit, inquit, homo Dei, ad omne opus bonum instructus.] Quinetiam episcopum irreprehensibilem esse oportere, apertissime asseuerauit, summamque in iis rebus diligentiam adhibuit. PALLAD. Assentior equidem. Sed quaenam sit singulorum corporis vitiorum, quae modo enumerata sunt, ratio, aueo discere. CYRILL. Agedum igitur singulis per genera distributis, dicamus ea, quae in mentem veniunt. Homo, inquit, per generationes vestras, ex genere tuo, in quo fuerit macula, non accedet ad offerendum dona Dei sui: cauta verba, asperum praeceptum: lex enim est non in eos modo constituta, qui tunc ex Aaron geniti erant, sed ad totum genus pertinet, & ad vniuersam familiam sacerdotalem, & in omne tempus extenditur: id enim, vt arbitror, significant ea verba, Ex genere tuo per generationes vestras. Semper enim ea, quae minus integra sunt, aspernatur Deus; neque vllum tempus reperire licet, quo illi aliquid vitiosum, spiritualibus nempe morbis affectum, placere possit; quin eos tantum amplectitur, qui integri sunt, nullisque affecti corruptelis, sed perfecti in virtute & in sanctificatione firmi, qui laudem ex recte factis parare perseueranter, student, & acri sunt, ac perpetua prudentia praediti. Ob eam igitur caussam hac de re legem statuit eiusmodi, quae ad vniuersam pertineat familiam, vt sacrum electumque genus incorruptum atque integrum sibi pararet, tum quidem in tribu Leui, & familia Aaron; nunc autem in iis, qui sunt in Christo sanctificati, magno nimirum illo vereque summo sacerdote, cui per spiritum adhaesimus, consortes atque participes propriae illius naturae facti. Itaque, cum eos, qui fide iustificati sunt, ad fraternam quoque coniunctionem vocarit, in illis tamquam cõsortio iunctis exultat dicẽs, [Ecce ego & pueri mei, quos dedit mihi Deus.] Quid enim? non haec verba Christi personae tribuere, beato Paulo visum est? PALLAD. Sane vero. CYRILL. Eum igitur arcet a sacerdotio, cui quoduis ex his vitiis, quae dicta sunt, adsit, vt debilem atque contemptum. Non enim accedet, inquit, ad offerendum dona Dei homo caecus, vel claudus. Habet autem ea res per se, etiamsi corporaliter accipiatur, magnã turpitudinem; cui enim exciderint oculi, aut qui pede est parum firmo, neque rectis vestigiis ingredi potest, hunc nonne satius est quiescere, qui ne internoscat quidem, quo ire oporteat sacerdotem, quam ire, sed non sine aliorum risu, oculis alienis vtẽtem? sed hoc certe leuius esse videatur: quae autem ad cognitionem contemplationem

1. Timo. 3.
Leuit. 21.
Heb. 2.
Esa. 8.

A plationemque ſpiritualem nobis vtilia ſunt, dicamus, hiſtoriæq. rudiorem ſenſum prætermittamus. Cæcum itaque appellare videtur tardum ſane hominem & in primis hebetem: quod enim eſt oculus in terreno corpore, hoc idem in animo mens dici poteſt, cum diuino lumine illuſtratur, & illam incorruptam pulchritudinem ſuſpicit, ac leui celerique motu cogitationum ad ſummam illam gloriam optime penetrat, atque a recto dogmatum ſenſu minime aberrare nouit: idque, vt opinor, eſt illud, quod prouerbij figura dictum eſt, [Oculi tui recta videant, & palpebræ tuæ recta conſiderent.] Dictum etiam ad illam Iudæorum parentem non recte aſpicientem, [Ecce oculi non ſunt tibi, neque cor tuum bonum niſi ad auaritiã tuam, & ad iniquitates tuas, & ad cædem faciendam.] Ineptus igitur eſt ad ſacerdotium, ſpiritualiter cæcus, ideſt, plane imprudens, & animo ac mente vitiatus. Ineptus præterea claudus, ideſt, qui recte ingredi neſcit, atque ad perfecte incedendum parum firmus eſt: nam *Prouer. 4.* *Hiere. 22.*

B cæcitas quidem, vt modo dixi, ſummæ eſt inſipientiæ ſignum; at claudicatio fractæ debiliſque motionis, atque alacritatis, qua in ſingulis rebus gerendis quiſque mouetur. An vero hominibus ita mutilatis non iure illud inſonari poſſit, [Confortamini manus remiſſæ, & genua diſſolutæ?] Accuſauit etiam ipſe Chriſtus Iudæorum populos, vtqui nollent rectos greſſus in eo figere, ſed ad claudicandum peruerſi eſſent, atque a rectis cogitationibus declinarent, [Filij, enim inquit, alieni mentiti ſunt mihi, filij alieni inueterati ſunt, & claudicauerunt a ſemitis ſuis.] Paria igitur ſunt inter ſe & vicina admodum, ſi vitiorum ſimilitudinem ſpectes, mentis claudicatio atque cæcitas, quarum altera intelligentiæ præſtantiam, altera bonorum operum firmitatem inutilem reddit. Reiicitur præterea κολοβόριν, (ſic enim nomen fingere oportuit,) ideſt, qui curto naſo eſt, & qui auribus amputatis; quibus hæc expoſitio accomodari poteſt; nam olfaciendi ſenſu rerum omnium ſuapte natura olentium *Eſai. 33.* *Pſal. 17.*

C malus, aut bonus odor examinatur; habet autem is ſenſus vim diſcernendi maximam inter ea, quæ vel oblectare nos, vel contra offendere poſſunt, & in deteriori ordine numerantur. At vero humanus animus ſi ſuas vires perfectas atque abſolutas habuerit, perget ille quidem fortiter ad actionum qualitates diſcernendas, & ſingula diligenter examinabit, & tamquam optimus aliquis argentarius omnia probans, quodque bonum eſt tenens, & ab omni ſpecie mala abſtinens, vt ſcriptum eſt, laudem maximam conſequetur. Improbat enim turpes quodammodo & adulterinas actiones, vtiles atque præclaras libenter admittit. Igitur naſi depreſſio parum ſanum parumq. perfectum ſenſum ſignificat, quo ſenſu ſingulas actiones rectiſſime diſcernentes de rebus optimis præclare, de turpibus ſecus exiſtimamus: ob eamque cauſſam ſapientiæ ac prudentiæ & reliquarũ huius generis virtutum & rem tenemus, & nominibus appellamur: nam odor veluti quidam ad animum fertur ab iis rebus, quæ ab eo in- *1. Teſſal. 5.*

D telliguntur, quaſi qualitas quædam actionum: mutilatæ porro aures, auditus tardioris, vt mihi quidem videtur, ſignificationẽ præſeferunt. Amputatæ namque auris eſſe vitium puto, cum quis vel ex parte aſſentitur, neque omnino ad obediendum promptus eſt & facilis, vel non ſincere ſacras potiſſimũ litteras exaudire poteſt: quod nonnulli faciunt, qui animi vim ad audiendum aptam temeritate ſumma ad ea peruertunt, quæ minime oportet. Eiuſmodi ſunt, quibus iuxta beati Pauli vocem, pruriunt aures, & a veritate quidem auditum auertunt, attendunt autem ſpiritibus erroris, & profanis vocum nouitatibus adhærent. Igitur detruncatæ aures interioris ac ſpiritualis auditus mutilationem, & intelligentiæ a recto ad deteriorem ſenſum deprauationem ſignificare videntur. Quinetiam, ſi in quopiam contritio pedis aut contritio manus *2. Timot. 4.* *1. Timot. 4.*

inesse animaduertatur, abscedat is, inquit, & in aliorum ordinem se recipiat. A
Qua in re is, qui colliso sit pede aut manu, non tamen prorsus debilitato, intelligere nos admonet eum, qui non integre ad probas actiones progredi potest, neque incessum omnino laudabilem, idest, actionem in conuersatione ac
Hiere. 48. vita cum lege maxime congruentem habet. Eiusmodi sunt iterum, qui faciunt opus Domini negligenter, qnibus prophetæ voce illud, Væ, irrogatum est; aut
Deut. 16. qui quod iustum est, non iuste sectantur, vt scriptum est. Illud autem animaduertas velim, spirituali ac plenæ claudicationi, illam quoque modicam tibiæ debilitatem parem esse, & pro eodem haberi: tantidem enim vtrunque æstimandum est, & nihil omnino, quod præclarum sit, facere posse, & id minus recte facere; significatur autem non absurde in claudicatione quidem, nihil prorsus posse, in contritione autem non recte posse facere. PALLADIVS. Consentaneum videtur. CYRILLVS. Gibbosum præterea, & qui maculosa sit facie, & qui lippis oculis, recenset item inter eos, qui maxime repudiantur. Ac gibbosum quidem esse dicimus, qui quodammodo incuruatus est, & cuius animus deorsum aspicit, & ad carnis affectus est procliuis, & oculos nimirum spirituales ad res terrenas defigit, iamque in eam sententiam venerit, vt erigere animum ad res supernas sapiendas fugiendum putet. Inter hæc numerari possunt Iudæorum crimina, de quibus scriptum est, B
Psal. 68. [Obscurentur oculi eorum, ne videant, & dorsum eorum semper incurua.] Maculosum autem, seu, vt græce habetur, ἴονθον appellamus, qui maculam, idest, ἰονθάδα in ipso fronte habet; est autem is morbus vim habens denigrandi summæ cutis aspectum. Iis autem, in quibus hic morbus fuerit, accidit, vt latere non possint; cum in ipsis superciliis innascatur, & in tota facie grassetur. Maculosus est igitur eiusmodi homo corporaliter, sed spiritualiter indicat apertum, minimeque occultum impudentem, ac veluti impuro vultu hominē, qui vitæ turpitudinem omnibus aperte prodat, adeo vt ne id quidem sciat, C
Prouer. 12 quod est à sapiente quodam dictum, [Sapientes abscondent suam ipsorum turpitudinem.] PALLAD. Quonam modo? CYRILLVS. Quid enim, Palladi, nonne innumera nobis insunt vitia? PALLAD. Certe. Sed quorsum istud? CYRILL. Quia inquam Palladi, vnusquisque nostrum quocunque alio laboret vitio, pudore tamen fratrum sæpenumero victus, maximā curam ac studium adhibet, vt integer esse videatur, & in malis lateat. PALLAD. Recte ais. CYRILL. Siquis igitur ad eam impudentiam progrediatur, vt palam delinquere, pro nihilo ducat, & honestatis ornamenta prorsus negligat, eiusmodi homo nonne iam cuiuis videatur à sacro sanctoque genere longe remotus? PALLAD. Sane vero. CYRILL. Maculosum igitur Lex vocat eiusmodi hominem, vt qui vitium ac morbum suum ne occultare quidem norit ac velit. Lippis vero oculis eum appellat, qui videndi facultate minime ille quidem priuatus sit, sed id recte facere nequeat; quales ij D
sunt, quibus adest quidem prudentia, non tamen id etiam habent, vt recte sentire velint: nonnulli enim, cum id, quod rectum est, videant, tamen ad ea, quæ minime conuenit, voluntatis suæ propensionem detorquent: alij vero, cum possint rectam de dogmatis sententiā assequi, suæ ipsi menti officiunt, ac turpissimarum opinionum aucupium sectantur, nullamque de Deo sanam sententiam amplectuntur: quales sunt hæretici, ac præter hos Iudæi, qui, cū Deum credant esse Patrem, Filium tamen, qui ex eo secundum naturam extitit, stultissime repellunt. Itaque verissime de illis dici potest, quod est pro-
Hierem. 5. phetæ voce decantatum, [Oculi sunt eis, & non vident;] nihil enim facultas videndi proficit, nisi adiunctum sit illud, vt recte videatur, nimirum vt claudicationem,

A cationem,& contritionem pedis pro eodem haberi iure dicebamus:nihil enim prorsus interest nullo ne modo quis incedere per semitam rerum gerendarum, & actionum viam, an vero non recte incedere possit. PALLAD. Recte dicis. CYRILL. Non accedet etiam ad sacrificandum homo, in quo fuerit scabies indomita,vel impetigo, aut qui altero testiculo careat, omnis in quo est macula. Indomitæ igitur scabiei persimilia esse censenda sunt turpissima vitia, quæ acriori fluxu in animum influūt,& modum omnem egrediuntur;quæ cum ex voluptate initium sumant,asperum exitum habent. Quid?nonne censes in vnoquoque peccato tum mediocritatem quandam vitij, tum vero redundantiam spectari? PALLAD. Quonam istud modo? CYRILL. Qui corporis voluptate capitur, nonne eo vitio & modice, & vltra modum laborare potest? alij enim succumbunt morbo,& eo modo mediocriter afficiuntur, alij ad summum in eo malo progrediuntur, & indomita impotentique libidine laborant, vt etiam vltra ea vitia, quæ secundum naturam sunt, præcipites ruant.

B PALLAD. Quod dicis teneo. CYRILL. Igitur in vnoquoque vitio vltra rationis terminos modumq. consuetum, & qui in plerisque reperitur,insolēter intemperantia prodite,id vero iam scabies indomita dici potest. Adhæc impetigo quiuis animi morbus appellari, qui semper latius serpat, nullumq. finem faciat in peius crescendi. Comprimere igitur atque minuere irruentia vitia,nobis diuina lex præcipit; n hunc sensum accipies cum audis, [Si spiritus potestatem habentis ascenderit super te,locum tuum ne dimiseris;quia curatio faciet cessare peccata maxima.]Vitia enim si minime castigētur,serpūt in dies ad turpiora,& tot atque mentem corripiunt, atque ad summā perniciem perducunt. Castiganda est igitur a nobis vitiositas, ita vt eam nostra vigilantia ad meliorem frugem reuocando comprimat,& paulatim extinguat. Alterum vero testiculū non habentē, vt ego arbitror,semiuirum appellat,& a quo perfecti viri dignitas sit abscisa. Eccles.10.

C [Neque enim fornicatores,inquit, neque molles,regnū Dei consequentur.] Exoletos autē hoc nomine appellat,qui,cum viri naturā fortiti sint, viri dignitatem ementiuntur, & animo & corpore effeminati,& sponte ad eneruatum muliebremq. modum fracti. Est autem præterea verisimile,eum qui altero testiculo careat, aliud quiddam significare:habet enim id consuetudo,vt firmus, atque in se collectus,& ea omnia perficere valens, quæ decreuerit, vir appelletur:intelligi igitur non absurde potest is esse ex media parte vir, qui minime integra est firmitate, neque ad omnia exequenda,quæ sibi conueniunt, satis virium habens:non enim decet eum, qui Deo dicatus est, mutilam illi fortitudinem ac debilitatam firmitatem offerre, & tamquam ex parte languere;sed viriliter agere, & confortari,sicut scriptum est,& eiusmodi alacritatem habere,quæ reprehensionem omnem & irrisionem effugiat. Igitur sine vlla controuersia arcetur a sacris, qui fuerit alicuius maculæ reus;arcetur autem 1.Cor.6. Psal.26.

D non quominus sancto cibo vescatur; [Comedet enim,inquit, de sanctis]sed ne ad velum ingrediatur,neque accedat ad altare:nam, qui languoribus adhuc in animo latētibus obnoxij sunt, ij participes esse benedictionis Christi possunt, non tamen eo modo,quo sancti viri percipiunt ad sanctificationis incremētum & animi firmitatem,&ad fixam in rebus præclaris perseuerantiam; sed eo modo,qui infirmis conuenit,ad vitij abiectionem,cessationemq. a peccato,& mortificationem voluptatum valetudinisq. spiritualis recreationem. Nam, quia Christus noua creatura est secundum Scripturas, eam ob caussam nos quoque illum in nobis ipsis accipimus, vt per sanctam eius carnem & sanguinē in vitæ nouitatem per ipsum & in ipso reformati, deponamus veterem hominem, qui corrumpitur secundum desideria erroris, sicut scriptum est. PALLAD. 2.Cor.5. Ephes.4.

X Recte

Recte ais. CYRILL. Interdicit igitur munerum sacrorum procuratione iis, A
qui infixa quodammodo, & quæ abiici non possit, spirituali debilitate laborarent; nam qui assidue insitis vitiis laborant, sancti nullo modo sunt: quin etiam qui in se ipsis integri sunt, & minime ad sacra ministeria vitiosi, tamen si ex iis aliquem his communibus vitiis, & quæ abiici haud facile possunt, laborare
Leu. 22. contingat, eum non sine castigatione relinquendum esse præcipit dicens, [Dic Aaron & filiis eius, & abstineant a sanctis filiorum Israel, & non profanabunt nomen sanctum meum, quæcunque ipsi sanctificant mihi: ego Dominus; dic eis, in progenies vestras, Omnis homo, quicunque accesserit de omni semine vestro, ad sancta, quæcunque sanctificant filij Israel Domino, & fuerit immunditia eius in ipso, exterminabitur anima illa a me. Ego dominus Deus vester: & homo ex semine Aaron sacerdotis, & hic leprosus, vel seminis fluxum patiens, de sanctis non comedet, quoad mundatus fuerit; & qui tetigerit omnem immunditiam animæ, aut homo de quo exierit semen concubitus, vel B
quicunque contigerit omne reptile immundum, quod inquinat; vel homo, quem inquinat aliquid secundum omnem immunditiam eius, anima quæcunque contigerit ea, immunda erit vsque ad vesperam; non comedet de sanctis, nisi abluerit corpus suum aqua, & occiderit sol, & mundus erit, & tunc comedet de sanctis, quia panis ipsius est; & morticinum & captum a bestia non comedet, ne inquinetur in ipsis. Ego Dominus, & custodient custodias meas, ne sumant propter eas peccatum, & moriantur propter eas, si profanauerint eas. Ego dominus Deus, qui sanctifico ipsos.] Qui offerunt, inquit, sacrificia, idest, ea, quæ sanctificantur a filiis Israel, quæcunque consecrarint, vt sacrificent Deo, ne profanent eius nomen, vt nondum sanctificati, neque dum ab impuritate, quæ illis acciderit, abluti, offerant: alioqui sciant se hanc culpam extremo supplicio persoluturos. Ego enim sum Dominus, idest, non Deus falso nomine appellatus, in quem etiamsi quis peccet, damni nihil factum erit: C
quid enim in lignum lapidemue committi potest, vnde a nobis rationes repetendæ sint? Cum igitur graui timore nos corrigere atque ad cautionẽ excitare vellet, impuritatis genera, quæ suscipi a nobis possunt, vtiliter enumerat, vt suis cultoribus via probitatis, quam eos ingredi in primis deceat, non sit ignota, ac sciant, quibus rebus illi accepti purique fieri possint, eamque teneant vitæ rationem, quæ sit Legislatori gratissima. PALLAD. Recte est a te dictum. CYRILL. Leprosum igitur; & eum, qui seminis fluxum patitur, a sacro ministerio reiicit, ac sanctorum esse expertem iubet quoad vitium, quod sibi accidit, a se depulerit, atque ab eius contagione longissime discesserit. His tamquam impuritate laborantem adiungit eum, qui attigerit omnem immunditiam animæ, vel de quo exierit semen concubitus: præterea qui reptile tetigerit; hominem denique, qui quouis modo immunditiæ obnoxius fuerit; non quod corporeas affectiones Lex accuset, si verum atque sincerum eius propositum spectemus; sed vt in figuris adhuc sensibilibus atque corporeis animi affectus ostendat. Signum igitur mortalitatis est lepra; carnem enim absumit atque depascitur, hominemque transfert in eum habitum, qui præter naturam est, & corporis aspectum immutat. Seminis autem fluxus est fecunditatis abiectio, natura incassum fluente: qualis esse etiam hominis animus cernitur ad corruptionem prolapsus; ac prope dixerim, in sterilitatem absumptus, quod D
2. Timo. 2. nihil eorum, quæ sunt ad salutem necessaria, possit intelligere; quales Hymenæus & Alexander fuerunt, existimantes ac dicentes resurrectionem iam esse factam. His etiam adiungi possunt, qui ad omne genus rerum turpissimarũ præcipites ruunt, ac mentis suæ fructũ in inutiles atque intemperantes voluptates

A temere profundunt. Igitur leprosus, & feminis fluxum patiens, id est, qui in operibus mortalitatis detinetur (sunt autem opera mortalitatis vitia carnis,) qui interiorem fecunditatem in animo nimirum positam atque latentem, non incorruptam seruat; procul fit, inquit, a Sanctis, quoad purificetur: vt enim beatus Paulus ait, [Qui manducat corpus Domini, & bibit calicem eius indigne, iudicium sibi manducat & bibit, nó diiudicans corpus eius: probet autem, inquit, seipsum homo, & tunc de pane edat, & de calice bibat.] PALLAD. Optime a te dictum est. CYRILL. Sed vide iam, Palladi, accuratam Legis censuram: non enim leprosum modo, & feminis fluxu laborantem complectitur, sed simul cum illis quodammodo damnat etiamsi quis iis morbis affectos, leprosum inquam & semine fluentem, tetigerit. Et qui tetigerit, inquit, omnem immunditiam animæ, vel de quo exierit semen concubitus, impurus erit. PALLAD. Et quid in ea re damni faciunt, qui contingunt? CYRILL. Nihil certe, si horum verborum rationem in promptu positam spectes, neque enim hominis animum inquinare potest corporis tactus: sed, quia Lex spiritualis est, nos iterum per ænigma docet, immundos esse & impuritatis reos, qui animi vitiis tenentur obnoxij, simul autem cum illis inquinantur, qui contingunt, id est, qui societate quadam eiusdem voluntatis eorumdemve factorum illis adhærent: [corrumpunt enim mores bonos colloquia mala:] ac [pars nulla est fideli cum infideli;] pugnat lumen cum tenebris, neque aliquid inter ea conuenire potest; verumq. est illud, [Cum sancto sanctus eris, & cum innocente innocens eris, & cum electo electus eris, & cum peruerso peruerteris.] Ceterum grauissimorum vitiorum morbis laborare, non iis modo perniciosissimum esse, qui illis morbis tenentur, sed eos quoque, qui eiusdem sententiæ ac voluntatis fuerint socij, non minori, quam illos, labe inquinari, indicauit continuo subiungens, Quisquis tetigerit omne reptile immundum, quod inquinabit ipsum, vel hominem, quem inquinabit iuxta omnem immunditiam suam, anima quæcũque tetigerit ea, immunda erit vsque ad vesperam. Reptilia vero fera atque venenata & esse & appellari dicimus eos, in quos illud dictum cadit, [Venenum aspidum sub labiis eorum; quorum os maledictione & amaritudine plenum est.] Huiusmodi autem præter ceteros illi sunt, qui ea, quæ recta sunt, peruertũt, atque in simpliciorum hominum aures perniciosum sermonem infundunt, eosque ad sententias minime rectas, opinionemque de Deo peruersam detorquent; vel etiam illi forsasse, qui dicunt, [Manducemus, & bibamus, cras enim moriemur;] & ad expetendas mundi voluptates stultorum hominum animos pertrahunt. Impuri sunt item, & eos, qui se contingunt, idest, qui propius ad ipsos, si affectionis modum consideres, accedunt, inquinare solent, ij etiam, de quibus dixit profecto vir ille sapientissimus Paulus, [Si quis frater nominatur aut fornicator aut ebriosus, aut raptor, aut auarus, aut idololatra; cum huiusmodi ne cibum quidem sumere.] Nonne enim sacro illo atque electo genere dignissimum esse ducis, neque in eiusmodi vitiis esse, neque cum iis versari, qui illis laborant? PALLAD. Maxime vero. CYRILL. Erit igitur immundus, inquit, quisquis hæc contigerit, vsque ad vesperam: non comedet de sanctis, nisi prius lauerit corpus suum aqua, & occiderit sol, & mundus erit, & tunc comedet de sanctis; quia panis ipsius est. Præter hæc prohibet morticino & a bestia capto animãte vesci, tamquam is cibus inquinare possit. Sed vide, Palladi, non aliter nobis posse contingere, vt maculas omnes deponamus, & a criminibus liberemur, nisi per Christum solum, & in tempore aduentus eius. PALLAD. Quonam istud modo? CYRILL. Nam omnia impura & adhuc polluta, & vitæ expertia fuisse, quæ aduentum illius

Marginal notes: 1. Cor. 11. (beside "beatus Paulus ait"); B (beside "RILL. Nihil certe"); 1. Cor. 15. (beside "demve factorum"); 2. Cor. 6. (beside "la:] ac"); Psal. 17. (beside "aliquid inter ea"); C (beside "quod inquinabit"); Esa. 59. (beside "dictum cadit"); Rom. 3. (beside "& amaritudine"); Psal. 13. (beside "quæ recta sunt"); Esai. 22. (beside "Deo peruersam"); 1. Cor. 15. (beside "& bibamus"); 1. Cor. 5. (beside "nare solent"); D (beside "aut idololatra"); Leuit. 22. (beside "RILL. Erit igitur")

illius Vnigeniti præcesserunt, ostendit dicens, Impurus erit vsq. ad vesperam, A & non comedet de sanctis. An vero ille Emmanuel non in extremis sæculi temporibus aduenit? PALLAD. Certe: perspicuum est enim. CYRILL. Quid? sumusne tum viuificati, cum comedimus illum panem vere sanctum, & e cælo, idest, Christum, cum iam tempus ad extremum vergeret, & Sol quodammodo occideret, & mensuram temporis vespera clauderet? PALLAD. Maxime. CYRILL. Ergo etiam vsque ad vesperam ille inquinatus immundus permanet, sancti que cibi ac vitalis expers, purgationis tempus expectat. Sed, posteaquam fuerit ablutus aqua, sole iam occidente mundatur, & suum panem habet eum, qui est e cælo: nā iis, qui sanctificati sunt per aquam,
Ioan. 6. sancto inquam baptismate, concessa est illa per Christum benedictio: ipseque est ille panis viuens, ipse itidem, qui de cælo descendit, & dat vitam mundo. Ceterum tempus illud, quo Saluator noster aduenit, designari per solis occasum, perspicue cognosces ex illis verbis, quæ Deus de agno loquens, Moysi di- B
Exod. 21. xit illi sacrarum rerum interpreti, [Loquere ad filios Israel, & accipiant sibi agnum per domos, & seruabitur a decimo mensis vsque ad quartumdecimum diem, & immolabunt eum omnis multitudo filiorum Israel ad vesperam:]hora enim vndecima vocatur ea, qua nobis ille Emmanuel apparuit, sub ipsam iam vesperam, idest, præsentis sæculi finem. Morticinum porro & a bestia captum, non minus quam lepra, contingentes spiritualiter inficit. Ex quibus morticinum quidem hominem plane mortuum & in operibus secūdum carnem extinctum; captum vero a bestia animam, quæ in Diaboli potestatem venerit, aperte significat: rem porro salutarem esse refugere ab homine, qui mortalia sapere sit assuetus, & cuius animus sit extinctus, & tamquam de se ipso Satanam pascat, (deuorat enim ille, quas ceperit animas) quomodo dubium esse poterit iis, qui sensu reuera sunt integro, atque omni studio imcumbunt, vt ab omnibus iis rebus, quæ inquinare solent, longissime recedant? PALLAD. Sic C se res habet. CYRILL. Sed, quoniam ad eam diligentiam narratio peruenit, & Lex eo tendit, vt inquinatis quidem hominibus minime permittat, culpa vero vacantibus concedat sanctos vitalesque cibos percipere; eam ob caussam hæc genera accurate distinguit, & qui sacra benedictione digni sint, & idonei, qui ad eam accedant, definit, quive item a sacris cibis repellendi, declarat
Leuit. 22. dicens, [Et omnis alienigena, non edet sancta. Inquilinus sacerdotis vel mercenarius non edet sancta. Quod si sacerdos possederit animam emptam argento, hic edet panem ipsius, & vernaculi eius etiam ipsi edent de panibus eius.] excludit igitur alienigenam & externum vt impurum, neque adhuc ablutum, idest, nondum credentem & veri Dei adhuc ignarum; qui enim nulla spiritus mentisq. coniunctione Christo magno illi & vero sacerdoti deuincti sunt, qua
Matth. 7. ratione ij panum eius participes erunt? neque enim sancta canibus dabimus, aut proiiciet quisquam margaritas ante porcos, iuxta ipsius vocem Saluatoris. D Expers igitur est prorsus alienigena. Huic adiungit inquilinum & mercenarium: inquilini autem sunt, vt mihi quidem videtur, qui mūdo quidem viuunt, & in eo tamquam eius ciues versantur, ac terram veluti patriam putant, proptereaquod ea sola quæ carnis sunt, sapiunt, sed nuda quodammodo, solaque fide in Christi dilectione tamquam incolæ habitant; ac, si verba eorum spectes, commodi homines ac probi videtur; sin facta moresque, longissime a vera sunt religione remoti. Mercenarij item sunt, qui hoc ipsum, quod tantummodo credunt, non veritatis veneratione ducti, amplexi sunt; sed quia pro eo quod videntur esse Christiani, nonnullorum gratiam veluti mercedem quandam aucupantur, & eorum præsidia, a quibus iuuari possunt, adulatorie captant,

& picta-

A & pietatem ad quæstum cõuertunt,& ad cupiditatis suæ velamen illam in sermone comitatem tamquam personam sibi circumponunt. Quod igitur ad vim Legis spectat, cum alienigenis inquilini quoque & mercenarij numerabuntur,& a sanctis longissime remoti, vna cum illis erunt;cumque cognatis quodammodo criminibus laborent, simili quoque pœna mulctabuntur. Permittendam vero esse domesticis inquit sanctorum participationem; Edent enim, inquit, vernaculi sacerdotum, & quemcunque illi emerint; emptum argentoque comparatum & vernaculum appellans,eum, qui veraci germanaque sit fide, & domesticus in spiritu: Christus enim nos redemit de maledicto Legis, factus pro nobis maledictum, sicut scriptum est. PALLAD. Vera dicis. CYRILL. Adhæc iubet, ne filia sacerdotis, si cum viro alienigena nupta fuerit, de primitiis sanctorum comedat. Vernaculum plane honore affecit, cui tamquam germano, concessit vt esset sanctorum particeps; illis tamen, *Galat. 3.*

B qui sacerdoti cognatione coniuncti sunt,diligentissime esse cauendum, ne cum iis coniungi velint, qui sunt vel fide vel moribus alieni, & virtutis cognatione minime præditi, non obscurum erit, si qui diligenter sacrarum litterarum fidem peruestigare voluerint: vt enim in iis, quæ iam superius lecta sunt, impurum quidem esse censuit, leprosum, & seminis fluxu laborantem, sed eorum immunditiæ & impuritatis consortem esse statuit eum quoque, qui ad illos propius accessisset, & veluti ex contactu coniunctus cum eo esset: sic etiam hoc loco sacerdotis filiam, inquit, quamuis genus habeat sanctum, nihil ex ea re commodi habituram, si cum altero coniuncta sit, idest, cum alienigena, qui nulla ex parte eam attingat, neque sit ex genere Israel. Ac de historiæ ratione hactenus. Sed, si Legem ad spiritualem intelligentiam reuocauerimus, dicendum videtur, filiam sacerdotis appellari animam, Christi virtute ex aqua & Spiritu regeneratam, & per fidem ad sanctificationem vocatam: Sed eiusC modi quoque anima erit, inquit, sanctorum expers, si fuerit viro alienigenæ, id est, si cum iis se coniunxerit, qui sancti vere non sunt, neque vlla spirituali affectione Deum attingunt: corpora namque corporeum habent coniunctionis modum, spiritus contra spiritualem. PALLAD. Ecquos putamus in eam culpam esse prolapsos? CYRILL. Quos sapiẽtia graui sermone præmuniebat, sic dicens, [Fili, ne te seducant homines impij, neq. acquiescas, si te hortati fuerint dicẽtes, Veni nobiscũ; particeps esto sanguinis.] Iis illi quoque adiungendi videntur, qui cum stulte a recta fide recesserint, carnem sequuntur, neque verba sancti Spiritus amplectuntur, sed attendunt spiritibus erroris, in hypocrisi loquentium mendacium, & cauteriatum animum habentium. Eiusmodi homines, Christi coniunctione reiecta, hominibus renera alienigenis copulati sunt, ac semen diabolicum exceperunt; &, cum in errore sunt, erroris atque perditionis opera tamquam fructus ac partus afferunt. *Prouer. 1.* *1. Tim. 4.*

D Reiicienda est igitur anima, quamuis ea sacra sit & religiosa, quæcunque in adeo turpes impuritates incidit: profanus est enim plane quisquis ex eo quod improbis & impiis hominibus adhæret, impurus factus erit & immundus. Alteram quoque huic finitimam legem continuo sanxit: ea sic habet, [Et filia sacerdotis si fuerit vidua vel eiecta, neque semen fuerit illi, reuertetur ad domum patris sui iuxta adolescentiam suam: de panibus patris sui vescetur.] Ac ratio quidem historiæ perspicua est, vt opinor; ideoque ad interiorem occultamque intelligentiam veniendum est. Si, inquit, anima tamquam damnabilis, repudiata fuerit, & viro destituta, idest, illo spirituali sponso, fructumq. ex virtute nullum habeat, eiusmodi anima concito gradu ad statum priorem redeat, celeriterq. ad domum patris sui reuertatur, per pænitentiam nimirum, *Leuit. 22.*

repetatque priorem illam cum Deo cognationem; tum denique veſcetur panibus illius. Nihil vero impedit, quominus ad ea, quæ pauloante diximus, horum quoque verborum vim accommodemus. Si enim acciderit, inquit, ſacram & ſanctam animam profanis hominibus ſubditam, in errorem cadere, labemque dogmatum alienorum admittere, ob eamque cauſam quaſi vidua facta ſit, & a Deo repudiata; poſteaque reſipuerit, reſciueritque quo præceps ruerit, redeat ad patrem; ille enim errãtes recipit, ſi ab infuſorum in ipſis impiorum ſeminum labe puri comperti fuerint, nullaſque in ſeipſis hominum ſeductorum impuritatis reliquias ferant; ita illos in ſanctorum adoratorum ſuorum gregem recipiet, ac ſe ipſum illis panem de cælo, qui cibus eſt vitalis, apponet. Puto autem Legiſlatorem aliud quiddam nobis ſignificare his legibus velle: prædicit enim quodammodo Iudæorum Synagogæ defectionem, & eius criminis pœnam; clementiam præterea illi tandem impendendam, quæ illam Dei miſeratione ad conuerſionem reuocet, ad priſtinumque ſtatum reducat. [Filia, inquit, viri ſacerdotis ſi fuerit viro alienigenæ, primitiis ſanctorum non veſcetur:] nam, quod ad doctrinam attinet atque diſciplinam, pater veluti quidam Iudæorum Synagogæ beatus Moyſes fuit. Erat igitur filia ſacerdotis: nã Moyſes etiam ſacerdos fuit, vtpote cum ex genere eſſet ac tribu Leui. Sed huius filia cum alienigena viro coniuncta eſt: nam, cum ea, quæ diuinitus decreta fuerant, prorſus nihili penderet, & ſuperna quodammodo ſemina negligeret: ſtudium impendit in doctrinas & mandata hominum, vt aliorum decretis atque traditionibus fructificaret: itaque ob eam cauſſam Deus illam accuſauit per Hieremiæ vocem dicens, [Leua indirectum oculos tuos, & vide vbi non ſubacta ſis: in viis ſedebas ipſis quaſi cornix deſerta, & contaminaſti terram in fornicatione tua, & in malitiis tuis: & habuiſti paſtores multos in offenſionem tibi.] ſed hæc vetera ſunt Iudæorum Synagogæ crimina: illa vero noua, & iis affinia, quæ in Chriſtum admiſit: nam, cum illum ſupernum & ex Deo Patre ſponſum nullo modo reciperet, ſcribarum & phariſæorum verbis acquieuit. Iuncta eſt igitur viro alienigenæ; ob eamque cauſſam ſanctorum expers fuit: non enim manducauit panẽ de cælo, ideſt, Chriſtum. Vides eius crimina, & pœnas iis, qui ſe tali impietate conſtrinxerunt a Chriſto illico irrogatas. Vide rurſus qua ratione ſint miſericordiam conſecuti, & ad priſtinum ſtatum reuocati. [Filia, inquit, ſacerdotis ſi fuerit vidua vel eiecta, & ſemen non fuerit ei, reuertetur ad domum patris ſui, iuxta adoleſcentiam ſuam, & de panibus patris ſui comedet.] Vidua enim & eiecta propter impiũ ſcelus in Chriſtum admiſſum, facta eſt Iudæorum Synagoga; & in peccatis, & ſumma ſpiritualium bonorum inopia manſit, in eoque ſtatu multo tempore perſeuerauit. Sed reuertetur ad domum patris ſui; nam & ipſa quoque per fidem ad Deũ vocabitur, patremque ſibi nobiſcum illum omnium rerum conditorem adſciſcet, & Chriſti benedictionis particeps fiet. Hoc myſterium prophetæ quoque verba perſpicuum faciẽt; ſic enim ait, [Quia multis diebus ſedebũt filij Iſrael ſine rege, ſine principe, ſine ſacrificio, ſine altari, ſine ſacerdotio, ſine manifeſtationibus: & poſt hæc reuertentur filij Iſrael, & requirent dominum Deum ipſorum, & Dauid regem ipſorum, & pauebunt propter Dominum, & propter bona eius in nouiſſimis diebus.] PALLAD. Vera oratio. CYRILL. Igitur qui in ſe ipſis integri ſunt, eos & edere ſacra, ideſt, ſancta licet, & participare decet, non tamen iis quoque propoſita ſunt, qui vel integri nõ ſunt vel habitudine affectioneq. ad aliquos inquinati; ſcriptum eſt enim, [Cum peruerſo peruerteris.] Eſſe autem iis etiam, qui vere ſacri ſunt, haud impunitum, ſi tamquam ad communem vſum ſancta conuerterint, nihilq. ab aliis cibis differre putauerint, declarauit,

Margin notes: Hiere. 3. (beside "uit per Hieremiæ vocem"); Leu. 22. (beside "ſtatum reuocati"); Oſee 3. (beside "perſpicuum faciẽt"); Pſal. 17. (beside "ctioneq. ad aliquos"). Margin letters A, B, C, D.

A declarauit, cum continuo subiecit, [Et homo quisquis comederit sancta per ignorantiam, adiiciet quintam partem eius ad ipsum, & dabit sacerdoti sanctum; & non profanabit sancta filiorum Israel, quæ ipsi separant Domino, vt inducant in seipsos iniquitatem delicti, dum comedunt sancta ipsorum: quia ego Dominus, qui sanctifico ipsos.] PALLAD. Hoc, quod dicis, quale sit, non satis intelligo. CYRILL. Intelliges igitur, & quidem perspicue: nihil enim negotij est. Quæ in odorem suauitatis offerebantur, boues verbigratia aut oues, ex parte altari imponebantur, extractis intestinis, pedibus etiam, & capite & adipe, ac renibus interdum; eiusque sacrificij reliquiis sacerdotes alebantur: qui enim edunt hostias, participes sunt altaris, vt beatus Paulus ait. *1. Cor. 10.* Erat igitur necesse, vt Deo consecraretur, quod quispiam obtulisset, vt lex cuiusque oblationis postulabat, reliquo sacrificij corpore ministri sustentarentur. Si vero aliquis totã prorsus oblationẽ subtraxisset; & in suos conuertisset vsus, B nihilq. adoleuisset, Lege reus erat, perinde ac si sancta comedisset; id quod Heli sacerdotis filij fecerunt, antequã sacrificia adolerentur, rapientes, eaque profanantes, & iis, qui sacrificandi caussa venerant, summa cum impietate dicentes, *1. Reg. 2.* Da carnem assandã sacerdoti. Sed illa quidẽ crimina, vt quæ voluntate suscepta essent, & apertam haberent iniuriam, pro merito punita sunt: ceterum, Si acciderit, inquit, quempiam vel obliuione correptum, vel quid legibus constitutum esset, parum accurate tenentẽ, tale quidpiam admittere, mulctam subeat; &, nulla mora interposita, tantundem persoluat, & ei quintam partem adiiciat, idest, quintam æstimationis partem; ita enim crimina diluet, & ignorantiæ noxam propulsabit. Si igitur, quod imprudenter admissum est, crimine non vacat; quid putamus, si per superbiam atque audaciam admittatur? Caueant igitur ij, ad quorum curam pertinent sacra, ne quidquam ex hostia, antequam adoleatur, suum faciant: alioqui sciant, se grauissimi criminis pœnas daturos, C & diuinæ vltioni subiiciendos. An vero id minime verum esse putas, Palladi? PALLAD. Ego vero maxime. CYRILL. Ceterum, qui sacerdotio præditi sunt, eos sanctos ac mundos esse oportere, ac mortuum quodammodo extinctumque animi sensum, & virtutibus minime spirantem, fortiter depellendum esse planum fecit his verbis, [Loquere ad Sacerdotes filios Aaron, & dices ad eos, In animabus non polluentur in gente ipsorum, nisi in propinquo, qui proximus est eis, super patre & super matre, & super filiis & filiabus, super fratre & super sorore virgine, quæ proxime illum attingit, neque collocata est viro: in his polluetur. Non polluetur statim in populo suo in profanationem suam. Ad caluitium non radetis caput super mortuo; & aspectum barbæ non radent, & super carnes suas non secabunt sectiones. Sancti erunt Deo suo, & non profanabunt nomen Dei sui: hostias enim Domino, oblationes Deo suo ipsi offerunt, & erunt sancti.] Maculam quidem homini nullam *Leuit. 21.* D prorsus mors alterius hominis affert, si veram rationem exquiras; sed mors tamen corporis figura est illius mortis intimæ, cum animæ intereunt; qua inquinari eum necesse est, qui vel voluntatis coniunctione, vel factorum similitudine propinquus fuerit: à mortuis enim operibus abscedere, & quam longissime disiunctos esse, sanctorũ hominum dignitas postulat; expeditq. cum illis minime congredi, qui eiusmodi morbis affecti sunt: scriptum est enim, [Qui tangit picem, inquinabitur.] Perfacile enim aliquid de alterius vitio trahet, qui illius coniunctionem vitare noluerit. Dat tamen sanctificatis hominibus licentiam Lex, vt in patre ac matre, liberis quoque ac fratribus & iis, qui se proxime contingunt, sine culpa contaminentur, ad inanima cadauera propius accedentes; in quo naturæ veneratione criminum eorum, *Eccle. 13.*

quæ in

quæ in figura erant, minimam rationem habuit, ne, qui Dei intimi familiares A
eſſent, duri & ſuperbi & inhumani viderentur: cum præſertim Lex diſerte
Exo. 20. præcipiat, [Honora patrem tuum,& matrem tuam,vt bene ſit tibi.] Alio quoque modo ac ratione ſanctificatis hominibus interdictum eſſe luctum dicimus: nam, quia vitæ ſacri adminiſtri erant, & ad mortem diſſoluendam Deo ſacrificia offerebant, (mortis namque diſſolutio eſt Chriſti mors, quibus ac bobus figurata,) qui conſequens fuiſſet, vt luctu ex morte ſuſcepto premerentur? Sic beatus Paulus ad eos, qui in ſpem vitæ ac reſurrectionis baptizati erant
1. Theſ. 5. in Chriſtum, ſcribit aperte, [Hoc autem dico, vt non contriſtemini, ſicut ceteri, qui ſpem non habent: ſi enim credimus,quod Ieſus mortuus eſt,& reſurrexit; ita & Deus eos, qui dormierunt per Ieſum, adducet cum eo,] & nobiſcum exhibebit. Permiſit itaque Lex,vt ſanctificati homines ad eos,qui ſumma cognationis neceſſitudine cum ipſis iuncti eſſent, mortuos accederent. Sed huic rei modum imponit, neque redundantia officij id violari ſinit, quod illos B
maxime decet, ne auguſtus ille ſacerdotij honos minuatur: prohibet enim ad aliorum hominum ſimilitudinem tondere caput,& ad oris dedecus barbam radere,& nefaria illa gentilis inſaniæ facinora, illas inquam corporis inciſiones, vt ne in mentem quidem veniant præcipit: nam propinquis quidem iungi communione doloris,nihil abſurdi eſt;ſed ſe prorſus inhoneſte gerere,deforme & nō
1. Cor. 14. mediocris inſaniæ. [Omnia enim,inquit,honeſte,& ſecundum ordinem fiant.] Quinetiam Dei honorem ipſorum quoque parentum obſequio præferendū putare, ipſe Saluator iuſſit his verbis, [Qui amat patrem aut matrem pluſquam
Matth. 10 me, non eſt me dignus.] PALLAD. Recte eſt a te dictum. CYRILL. Sacerdotes igitur in mortuis minime inquinari præcipit: Sanctos autem cum profanis conuenire cohærereque minime poſſe, aliis quoque modis oſtendere volens,leges nobis nuptiales conſtituit, illico ſubiungens, ac de quouis ſacerdote dicens,] Vxorem fornicariā & profanatā non accipient, & mulierem eiectā a viro ſuo non ducet;quia ſanctus eſt Domino Deo ſuo,& ſanctifica his eū: C
Leuit. 21. dona Domini Dei veſtri ipſe offert,ſanctus erit, quia ſanctus ſum ego, qui ſanctifico eos.] Fornicaria igitur & inquinata mulier aperte turpi crimine laborat, & haud dubie damnabilis eſt,nec vero eiecta ac repudiata culpæ eſt prorſus expers;neque enim temere eſſet e domo coniugis expulſa. Opus eſt igitur,qui ad munus adeo auguſtū prouecti ſunt,non ab iis modo vitiis, quæ manifeſte aperteque damnantur, ſed etiam ab omni actione, cum qua vitij alicuius opinio & exiſtimatio parum honeſta,& multarum ſuſpicionum dedecus coniunctum eſt, abſtinere. Videntur etiam hæc verba Iudæorum Synagogæ calamitatem inſi-
Hiere. 3. nuare,quam,quia fornicata erat cum paſtoribus multis, vt ſcriptum eſt, Chriſtus ad ſpirituale conſortium non recepit, ille caſtiſſimus ſanctiſſimuſque ſacerdos,qui ſeipſum tamquam eximium quoddam donum pro nobis obtulit Patri, ille nobiſcum ſanctus ex humana natura, quamuis vniuerſas creaturas ipſe ſanctificet, vt pote qui ſit ex Deo, & ipſe Deus. Planiorem porro huius myſterij D
ſignificationem reddidit dicens, [Et filia ſacerdotis, ſi profanata fuerit, vt
Leuit. 21. fornicaretur, nomen patris ſui ipſa profanat, igni comburetur,] ignibus quippe data eſt, vt nefaria atque profana Iudæorum Synagoga cum ſcribarum atque phariſæorum decreta ſectaretur, & mandatis hominum totum animum addixiſſet. Itaque iure optimo in eam propheta dixit, [Quomodo facta es
Eſai. 1. meretrix, ciuitas fidelis Sion, plena iudicij?] Cum igitur fornicata eſſet, & ſupernum illum ſpiritualemque ſponſum omnino contempſiſſet, facta eſt cibus ignis. Ideoque acerbas illius cauſſa lacrymas profundens propheta Hiere-
Hiere. 11. mias inquit, [Oliuam pulchram, frondoſam ſpecie vocauit Dominus nomen tuum:

A tuum: ad vocem circumcisionis eius accensus est in ea ignis: magna tribulatio inte; inutiles facti sunt rami eius, & Dominus virtutum, qui plantauit te, locutus est in te mala.] Est igitur fornicationis spiritualis genus, a recta sententia desciscere, & doctoribus turpibus atque impiis adhærescere. PALLAD. Ita censeo. CYRILL. Ac superiorum quidem verborum figuræ obscuriores illæ sunt, neque valde in aliis certe sacerdotibus perspicuæ; sed in Aaron, qui Christi gerebat imaginem, quodammodo refulgent: ait enim iterum, [Et sacerdos magnus ex fratribus suis, cui fusum est super caput ex oleo vnctionis, & consummatus vt induatur vestibus, de capite suo cidarim seu mitram nō deponet, & vestes suas non scindet, & super omnem animam mortuam non ingredietur, super patrem suum, & super matrē suam nō inquinabitur, & de Sanctis suis non egredietur, & non profanabit nomen sanctificatum Dei sui: qnia sanctum oleum vnctionis Dei sui est super ipsum. Ego Dominus. Hic vxorem virginem ex genere suo ducet; viduam vero & eiectam & profanatam & fornicariam has non ducet, nisi virginem ex populo suo ducet vxorem, & non profanabit semen suum in populo suo. Ego Dominus, qui sanctifico eum.] Vides euidenter vt in figuris adhuc ipsum Emmanuelem etiam Christum, in Aaron appellatum: vnctus est enim Spiritu, vt Scripturæ tradunt; cum ipse perfectissimus esset sacerdos; ob eamq. caussam sacerdotij gloriā eiusmodi haberet, vt amittere non posset; Neque enim, inquit, ponet de capite suo cidarim, idest, habitum sacerdoralem non amittet: dictum est namque illi omnium Saluatori ac Liberatori, [Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.] [Et illi quidem plures facti sunt sacerdotes, eo quod morte prohiberentur permanere; hic autem, eo quod maneat in æternum, sempiternum habet sacerdotium: vnde & saluare in perpetuum potest accedentes per ipsum ad Deum;] C ita enim scripsit beatus Paulus. Igitur hoc ipsum, quod cidaris non ponebatur de capite, sacerdotij dignitatem nunquam ab eo remouendam significat. Quod si dicatur, Mitram non deponet, sempiternum ac firmum eius regnum optime intelligere poteris: mitra enim, quæ ad summam frontem aureum circulum habet, principatus est ac regni signum. Sed ne vestes quidem scindet, inquit: hoc quibusdam in mortuis facere moris est: id vero a Christo prorsus alienum; neque enim vllum ex morte dolorem pati vita potest; nihil enim prorsus illi mortuum est, sed ipsa est mortis dissolutio, & interitus euersio. Itaque ipse quondam Saluator obiurgauit eos, qui archisynagogi puellam deflebant, [Recedite, inquit, ne flete; non est enim mortua puella, sed dormit.] erat enim absurdū profecto lacrymas pro mortua puella profundere, cū adesset omnium vita, Christus nēpe. Quod si super Lazaro defleuit, ex beneuolentia id factū dicimus, & diuinæ fuisse benignitatis in nostris malis commiserationem; ipsius enim naturæ mortis tyrannide violatæ misericordia, permouebatur, illisque la- D crymis eadem ab illa ærumna liberabatur. PALLAD. Ita videtur. CYRILL. Nullo vero modo esse in Christo profani aliquid, oblique significatur in eo quod dicitur, recedendum esse summo sacerdoti a funere, neque eum ad vllum omnino morruum accedere debere, posthabendamque in hac parte illam in patrem & matrem ac fratres obseruantiam. Vide autem quam prudens fuerit ipsa Lex, quamque aptum his sentētiis decorum minime paruipenderit: in aliis enim sacerdotibns, naturæ verecundia commouebatur, permittebatque sanctificatis sacerdotibus, in mortuis, qui summa ipsis propinquitate atque cognatione iuncti essent, sine vlla criminis nota consuetudinem sequi; & ne quid in vmbram peccati admitteretur, non valde laborabat: eæ namque culpæ describebantur, quæ ad nos spectarent, figuraque illa ad homines pertinebat

Marginal notes: *Leuit. 21.* — *Psal. 109.* — *Heb. 7.* — *Exod. 28.* — *Matth. 9.* — *Luca 8.* — *Ioan. 11.*

Iacob.3. nebat, quibus nihil mirum, si quid maculæ sit adiunctum, [In multis enim A delinquimus omnes;] naturaque ipsa in nobis delinquendi morbo laborat. At vero in summo sacerdote, idest Christo, seruata est etiã in ipsa figura pura, integraque maiestas, & illa in vmbris ipsis quoque sinceritas, vt ne pulchritudo veritatis tamquam violata corrumperetur: alienus est enim ab impuritate Christus, & peccati prorsus ignarus, & ab omni contaminatione remotus, immo vero splendoris atque puritatis cognitor, & in summa sanctificatione positus, eiusque rei præstantia nunquam in eo euanescit, quod naturalium legum firmitate fixus sit, & semper in eodem statu eodemq. modo permaneat. Id vero illa verba indicant, [De Sanctis non egredietur, & non profanabit sanctificationem Dei sui.] Feminam quoque sibi virginem ad cõnubij societatem iungere debere, aperte testatur: eiectam vero ad coniugium ineptam esse decernit. Eaque figura est Iudæorum Synagogæ; nam ab eius coniunctione illa

Osee.2. repulsa est, de qua per prophetæ vocem dicit, [Quia ipsa non vxor mea, & B ego non vir eius:] despondit autem Paulus Christo Ecclesiam ex gentibus

2.Cor.11. virginem castam, maculæ ac rugarum expertem, immo vero sanctam & immaculatam. Atque hæc quidem ratione, tum de Ecclesia ex gentibus collecta, tum vero de matre Iudæorum verum esse hoc ænigma comprobatur: neque ea figura parum elegans est. Sed, si cui placeat proprie ad vnumquemque hominem harũ sententiarum vim accõmodare, dicimus Christum cum profanis atque impiis animis non posse coniungi, sed cum castissimis atque purissimis tamquam cum virginibus versari spiritualiter, easque fecundas reddere, ac si-

Matth.7. bi genere iunctas appellare. [Quicunque enim, inquit, fecerit voluntatem patris mei, qui in cælis est, ille meus frater & soror & mater est.] PALL. Recte dicis. CYRILL. Quales igitur electos ad sacerdotium esse oporteat, quæve illis rite facienda sint, & a quibus rebus remotos esse conueniat, perspicue sanxit. Sed erat præterea sapientis, modum quoque, quo sacrificandum C esset, aperte pronunciare, tum sacrificiorũ genera & quicquid ad sacra facienda pertineret, legibus moderari atque præscribere, vt id muneris sine culpa exequi possent, atque ita gratissimum Deo cultum exhiberent. Igitur ante alia:

Exo. 20. [Non ascendes, inquit, per gradus ad altare meum, ne reueles turpitudinem tuam in ipso.] Sed qua ratione id fieri potuerit, dicet aliquis continuo, cum ex

Exod. 28. lino confecta femoralia sacerdotibus tribuerit, vt operiant, inquit, turpitudinem carnis suæ: vt igitur maxime illis in sublime conscendendum fuisset, nihil tamen eis illa res offecisset, cum turpitudinem circumtectam haberent: quorsum ergo Legem spectare dicimus? Idolorum cultoribus præclarum ac necessarium videbatur in editioribus delubrorum partibus altaria figere, neque illis valde curæ erat satis ne honeste circumtecti essent. Apte itaque Lex ab eo, quod illis accidere consueuit, Dei sacerdotes corrigit, atque ad meliorem ritum transfert, & a figura ad intelligentiam spiritualem ducit; Non enim, in- D quit, per gradus ascendes ad altare meum, ne detegas turpitudinem tuam in ipso; idest, Dei sacerdos, qui ad meum cultum exhibendum sanctificatus est, hu-

Eccl.3. milia sectetur, non in sublime conscendat; caueat arrogantiam, ne turpis videatur ac deformis: deformis namque sane ac turpis est morbusq. periculosissimus animi sensus supra modum elatus. [Quanto enim maior es, inquit, tanto humilia te ipsum, & ante Dominum inuenies gratiam:] scribit etiam ille Saluato-

Iac.1. ris discipulus, [Glorietur frater humilis in sublimitate sua, diues autem in humilitate sua.] Transibit enim æque ac fenum, neque vllo modo a floribus, qui sunt in agris, differt. PALLAD. Assentior. CYRILL. Ab elatione igitur ac superbia remotum esse oportere sacerdotem dixit. Quo etiam ritu sacrificium

A ficium Legi maxime consentaneum, & omni reprehensione vacans facere deberet, perspicue cognosces; scriptum est enim in Leuitico, [Et locutus est Dominus ad Moysen dicens, Præcipe Aaron & filiis eius dicens, Hæc est lex holocausti; hæc est holocaurosis super incensionē eius super altari totam noctem vsque mane, & ignis altaris ardebit super illud, non extinguetur; & induetur sacerdos tunica linea, & femoralibus lineis induetur circa corpus suum, & auferet exustionem, quam consumpserit ignis, illam incensionem ab altari, & apponet eam prope altare, & exuet se stola sua, & induet stolam aliam, & educet exustionem extra castra in locum mūdum: & ignis in altari ardebit in ipso, & non extinguetur: & exuret sacerdos ligna mane mane, & stipabit super illud holocaustum, & imponet super illo adipem salutaris, & ignis perpetuo ardebit super altari, non extinguetur.] Iugis erat igitur atque perpetuus ignis in altari, neque alienus aut extrinsecus acceptus, sed eiusdem altaris, idest, superne *Leuit.6.*

B & cælitus datus. Id vero quid est? plenum est quippe Dei gloria sanctum altare nostrum: ignis vero species diuinam illam & ineffabilem naturam refert. Videntur autem hæc verba mysticum quiddā insinuare. P A L L A D. Quale tandem istud est, quod ais? C Y R I L L. Quid? nonne illud diuinum altare in figura ipsum Emmanuel esse dicebamus, per quem ad Deum & Patrem accedimus, cultum illi rationalem exhibentes, ac propemodum odores virtutum sanctificationemque euangelicæ conuersationis adolentes? [Exhibete enim, inquit, corpora vestra hostiam viuentem, sanctam, placentem Deo, rationabile obsequium vestrum.] P A L L A D. Dicebamus vero; namque memoria teneo. C Y R I L L. Vide igitur quemadmodū demissum in altare cælitus ignem extingui, aut languescentē velut abscedere nō permittit, sed prouidet, vt in eo perpetuo maneat, & indesinenter habitet. Testatus est autem beatus quoque Baptista Ioannes de Christo, [Quia vidi Spiritum descendentem de *Rom.12.* *Ioan.1.*

C cælo in columbæ specie, & mansit super eum: Et ego, inquit, nesciebam eum: sed, qui misit me baptizare, ille mihi dixit, Super quem videris Spiritū descendentem de cælo, & manentem super eū, ille est, qui baptizat in Spiritu sancto:] figurabatur itaq. vt in vmbris adhuc in ignis specie Spiritus sanctus descēdens in Christum, & perpetuo super eum permanens: nullo enim pacto aut sopitum esse aut deficere altaris ignem fas est. Spiritū porro ignis naturæ persimilem esse, fidem facit idem beatus Baptista, Iudæorum populis dicens, [Ego baptizo in aqua, medius autem vestrum stetit, quem vos nescitis; ille est, qui post me venit, cuius non sum dignus vt soluam eius corigiam calciamenti:] ac subiūgit, [Ipse vos baptizabit in Spiritu sancto & igni.] neq. enim igni sensibili baptizati sumus, sed Spiritu sancto, qui maculas animarum ignis instar absumit: ideoq; de Christo scriptū est [Ecce ipse ingreditur quasi ignis cōflatorij, & quasi herba lauantium; & sedebit conflans & purgans sicut argentum, & sicut aurum.] Non *Malach.1.*

D igitur extinguitur altaris ignis; manet enim in Christo Spiritus sanctus, etsi secundum naturā in eo inest, qua parte intelligitur & est Deus: dixit etiam Lex proprium esse altaris ignem; quamuis enim ille Vnigenitus homo sit factus, & ex eo habitu, qui naturæ humanæ conuenit, Spiritus fuisse particeps dicatur; at certe ipsius & in ipso & eius proprius est reuera Spiritus. Quod si quis velit huius loci expositionē ad vnumquemq. deriuare, qui per fidem in Christo sanctificatus sit, vt is etiā diuinum altare intelligatur, perutilis est expositio: decet enim sacros viros, qui Christo suam vitam dicarint, calere ac feruere Spiritu, idq. perpetuo, non per terrenas voluptates ad extinctionem atq. interitū delabi, sed potius per sanctificationē animum ad Dei amorē appetitionemq. virtutis exsuscitare. Hic est enim cultus rationalis ritus. Atque hæc quidē est altaris explicatio

plicatio. Ceterum præceptum quoddam adiungit, quod ex ipsa historia nonni A
hil vtilitatis habet, nam cinerem non ab alio quopiam alienigena, seu ex alia tribu, sed eorum, qui sanctificati erant ministerio efferendum esse inquit. Animaduerte autem quemadmodum Lex nihil, quod ad diuinum cultū pertineat, exiguum existimare permittat, aut eiusmodi, quod sacerdotali opera sit indignum, ita vt ad alium profanum hominem id munus deferatur: neq. enim profanis hominibus in Sancta ingredi licet, ipsum quoque Dei altare contingere nefas est. Quinetiam vt intelligerent qui ad sacerdotium electi erant, quanta esset diuini illius altaris sanctitatis excellentia, ipsis quoque sacerdotalibus vestibus venerationem adiungit. Sacris namque vestibus indutos extra tabernaculum videri, sapiēti moderatione minime permittit; Ne sanctificatæ res, inquit, si ad impuros homines accesserint, contracta ex alienis labe sancti tabernaculi venerationem imminuant. Eam ob caussam sacerdotali ritu vestitos cinerem comportare sinit quidem; sed, dum foras efferunt, & de sanctis locis B
exeunt, mutare vestem iubet. Simile quiddam huic per Ezechielis vocē præ-
Ezech. 42. cepit; sic autem is scribit, [Et dixit ad me, Exedræ, quæ sunt ad Aquilonem, & exedræ, quæ sunt ad Austrum, quæ sunt contra faciem distantiarum, hæ sunt exedræ sanctuarij, in quibus edent sacerdotes filij Sadduc, qui appropinquāt ad Dominum in Sancta sanctorum, & ibi ponent Sancta sanctorum, & hostiam, & quæ offeruntur pro peccato, & quæ pro ignorantia; quia locus sanctus est, non ingredientur eo nisi sacerdotes, nō egredientur ex atrio sanctuarij in atriū exterius, vt perpetuo sancti sint, qui offerunt, & non contingant vestes eorum, in quibus ministrant, quia sanctæ sunt; & induent vestes alias, cum contingent populum.] Sanctæ sunt igitur sacerdotum etiam ipsæ vestes, neq. vulgo miscendæ. Nocte autem ac die crematur holocaustum; neque enim vnquam cessat ille Christi bonus odor; & ipsa vita sanctorum, si in ritu holocausti intelligatur, bonum odorem habere nunquam desinit; Christum enim redolent, dum fa- C
ctorum gloriam, quæ ex euangelica conuersatione proficiscitur, Deo sacrificant. PALLAD. Vera dicis. CYRILL. Quinam ergo sit holocausti ritus, ex iis, quæ diximus, minime est obscurum. De ritu vero sacrificij, quo
Leuit. 6. nam is modo recte peragatur, præcipit dicens, [Hæc est lex sacrificij, quod offerent filij Aaron coram Domino ante altare: & auferet ex eo pugillum, a simila sacrificij cū oleo eius, & cum vniuerso illius ture, quæ sunt super sacrificium: & imponet super altare, cremationem in odorē suauitatis, memoriale eius Domino: quod vero reliquum ex eo fuerit, comedet Aaron & filij eius: azyma comedentur in loco sancto; in atrio tabernaculi testimonij edent illud; non coquetur fermentatum; in partem illud dedi eis a cremationibus Domini: quisquis tetigerit ea, sanctificabitur.] Holocausta quidem vitam egregiorum sanctorum integre quodammodo, & ex omni parte Deo dicatam insinuant. Sacrificium vero illam alteram ex parte sanctam, & Deo subiectam vitam, cuius elegans fi- D
gura est illa simila pugillo sacerdotis oblata cū oleo ac ture: vitam enim Deo dicatam, licet ex parte fortassis, odoratam tamen certe, & spei nitore opimam esse oportet. Quid enim? non omne nostrum recte factum odoratissimum esse fateris? PALLAD. Maxime vero. CYRILL. Quid præterea non ne id a nobis fit spe optima? PALLAD. Certe: prorsus enim a Deo promissa præmia consequentur. CYRILL. Tus igitur ac simila oleo madens odoratā illam nitidamq. vitam innuunt. PALLAD. Recte ais. Sed quænam agi a nobis vita ex parte sancta potest? CYRILL. Illa certe, quæ neq. ad summum fastigium sanctæ conuersationis peruenit, aut semitam longe sublimem ingreditur, qualis illa Ioannis vita vel sanctorum apostolorum fuit; neque tamen, quia

A quia a præstantiore vitæ genere vincitur, ideo veneratione caret. An vero eorum vita, qui in sæculo versantur, ac liberos procreant, si laudabiliter viuere student, non est quodammodo Deo mundoque diuisa, vt beati Pauli voce vtar? PALLAD. Diuisa certe: cur enim negem? CYRILL. Igitur eius vitæ, quæ non ex omni parte sit Deo dicata, sed media quodammodo, & in vtramque partem spectans, figura erat illa similæ ex quadam parte consecratio, quæ odorem haberet, & hilaritatem; quam etiam in memoriam eius fore Lex ait, qui illam per sacerdotale ministerium obtulisset: consequemur enim profecto, vt Deo in memoria simus per ea, quæ offerentes adolemus, cum Christus mediator sit, Deoque offerat tum eum, qui omni ex parte sanctus est, tamquam holocaustum; tum vero eum etiam, qui non ex toto eiusmodi est, vtpote qui sit mundo diuisus, tamquam sacrificiũ quoddam ex parte dicatum. Est autem sacrificium sine fermento: decet enim, quicquid a nobis fit, id sincere 1.Cor.7.

B ad Dei gloriam fieri. Itaque Saluator cauere iussit, ne in mediis plateis stantes oremus, neue in ieiunio tristitiam præferamus; aut dum in fratres misericordiam impendimus, turpiter tuba canamus: id enim fermentum est, quo sacrificia profanantur; quod autem ad gloriam Dei fit, id a crimine hominibus placendi remotum esse conuenit: ita enim infermentatum plane sacrificium ac sacrum erit. Reliquiæ porro sacrificij in partem atque in cibum sacerdotibus tribuuntur; eisque omne masculinum vescitur in loco sancto. Atque in eo quidem, quod sacrificia in sancto loco a sacerdotibus absumuntur, mysticis nostris atque secretioribus prædicationibus veneratio seruatur. Quod autem omnis masculus vescitur, id vero eleganter significat, in iis, qui a Deo electi sint, turpem esse ac nefariam plane mollitiem: ea namque profanum reddit hominem, & excludit a spirituali benedictione, eorumq. bonorũ, quæ a Deo sanctis Matth.6.

C viris tributa sunt expertem reddit. Ad mollitiem vero etiam Iudas est lapsus, cum ad turpis lucri cupiditatem declinauit: id autem ex cogitatione parum virili ac forti extitit: ob eamque caussam a bonis illis degustandis, quæ a Deo concessa sunt exclusus, munerum, quæ sanctis proprie sunt attributa expers omnino fuit. PALLAD. Ita se res habet. CYRILL. Ac de sacrificio quidem, quod a multitudine offertur, hæc est constituta lex. Ceterum alium ritum offerendi generi sacro constituit, dicens, [Hoc est donum Aaron & filiorum eius, quod offerent Domino die, qua vnxeris eum; decimam partem Ephi similæ in sacrificium perpetuo; dimidium eius mane, & dimidium eius vesperi, in sartagine in oleo fiet: conspersam afferet eam, fresa sacrificium de fragmentis, sacrificium in odorem suauitatis Domino; sacerdos vnctus, qui pro illo est ex filiis eius, faciet illud; lex sempiterna, totum consummabitur: & omne sacrificium sacerdotis holocaustum erit, & non edetur.] Vide igitur, Palladi, Legis diligentiam, subtilemq. animaduersionem, qua sacerdotibus cauet: Leuit. 6.

D nam, quia sacrificia, quæ homines e multitudine præberent, non tota incendi iussit, vtpote quorum vita non omni ex parte sancta esset; sed quodammodo Deo ac mundo diuisa; vt eos, qui ad sacerdotium electi essent, vt æquum erat distingueret, & in superiori ordine collocaret, sacrificium quod pro illis fieret, totum cremare, oblatamque similam mane ac vesperi, idest, quotidie & omni tempore Deo incendere iussit: nam, qui electus ad sacerdotium est, semper fere sanctus est, neque vnquam bonũ illum odorem spiritualem nimirum, redolere desinit; neque est vt quidam Deo ac mundo diuisus, sed assidue, atque indiuidue totus ex omni parte Domino suo adhæret, ac propemodum clamat, [Cum Christo simul cruci confixus sum; viuo autem non iam ego, viuit vero in me Christus.] Decima igitur similæ vitæ signum est, per omne tempus bonum oderem Galat.2.

Deo redolentis. Porro, In ſartagine, inquit, frixam; & oleo conſperſam, & ex A
fragmentis offeret eam: quibus in verbis per ænigma nobis indicatur, in ſartagine quidem laborum perpeſſio; in eo vero quod conſperſa eſt oleo ſimila, hilaritatis redundantia; in eo denique, quod ex fragmentis offertur, ſanctorum virorum cordis quodammodo tenerirudo, atque eiuſmodi mollitudo, vt frangi facile poſſit: illi enim vitæ, quæ eſt ex omni parte atque plene ſancta, laborum perpeſſio, & ſpes apud Deum ampliſſima, & tenera quædam ac mollis affectio coniuncta eſt: nam durities certe illi minime conuenit: ſcriptum eſt enim,
Pſal. 50. [Cor contritum & humiliatum Deus non deſpicit:] obduruit contra vt lapis,
Iob. 41. & vt incus minime ductilis Diaboli cor; ſic enim ſacræ litteræ tradunt. Porrigitur autem hæc lex in ſempiternum, & per ſacerdotum ſucceſſiones perficitur; nam ſectari maiorum laudes oportet, & imitatores eſſe parentum gloriæ illorum in Deo colendo veſtigia perſequentes, odoremque Deo gratiſſimum non ex parte, ſed plene offerentes: id enim, vt opinor, eſt, Omne ſacrificium ſacerdotis holocauſtum erit. PALLAD. Nos ipſos igitur offeremus, & in odorem ſuauitatis conſecrabimus Deo, & ſanctorum hominum vitæ veſtigia perſequemur, illorumque ſacrificia nimirum ſpiritualia imitabimur. CYRILL. B
Prorſus ita eſt, Palladi. Sed eluere maculas, peccatumque vitare, non aliter quemquam poſſe, niſi per Chriſtum ſolum, in quo & per quem omnis fit purgatio, cum ſalutarem illam pro nobis mortem pertulerit, intelligere cuiuis licet, ne longius abeam ex proximo atque coniuncto Legis decreto, quod ſic ſe
Leuit. 6. habet, [Et locutus eſt Dominus ad Moyſen dicens, Loquere Aaron & filiis eius dicens, Hæc eſt lex peccati: in loco vbi immolabunt holocauſtum, immolabunt etiam pro peccato coram Domino: ſancta ſanctorum ſunt. Sacerdos qui offert illud, veſcetur eo: in ſancto loco edetur, in atrio tabernaculi teſtimonij: & quiſquis tetigerit de carnibus eius, ſanctificabitur: & cuicunque aſperſum fuerit de ſanguine eius ſuper veſtem, in qua aſperſus fuerit ſuper eam, lauabitur C
in loco ſancto; & vas fictile, in quo coctum fuerit, conteretur; quod ſi in vaſe æneo coctum fuerit, defricabit illud, & lauabit aqua: & omnis maſculus in ſacerdotibus comedet ea: ſancta ſanctorum ſunt Domino.] Victima igitur pro peccato nulla eſt alia præter illum Emmanuel, qui eſt agnus verus, qui tollit peccatum mundi. Immolatur autem in loco holocauſti: neque enim ex parte & noſtro modo Chriſtus eſt ſanctus; non enim peccatum fecit, ſed totus odorem
Eſai. 53. ſuauitatis redolet, ac ſacer eſt, ceteriſque omnibus ſanctitatis ſuppeditator. Licet enim inter ſceleratos reputatus fuerit, & inter dānatos ex diſpenſatione numeratus; at nouit tamen ſanctam eſſe ac ſacram Filij mortem Pater; ideoque
Leuit. 6. ait, [In loco vbi immolauerint holocauſtum, immolabunt etiam pro peccato: ſancta ſanctorum ſunt.] Vt enim Filius Deus Deorum eſt, ita ſanctus ſanctorum, vniuerſamq. creaturam ſuo ipſe ſpiritu ſanctificat, qua parte ex Patre extitit, & eſt vere Deus. Edet præterea hoſtiam, inquit, ſacerdos, qui offert eam: D
vnuſquiſq. enim, qui ad ſacrum cultum exhibendū prouectus fuerit, laborum ſuorum fructus decerpet, retributionemq. ſui miniſterii metet. Reliquiæ quoq. victimæ in ſacris locis, & in atrio tabernaculi eduntur; offeruntur enim in Eccleſiis myſteria, ibidemque genus illud electum ſancta Chriſti menſa dignatur; locus vero, in quo legitimus ſacerdos munere ſacro fungitur, ſanctus eſt. Sanctificat autem hoſtia eum, qui ſe contigerit, & ſanguinis itidem aſperſio, accedimus enim ad ſancta non alia de cauſſa, quam vt per ineffabilem ac ſpiritualem hoſtiam Chriſtum ſanctum participemus. Abluuntur præterea vaſa, quorum in ſacrificiis vſus fuerit, ne ad quemuis alium perueniant; neue ea, quibus in ſacris miniſteriis opus fuerit, hominum vſibus ſubiiciantur;

retenta

A retenta est autem ea lex, & seruatur in Ecclesijs. Denique, qui se viriliter gerunt, eos decere benedici, planum itidem facit cum ait, Omnis masculus in sacerdotibus vescetur illis. PALLAD. Perspicue dictum est. CYRILL. Constituit præterea quomodo rite sacrificium pro peccato fiat, quibusue eius partibus vesci ministris liceat, quæ sint rursus præcipue in odorem suauitatis exemptæ: sic enim scriptum est, [Et omnia, inquit, pro peccato ex quibus illatum fuerit de sanguine eorum in tabernaculum testimonij ad propitiandum in loco sancto, non edentur, igni cremabuntur: & hæc lex arietis pro delicto: sancta sanctorum sunt; in loco in quo immolabunt holocausta, immolabunt arietem pro delicto coram Domino, & sanguinem profundet ad basim altaris in circuitu, & omnem adipem eius offeret ab ipso, & lumbos, & omnem adipem, qui operit intestina, & omnem adipem, qui est super intestina, & duos renes, & adipem, qui super eos est, qui est super lumbos, & Leuit. 6.
B pinnam, quæ est super iecur cum renibus auferes ea, & offeret ea sacerdos super altare, incensionem odorem suauitatis Domino: pro delicto est: omnis masculus ex sacerdotibus edet ea: in loco sancto edent ea: sancta sanctorum sunt: sicut pro peccato sic etiam pro delicto: lex vna ipsis erit: sacerdos, qui propitiabitur in eo, ipsius erit.] Prohibet quidem, ne vescantur sacrificiorum interaneis; Soli namque Deo, inquit, consecranda sunt, ipsique offerenda: hoc enim, vt opinor, significant ea verba, Igni comburentur, hoc est, soli diuinæ & omnium excellentissimæ naturæ, cuius figuram gerit ignis, dicata attributaque sint. Immolato autem ariete pro delicto, effunditur sanguis ad basim altaris: mors enim Christi sancta sacraque est, atque etiam suauem odorem redolet: interanea quippe offeruntur, adeps & renes & pinna iecoris: hæc autem, vt alibi dixi, figuram virtutis habent minime simplicis, sed mul-
C tiformis: plurima namque sane sunt genera virtutis. In Christo igitur iustificati sumus, qui pro nobis mortem pertulit, & se ipsum Deo & Patri obtulit in odorem suauitatis. Ceterum non sine mercede nos Deo ministraturos, deinceps continuo declarat, dicens, [Et sacerdos, qui offert holocausta hominis, pellis holocausti, quod offert, ipsius erit.] Quinetiam omne sacrificium, inquit, quod fiet in craticula vel in sartagine, sacerdotis eam offerentis erit: & omne sacrificium oleo conspersum, & non conspersum, omnibus filijs Aaron erit; vnicuique pars æqua. seruatur & hæc lex in Ecclesiis; præscribitque sacerdotibus æqualitatem, dum incruenti sacrificij partem cuique sine vlla differentia distribuit: quod cum intelligeret Paulus, scribit, Sic & Dominus præcepit eos, qui altari præsto sunt, ex altari viuere; qui etiam offerunt hostias, participes sunt altaris, vt ipse idem profecto dicit. PALLAD. Sic se res habet. CYRILL. Moderatur deinde laudis quoque sacrificium, & quomodo fieri debeat tradit, dicens, [Hæc est lex sacrificij salutaris, quod of- Leuit. 6. 1. Cor. 9. 1. Cor. 10. Leuit. 7.
D ferent Domino; si quidem pro laude offerat illud, offeret super sacrificium laudis panes sex similæ conspersos oleo, & lagana azyma peruncta oleo, & similam subactam oleo: in panibus fermentatis offeret dona sua super sacrificium laudis salutaris: & offeret ex omnibus donis suis separationem Domino: sacerdotis, qui effundit sanguinem salutaris, ipsius erunt, & carnes hostiæ salutaris ipsius erunt; & die quo offeruntur, comedentur; non relinquent de ipso in mane.] Panibus fermentatis laudis sacrificium fieri præcepit, quamuis plane atque euidenter alibi præcepisset,] Omne fermentum, & omne mel non offeretis domino Deo vestro: donum primitiarum offeretis ipsa Domino; super altare autem non imponentur in odorem suauitatis Domino.] An vero, Palladi, in his rebus inquirendis curiositatem minime esse vtilem putas? PAL- Leu. 2.

LAD. Vtilem certe. CYRILL. Quinam sit igitur huius dispositionis modus, age iam dicamus, & quoad fieri potest, diligentissime perquiramus, ac semitam occultam ingrediamur. Beatus itaque Dauid, cum spirituali perso- A
Psal. 115. naret lyra, verbis cum Lege congruentissimis, [Calicem, inquit, salutaris accipiam, & nomen Domini inuocabo;] laudis videlicet ostiam, Calicem salutaris, perspicuis verbis appellans. Offerimus nos ipsi quoque laudem frequenti multitudine quidem in Ecclesiis, in vnitatem spiritus, & in vnum velu-
Act. 4. ti corpus & animam vnam collecti per fidem; scriptum est enim, [Multitudinis autem credentium erat cor vnum, & anima vna.] Sæpe vero Deum glorificandi munus, domi quiescentes, explemus, tum interdiu tum de nocte: idque probis viris in more positum est, An verum non est, quod dico? PALLAD. Quis neget? CYRILL. Sed siue in Ecclesiis frequenti cœtu id sacrificium a nobis offeratur, siue aliis in locis fiat a singulis fortasse, vel duobus vel tribus aut etiam pluribus, nullo discrimine omnes adstant, quicunque hymnum dicere B consueuerunt, & eius rei gratia conuenerunt: simul enim cum iis, qui sancto baptismate purificati sunt, offert hoc sacrificium is quoque, qui adhuc est catechumenus. At, vbi cum perfectis iunctus, laudē obtulerit, a mysteriis sacratioribus abscedit, & a Christi sacrificio arcetur. Itaque recte Lex hanc dispositionem ante prædicauit, & sacrificium laudis fermentatis panibus & laganis azymis fieri præcepit. Singula autem, quæ dicta sunt, vt ego existimo, vitæ genus quoddam significant: panis enim fermentatus vitæ figuram tenet, quæ nondum sancto baptismate sit purgata, neque prorsus a sæculari impuritate remota. Laganum vero azymum illius, quæ abluta in Christo est per fidem, hominum dico, qui iam perfecti initiatique sunt, quos beatus Paulus alloquebatur dicens, [Ita-
1. Cor. 5. que epulemur, non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ & nequitiæ, sed in azymis sinceritatis & veritatis.] Et iterum, [Expurgate igitur vetus fermentum, vt sitis noua conspersio, sicut estis azymi.] PALLAD. C Optime dixisti. CYRILL. Ad hæc simila nondum in vnitatem coacta, vt in pane ac lagano verbigratia, sed adhuc quodammodo in minuto puluere manens, eos qui singillatim ac priuatim laudem offerunt, insinuat: accepti namque sumus Deo, cum illi glorificationem exhibemus, & priuatim singuli, & in vnum omnes collecti ac frequentes. Infunditur etiam oleum in hostiam laudis, eius facti lætitiam hilaritatemque declarans, & significans (quod omni-
Psal. 49. no sequi necesse est) fore vt, qui illam offerre consueuerint, a Deo misericordiam consequantur. [Sacrifica, enim ait, sacrificium laudis, & redde Altis-
Iac. 5. simo vota tua: & inuoca me in die tribulationis tuæ, & eruam te, & golrificabis me.] Scribit etiam ille Christi discipulus, [Tristatur quis ex vobis? oret: æquo animo est? psallat.] Igitur panibus fermentatis, & azymis laganis, & similæ puluisculis fieri sacrificium laudis aperte præcepit: quibus singulis oblatis, ac similæ quoque, quantum vno pugillo comprehendi potest, immolataque D oue, & intestinis ex Legis præscripto incensis, reliqua ad sacerdotum cibum pertinere, vt non infructuosum esse sacerdotium Lex ostendat, his verbis decernit, In quo die offertur, comedetur: nō relinquat de eo in mane. Ex quo mihi illud intelligere in mentē venit; vbi hoc tempus effluxerit, præterieritq. præsens sæculum tamquā dies, modū alium glorificandi Deū præter eos, quos nouimus, a nobis excogitandum. Vt enim iij, qui in Lege erant, Pharaonis dominatu libe-
Exod. 15. rati summa cum lætitia dicebant, [Cantemus Domino, gloriose enim glorificatus est, equum & ascensorem proiecit in mare. Sed, cum clariora fore, & infinitis partibus præstantiora, quæ Saluator noster in suo aduentu præclare gesturus esset, quidam sancti homines in spiritu præuiderent, clamauerunt,

[Cantate

A [Cantate Domino canticum nouum ;] id autem erat, [Ascendit Deus in iubilatione,] inferis iam expoliatis, cum iam dixisset iis, qui in vinculis erant, Exite ; & iis, qui in tenebris, Reuelamini ; ita, vt opinor, cum destructa erit mors, dissolutumque penitus peccatum, laudis genus erit tempori illi conueniens ; de maioribus enim beneficiis illum laudabimus : cumque bona illa, quæ omnem sensum ac sermonem superant, consecuti erimus, Christum omnium bonorum largitorem vna cum Deo ac Patre laudibus exornabimus ; [Siue enim prophetiæ euacuabuntur, inquit, siue scientia cessabit, & nunc quidem ex parte cognoscimus : cum vero venerit id quod perfectum est, euacuabitur quod ex parte est.] Quin ipse quoque Christus profecto dixit, [Hæc in prouerbiis locutus sum vobis ; sed venit hora, cum iam non in prouerbiis loquar vobis, sed palam de Patre annunciabo vobis.] Quia igitur futura est in nobis tandem perfectior cognitio, multo etiam sublimius quam hoc tempore Psal. 97. Psal. 46. Esa. 49. 1. Cor. 13. Ioan. 16.

B laudaturi sumus. PALLAD. Credibilis sane oratio. CYRILL. Cum itaque suam cuique sacrificio regulam præscriptumque constituisset, & qua ratione fieret, plane edixisset, participem altaris efficit continuo sacerdotem : sic enim scriptum est, [Et dixit Dominus ad Aaron dicens, Tu & filij tui, & domus cognationis tuæ accipietis primitias sanctorum : & tu & filij tui accipietis peccata sacerdotij vestri :] cumque adiunxisset, oportere illos excitato vigilantique animo sacris studiis insistere, [Et ecce, inquit, ego dedi vobis custodiam primitiarum, quæ mihi sanctificata sunt a filiis Israel : tibi dedi ea in manus, & filiis tuis post te ; legitimum sempiternum : & hoc sit vobis ab sanctis, quæ sanctificata sunt, de cremationibus ab omnibus donis eorum, & ab omnibus sacrificiis eorum, & ab omnibus delictis, & ab omnibus peccatis, quæcunque do tibi ab omnibus sanctis, tibi erunt & filiis tuis : in sancto sanctorum comedetis ea : omne masculinum comedet, & tu & filij tui : Num. 18. Num. 18.

C sancta erunt tibi ; & erunt vobis primitiæ donorum eorum de omnibus impositionibus filiorum Israel : tibi dedi ea & filiis tuis, & filiabus tuis ; legitimum sempiternum : omnis mundus in domo tua edet ea. Omnes primitiæ olei, & omnes primitiæ vini & frumenti, primitiæ eorum quæcunque dederint Domino, tibi dedi ea : primitiæ omnes quæcunque fuerint in terra eorum, quæcunque obtulerint Domino tibi erunt. Omnis mundus in domo tua vescetur eis. Omne quod consecratur in filiis Israel, tibi erit ; & omne, quod aperit vuluam ab omni carne, quæ offerunt Domino, ab homine vsque ad pecus, tibi erunt : nisi quod pretio redimentur primogenita hominum ; & primogenita iumentorum immundorum redimes, & redemptio eius ab vno mense, æstimatio quinque siclorum erit iuxta siclum sanctum : (viginti oboli sunt :) excepto quod primogenita boum, & primogenita ouium, & primogenita caprarum non redimes : sancta sunt : & sanguinem ipsorum effundes ad altare : & adipem

D impones cremationem in odorem suauitatis Domino : & carnes erunt tibi sicut & pectusculum impositionis, & sicut armus dexter, tibi erit omnis separatio sanctorum ; quæcunque obtulerint filij Israel Domino, tibi dedi, & filiis tuis & filiabus tuis tecum ; legitimum sempiternum, pactum salis sempiterni est coram Domino tibi & semini tuo post te.] Igitur ex hoc quoque loco intelligis & quidem perspicue, omne sacrificij & oblationis genus illi sacro & electo generi apertissime tribuisse, & ab omni delicto, & ab omnibus peccatis, id est, sacrificia pro omni delicto & pro omni peccato : nam sacrificia pro peccato, peccata appellantur. Itaque Paulus quoque vir doctissimus, Legis voce in Christo est vsus, dicens, [Oramus pro Christo, reconciliamini Deo : eum enim, qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit.] Immolatus est 2. Cor. 5.

Esai.53. enim pro peccatis nostris Filius vt agnus innocens, vt Scripturæ tradunt. Fuisse autem sacrificiis, quæ pro peccatis nostris offerebantur, a Lege peccati nomen impositum, planum facit Deus, cum per prophetam de sacerdotibus dicit, [Peccata populi mei comedent,] id est, quæ pro peccatis populi mei offeruntur, ea cibus sacerdotum erunt. Igitur omnium sacrificiorum reliquias illis attribuit, & vt eis vescantur, iubet; Sed tamen in loco sancto, inquit, comedentur, & a omnibus masculis. Ac quæ sit eius rei ratio, dictum est a nobis. In iis vero, quæ proxime dicta sunt, frumenti & vini primitiæ, & primogenitorum redemptiones, & quæ consecrata fuissent, non solis masculis, neque in atrio sancto edere licet, sed in domo sacerdotis, & ipsis quoque filiabus, & cuiuis noto atque domestico ad fruendum proponuntur: estque ea distinctio obseruanda diligenter; nam reliquiæ sacrificiorum proprie ad vsum sanctificatorum hominum pertinent: neque vt communis cibus proponuntur; sanctusq. locus illis conuenit. Cum vero de iis agere cœpisset, quæcunque tamquam dona oblata essent, Ea, Inquit, secundum quodammodo locum obtinent, & vniuersæ sacerdotum familiæ proposita sunt, si modo mundus sit, id est, minime profanus, hoc est, iuxta Legis præscriptum quidem, si non incircuncisus, si non alienigena, non leprosus, non seminis fluxu laborans; sed iuxta nouæ scripturæ propositum, ecclesiasticamque censuram, si non a sacris alienus & infidelis, sed religiosus ac Dei amans: decet enim in primis eos, qui ad diuinum sacerdotium euecti sunt, vt illos sibi adiungere studeant, qui morum probitate sint ornati, & animum habeant diuini amoris plenum.

Osee.4.

Num.18.

B

Num. 18. Cum vero iis adiunxit, [Quia pactum salis sempiterni est ante Dominum tibi ac semini tuo tecum:] illud omnino seruari præcepit, quod alibi dixit, [Non *Leuit.2.* deficiet sal pacti Domini de sacrificiis vestris; in omni dono vestro offeretis domino Deo vestro sal.] Porro sale sacrificium aspergebatur: quæ figura significabat prudenter nos Deo dicare debere, curandumque esse nobis, vt noster ad eum accessus illi sit quamsuauissimus: neque enim sine sale panis editur, vt scriptum est. Dixit etiam suis discipulis Christus, [Vos estis sal terræ.] PALLAD. Recte ais. CYRILL. Leges igitur hæ sunt sanctificatis hominibus in ipsa functione sacerdotij seruandæ. Electis autem viris, & qui optimi iudicati sunt, fugiendam esse profanam consuetudinem, & curam sæcularem, quæ animum quoque bene firmum ebrium reddere potest, & ad absurdas voluptates propemodum deturbare, perspicuum facit in Leuitico *Leuit.10.* dicens, [Vinum & siceram non bibetis tu, & filij tui tecum, quando ingrediemini in tabernaculum testimonij, aut cum accedetis ad altare; & non moriemini: legitimum sempiternum in progenies vestras, vt distinguatis inter sancta & profana, & inter munda & immunda; & instruatis filios Israel omnia legitima, quæ locutus est Dominus ad eos per manum Moysi.] Vide igitur vigilandum illis esse; nam tenebris offusa mente & corde curis oppresso atque ex ebrietate sæculari laborante, (sunt enim, qui sine vino sint ebrij) ministerium sacrum attingere, mortis caussam affert: mens enim cum minus recte suo munere fungitur, ad deformitatem ac vitium tendit, ex quo sacra munera intercidunt, neque adhuc rite atque ordine res geruntur, sed a recto itinere deflectunt. Id autem quibus accidit, eos Deum offendere necesse est, & acerbas luere socordiæ pœnas. Vigilare igitur necesse est, ebrietatemque discutere ex sæculari solicitudine profectam: hoc ipsum facere ipse quoque Saluator hortatur dicens, *Luc.21.* [Attendite ne grauentur corda vestra cura & solicitudinibus sæcularibus.] Qualis autem a nobis præstandus sit sobrietatis modus, vel quomodo sacri ac puri & immunes a culpa manere possimus, illico significauit, [Vt distinguas, inquit,

Iob.6.

Matth.5.

C

D

A inquit, inter sanctum & profanum, & mundum & immundum; & instruas filios Israel omnia legitima, quæ locutus est Dominus in manu Moysi.] Hoc autem est aperte dicere, conuenire sacerdotibus, vt, ebrietate reiecta, ab hominibus non sanctis, sed profanis atque impuris recedant. Id autem perfacile, vt opinor, quiuis efficiet, si sacer ac mundus fuerit. [Omne enim animal, inquir, diligit simile sibi, & simili sibi sociabitur homo.] Adhæc sapientes eos esse oportet, & ad docendum idoneos: qui enim rationali gregi præest, is sobrius sit, & ad docendum instructus. Præclare autem, [Instrues,] inquir, idest, explanabis, vt audientes perspicere possint Legem esse pædagogum, & eloqui Christi mysterium: nihil enim difficile continet, aut in quo declaratione sit opus, nisi spiritualiter intelligatur; sunt enim historiæ verba sane simplicia, & ab obscuritatis vmbris longe remota. Eccli.13.

FINIS LIBRI DUODECIMI.




SANCTI



SANCTI CYRILLI ARCHIEPISCOPI ALEXANDRIAE

DE ADORATIONE IN SPIRITU ET VERITATE



LIBER TERTIVSDECIMVS.

Jtem de Sacerdotio.



DE sacerdotibus quidem, & de Aaron hæc a nobis interim dicta sufficiãt: ad ea vero, quæ dixi, illa adiici oportere puto, quæ de Leuitis constituta sunt, huicq. operi deesse videntur: sic enim præsenti disputationi satisfactum erit. PALLAD. Perge igitur, & ea plane, si placet, explica; quandoquidem recte existimas. CYRILL. Cum sacris muneribus optimum ordinem imponere vellet, summo sacerdoti subiicit ordinẽ leuiticum, aitq. in Numeris ad hunc modum, [Et ad Leuitas loqueris, & dices ad eos, Si acceperitis a filiis Israel decimã, quam dedi vobis in possessionẽ ab illis, demetis vos ab ea demptionem Domino, decimam a decima, & reputabuntur vobis demptiones vestræ vt frumentum ab area, & demptio a torculari. Sic demetis vos a demptionibus Domini ab omnibus decimis vestris, quæcunque acceperitis a filiis Israel, & dabitis ab eis demptionem Domino, Aaron sacerdoti: ab omnibus donis vestris demetis demptionem Domino, ab omnibus primitiis sanctificatum ab ipso. Et dices ad eos, Cum dempseritis primitias ab eo, reputabitur Leuitis tamquam prouentus ab area, & tamquam prouentus a torculari; & edetis illud in omni loco vos, & filij vestri, & domus vestræ, quia merces hæc vobis est pro ministeriis vestris in tabernaculo testimonij, nec sumetis propter illud peccatum, cum dempseritis primitias vestras: & sancta filiorum Israel non profanabitis, ne moriamini.] Vides Christi mysterium tamquam in vmbris adhuc, & in figuris præfulgere: nam, qui decimas capiebat, decimatus est, vt beatus Paulus ait. Sed tum quidem figura in Melchisedech seruata est; at vero Moysi temporibus vicissim in Aaron, qui in se ipso significabat illum Sacerdotum sacerdotem Christum, Principem, & Præsidem san-

Margin notes: A (at "De sacerdotibus"); Num. 18. (at "ticum, aitq."); B (at "acceperitis a filiis Israel"); Hebr. 7. (at "decimatus est").

A cti tabernaculi,hoceſt,Eccleſiæ,illum Sanctum ſanctorum, & Deum deorum, cui omnis oblatio a nobis debetur: ſcriptum eſt enim, [Omnes in circuitu eius afferent munera.] Sed adhuc in figuris erant illæ Moyſi obſeruationes, nunc autem ſinceri euangelicorum præceptorum obſeruatores ſpiritualibus oblationibus ſuum ipſorum Redemptorem exhilarant. P A L L A D. Recte ais. C Y R I L L. Eſſe autem ſelectum illud leuiticum genus,& ab alijs exemptum,huiuſmodi quadam ratione perſpicuum facit: enumerari iuſſit populum, & gregariæ multitudinis accuratam fieri ſupputationem, non quod eam ignoraret ille Conditor, (numeratas namque ille habet ſtillas pluuiæ, ſicut ſcriptum eſt) nec mentem illam immortalem aliquid latere poteſt; ſed, vt qui legerent diuinas litteras, apertiſſime intelligerent, eos,qui Deo dicati ſunt, & populus eius appellantur, in deſcriptionibus diuinis recenſeri, & in libro vitæ haberi, numerati que inter ipſius familiares, & iam in memoria illius omnium domi- *Pſal.75.* *Eccle. 1.*

B ni conſeruari. Igitur,cum populus deſcriberetur, ſeorſum quodammodo poſuit Deus illud ſacrum ſelectumque genus, neque in eodem cum alijs ordine haberi permiſit; ſed locum illi quodammodo præſtantiorem reſeruauit; cum Moyſi viro ſapientiſſimo dixit, [Vide tribum Leui, non ſimul recenſebis numerum ipſorum,& non ſumes in medio filiorum Iſrael.] Egregia namque ſors eſt ſanctorum, eorumque præmia præſtantiora; ac fortaſſe etiam in libris alijs deſcripti ſunt: neque enim vnum modo librum vidit beatus Daniel, ſed, vt ipſe ſcripſit, [Iudicium ſedit, & libri aperti ſunt.] Igitur pro vniuſcuiuſque mẽſuræ ratione fit deſcriptio. Eximitur autem quodammodo e cetera multitudine genus illud diuinis, ſacriſque miniſterijs dedicatum:ritum etiam ſacri muneris Leuitarum explicauit, dicens illico, [Accipe tribum Leui, & ſtatues eos coram Aaron ſacerdote,& miniſtrabunt ei, & cuſtodient cuſtodias eius,& cuſtodias filiorum Iſrael coram tabernaculo teſtimonij, ad facienda opera taber- *Num.2.* *Daniel.7.* *Num.3.*

C naculi teſtimonij; & cuſtodient omnia vaſa tabernaculi teſtimonij, & cuſtodias filiorum Iſrael ſecundum omnia opera tabernaculi: & dabis Leuitas Aaron fratri tuo,& filijs eius ſacerdotibus donum: dati hi mihi ſunt a filijs Iſrael: & Aaron, & filios eius conſtitues in tabernaculo teſtimonij, & cuſtodient ſacerdotium ſuum,& omnia,quæ ſunt altaris,& quæ ſunt intra velum: & alienigena, qui tetigerit, morietur.] Leuitæ igitur cooperatores quodãmodo atque adiutores ſacerdotibus dati ſunt; cuſtodient enim cuſtodias eorum, nimirum Aaron, & omnia vaſa tabernaculi teſtimonij, & cuſtodias filiorum Iſrael. Atque eorum cooperationis modus hucuſque peruenit. Sed tabernaculo præficit Aaron,& filios eius cum eo: [Cuſtodient, inquit,ſacerdotium ſuum,& omnia, quæ pertinent ad altare, & quæ ſunt intra velum,] ideſt,illa ſecretiora, ac myſtica magis,& quæcunque facere conſueuerant,qui diuino altari præſto erant: ac perſpicue quidem ea figura ad Chriſtum pertinet,quem conſtituit Pater ſu- *Heb. 3.*

D per domum ſuam,cuius domus nos ſumus. Ceterum non incongrue illi Aaron in ſacris operibus adminiſtri,ſanctum illum & admirabilem apoſtolorum chorum quodammodo cooperantium atque miniſtrantium Chriſto ſignificare poterunt. Dei namque cooperatores fuerunt,& aſſeruatores, diſpenſatoreſque myſteriorum Dei,atque miniſtri etiam, per quos credidimus. Quod ſi quis velit etiam Eccleſiæ ordinem perquirere, illam Legis præfigurationem iure admirabitur: Epiſcopis enim,vtpote qui duces creati ſunt, necnon etiam ijs,qui inferioris dignitatis gradum gerunt, presbyteris inquam,concreditum eſt altare,& quæ intra velum continentur:quibus etiam dici conuenit, [Et cuſtodient ſacerdotium ſuum:] diaconis vero illud,[Cuſtodient cuſtodias tabernaculi, & omnia vaſa eius, & cuſtodias populi,] Quid? nonne ipſi præcipiunt clamantes *1.Cor.3.* *1.Cor.4*

in Eccle-

in Ecclesiis, nunc quidem tempus esse vt populi hymnum dicant, & modeste, A
ac decenter stent, interdum vero vt quiescant, præterea ad orandum excitāt?
&, dum illa incruenta hostia consecratur, nonne ipsi sacratiora vasa ferunt,&
accuratam omnibus in rebus necessarijs obseruantiam exhibent? PALLAD.
Sane quidem. CYRILL. Igitur præstantiores quidem sacerdotale munus
explent, sed Leuitæ adiuuant, ita vt ordinem ecclesiastici sacerdotij Legis littera prædicare videatur. Arcetur autem populus ab omni sacra functione,summumque discrimen ac periculum ijs intentum est,qui sibi eum honorem arripuissent: Morietur enim, inquit,si sponte quispiam in illud ingressus erit, diuino suffragio minime ad id munus obeundum electus. PALLAD. Verum
est. CYRILL. Non igitur cum ceterorum descriptionibus genus leuiticum
Num.3. recensetur, sed tamen seorsum & in libro Dei describitur. [Et locutus est, inquit, Dominus ad Moysen in deserto Sina dicens, Recense filios Leui per domos familiarum suarum, per populos suos,per cognationes suas: omne masculinum ab vno mense & supra recensebis eos:& recensuit eos Moyses,& Aaron B
per vocem Domini, sicut constituerat illis Dominus: & erant hi filij Leui per
nomina sua,Gerson,Caath,& Merari: & hæc nomina filiorum Gerson per populos suos Libeni, & Semei: & filij Caath per populos suos, Amram,& Issaar,
Chebron, & Oziel: & filij Merari per populos suos,Mooli,& Musi.Hi sunt populi filiorum Leui per domos familiarum suarum.] Vide itaque, Palladi, in
primis illud; (subtilis enim est obseruatio)describebatur populus a viginti annis & supra, quod dedignaretur, vt opinor, legalis censura infirmos adhuc, &
imbecilles in libro Dei scribere:nam vegetos, & in ipso spiritualis ætatis flore
constitutos in sanctorum recensionibus inserl,nihil mirum. Vtitur itaque Lex
corporea ætate tamquam apta quadam figura ad spiritualem ætatem demonstrandam, & florentem ætatem in selectum genus adoptauit, impuberem, &
infirmam, & adhuc puerilem præteriit, neque in sacros libros retulit. At vero C
in Leuitis ab vno mense facta est: amplectirur enim ille omnium Dominus, &
quidem libentissime illam selectorum virorum in Christo pueritiam, sicut eos
quoque, qui sapiunt, nam vtraque in re excellere, egregium est, tum sapientia, inquam, tum vero simplicitate, quæ secundum Christum est. Itaque bea-
1 Cor.14 tus Paulus air, [Fratres, nolite pueri effici sensibus, sed malitia paruuli esto-
Matth.10 te; sensibus autem perfecti.] Ipse quoque Christus ait,[Estote prudentes sicut
serpentes, & simplices sicut columbæ.] Accepta est igitur sanctorum virorum
simplicitas. Per nomina præterea, & per populos, & familias fit illa recensio,
seu inspectio. Nam Deus,quos honorare voluerit, propria inspectione dignatur, & singillatim, & per multitudinem, & per genus. Quam vero subtiliter,
Matth.10. & accurate id fiat, declarat ipse Saluator,cum sanctis Apostolis dicit, [Nonne
duo passeres asse veneunt? & vnus ex eis non cadet super terram sine Patre vestro,qui est in cælis:vestri autem & capilli capitis omnes numerati sunt.] PAL D
LAD. Recte dicis. CYRILL. Præter hanc vero alteram quoque fieri leuiticæ gentis descriptionem,& suum cuiq. munus assignari præcepit dicens, [Ac-
Num.4. cipe summam filiorum Caath de medio filiorum Leui per populos eorum, per
domos familiarum suarum a viginti quinque annis, & supra, vsque ad quinquaginta annos, omnis, qui ingreditur ad ministrandum, ad facienda omnia
opera in tabernaculo testimonij. Et hæc opera filiorum Caath in tabernaculo
testimonij, Sanctum sanctorum: & ingredietur Aaron, & filij eius, cnm castra
mouentur, & demittent velum, quod operit, & contegent eo tabernaculum
testimonij,& imponēt super ipso tegumentū pellem hyacinthinam,& iniicient
super illud vestem totam hyacinthinā superius, & traiicient vectes, & in mensam

A sam propositam iniicient vestimentum holoporphyrum, & catinos, & mortariola, & libatoria in quibus libant, & panes, qui perpetuo super ipsam erunt, & iniicient in eam pallium coccinum, & operient eam operimẽto pelliceo hyacinthino, & traiicient per eam vectes; & accipient vestimenrum hyacinthinum, & operient candelabrum illuminans, & lucernas eius, & emunctoria eius, & infusoria eius, & omnia vasa olei, in quibus ministrant, & iniicient illud, & omnia vasa eius in operimentum pelliceum hyacinthinum, & imponent super vectes; & super altare aureum ad operiendum iniicient vestimentum hyacinthinum, & operient illud operimento pelliceo hyacinthino, & traiicient vectes eius; & accipient omnia vasa ministerij, in quibus ministrant in sanctis, & iniicient in vestimentum hyacinthinum, & operient ea operimento pelliceo hyacinthino, & imponent in vectes, & operimentũ imponent super altare, & ad operiendum iniicient super illud vestimentum holoporphyrum, &
B imponent super illud omnia vasa eius, in quibus ministrant, & ignium receptacula, & creagras, & phialas, & operimentum, & omnia vasa altaris, & iniicient super illud operimentum pelliceum hyacinthinũ, & traiicient vectes eius, & accipient vestimentum purpureum, & contegent labrum, & basim eius, & iniicient ea in operimentum pelliceum hyacinthinum, & imponent super vectes: & consummabunt Aaron, & filij eius operire Sancta, & omnia vasa Sancta, dum castra mouentur: & post hæc ingredientur filij Caath vt ferant, & non tangent Sancta, ne moriantur.] Igitur Leuitarum ab vno, & supra mense descriptio, ipsam sanctorum innocentiam placere, acceptamque Deo esse docet. Quod autem sacris operibus ætas destinata est Lege definita, nimirum a vigesimoquinto vsque ad quinquagesimum annum, illud significare arbitror, eos Deo ministerium egregium, & culpæ omnis expers exhibere, quicunque iam sapiunt, & fortes sunt, cuiusmodi est quinque & viginti annos natus, & qui
C eo amplius vsque ad quinquagesimum annum progressus fuerit: inclinat enim iam ad virium defectionem, qui vltra quinquagesimum progressus est, neque adhuc viribus est integris, sed sensim labitur ad senectutis incommoda. Insipiens autem nullus, aut imbecillis recte Deo ministrare potest; siquidem vere dicere licet fortitudinis egregiæque prudentiæ esse opera, quæcunque ad virtutem spectant, quibusque laus est a Legislatore constituta. PALLAD. Ita sentio. CYRILL. Eorum porro administrationi, qui ex populo Caath erant, Sancta sanctorum attributa sunt, præcurrentibus sacerdotibus, eaque tegentibus. Vbique enim id maiori in honore est, quod excellit ordine, & omnia quæcunque sunt apud Deum, ordinata sunt, nihilque est omnino perturbatum, atque confusum: administra est porro gens leuitica, & præstantiori sacerdotio subiecta. Conteguntur præterea pellibus, vestimentisque hyacinthinis tum arca, tum altare incensi aureum, candelabrum quoque, & vasa ministerij: ac hyacinthinum vestimentum, rem quæ superne atq. cælitus
D extiterit, significat; talis enim est color illius supremi atque altissimi ætheris: fuisse autem figuras Christi, qui superne, ac de cælo venit, sacra illa vasa, pluribus iam verbis a nobis ostensum est. At vero mensa propositionis præter hyacinthina operimenta, vestimentum holoporphyrum habet; sed holocaustorum altare vestimentum coccinum, labrum item vestimentum holoporphyrum ad tegumenta hyacinthina. Ac mensa quidem propositionem panum habens, incruentam hostiã significat, qua benedicimur, dum panem manducamus illum, qui de cælo est, Christum scilicet, qui etiam nostri similis factus est; sed idem tamen erat, & est similiter Deus, superne atque ex Patre veniens, & super omnia, vt rerum omnium rex, & dominus. Aenigma vero regni Christi est, vt mihi quidem

quidem videtur, quod ſuper menſam conchyliatum pallium, ideſt, tegumen- A
tum purpureum extenſum eſt. Sed holocauſtorum altare veſtimento coccino
contegebatur: veſtimentum porro coccino tinctum ſanguinis figuram accipie-
mus: immolatus eſt enim propter nos, & pro nobis Chriſtus, & inſtar agni ſu-
per diuinum altare conſcendit in odorem ſuauitatis Deo, ac Patri. Præter hya
cinthina etiam operimenta holoporphyro veſtimento labrum operitur: præſe-
fert autem labrum figuram ſancti baptiſmatis, quod ad deponenda peccata ſan
ctis nos aquis abluit, & in regnum cælorum perducit: ſuperne etiam, & de cæ-
lo eſt ſanctum baptiſma; eiuſque rei ænigma eſt color hyacinthinus. An tibi
minus recte dicere videor, in hac certe difficili ſpiritualis intelligentiæ compre-
henſione? P A L L A D. Mihi vero plane recte. C Y R I L L. Atque hoc eſt fi-
liis Caath miniſteriũ attributũ: Gerſonitæ vero atque etiã Meraritæ eodẽ mo-
do deſcripti ſunt a vigeſimoquinto vſque ad quinquageſimum annum per no-
mina, & per domos, & familias; gentiſque Gerſon miniſterio pelles erant B
tabernaculi concreditæ, operimenta, tentoria portarum, & vela atrij, & ſuper-
uacua; ſic enim ſcriptum eſt. Meraritis autem (gens eſt ea leuitica) columnæ ta-
bernaculi, baſes, capitella, & vectes, & velamen tabernaculi exterioris, &
ad hæc alia nonnulla. Ac Gerſonitæ quidem, & Meraritæ vehiculorum admi-
niculis vbique in iis, quæ ſibi credita erant, aduehendis vtebantur: at vero Ca-
athitæ Sanctaſanctorum humeris geſtabant; ſic enim ſcriptum eſt in Nume-
Num. 7. ris, [Et obtulerunt principes Iſrael, duodecim principes domorum familiarum
ſuarum; hi ſunt principes tribuum; hi ſunt, qui præſto fuerunt in recenſione,
& tulerunt dona ſua ante Dominum, ſex vehicula tecta, & duodecim boues,
vehiculum a duobus principibus, & bouem a ſingulis; & attulerunt coram ta-
bernaculo. Et locutus eſt Dominus ad Moyſen, dicens, Accipe ab ipſis, & erunt
ad opera miniſterij tabernaculi teſtimonij, & dabis ea Leuitis, cuique iuxta
miniſterium ſuũ. Et accipiens Moyſes vehicula, & boues, dedit ea Leuitis; duo C
vehicula, & quatuor boues dedit filiis Gerſon iuxta miniſteria ſua; & quatuor
vehicula, & octo boues dedit filiis Merari iuxta miniſteria ſua, per Ithamar
filium Aaron ſacerdotis: & filiis Caath non dedit, quia miniſteria Sanctorum
habent; ſuper humeros geſtabunt.] Audiſne vt his quidem vehiculis agere,
ac ferre moris fuerit; ſoli vero Caathitæ Sacra humeris ferant? P A L L A D.
Qua de cauſſa? C Y R I L L. Quia ſemper qui excellunt, ſacratioreſque ſunt,
magis deſudant, & qui ſanctiores ſunt, & ad Deum quodammodo propius ac-
cedunt, iis neceſſitas laborandi, & ærumnas tolerandi, idque non ex æquo cum
aliis, adiuncta eſt. An minime, quod dico, verum eſt? P A L L A D. Immo vero
maxime. C Y R I L L. Huiuſmodi igitur ordine leuiticum genus miniſtrabat.
Sed puto eam rem myſterij figurã habere. P A L L A D. Quo tandem modo?
C Y R I L L. Quia videntur hæ duæ gentes Gerſon, & Merari, populos qui in
Lege erant, inſinuare, Iſrael inquam; Caathitæ vero eos, qui ſanctificati ſunt D
in Chriſto per fidem: illis enim curæ erant vela atrij, pelles tabernaculi, ope-
rimenta, & columnæ, capitella quoque, & baſes, paxilli etiam, & tentoria, &, vt
verbo Scripturæ vtar, Omnia ſuperuacua, quo verbo ſignificatur miniſterium
minime neceſſarium: hi vero etiam ferre audent Sanctaſanctorum, & ea, per
quæ Chriſtus non vno modo, ſed varie, multiformique ratione ſignificatur, vt
eſt arca, vt menſa, & aureum candelabrum, & aureum turibulum: nam, cum
ſimplex ſit ex natura tamquam Deus, efficiẽtiæ tamen diuerſitate, ac varietate
multis modis cognoſcitur; eſt enim haud dubie viuens, & efficax Patris ſermo
atque inſuper vita, & lumen, & ſpiritualis ſuaueolentiæ odor. Igitur quicunque
præceptis per Moyſen datis inhærent, horum miniſterium in ſuperuacuis taber
naculi

A naculi rebus versatur: inutilis est enim Lex, nisi spiritualiter intelligatur. At qui audent Sanctasanctorum ferre, ij sancti prorsus in Christo sunt, nullamque rem superuacuam, sed ipsum Emmanuel tamquam sibi insidentem gestant. PALLAD. Recte est a te dictum. CYRILL. Sed illud, si placet, animaduerte. PALLAD. Quid tandem istud est? CYRILL. Illi quidem, quibus tabernaculi superuacua cõcredita fuerant, ea vehiculis ferunt; Caathitæ vero Sanctasanctorum non vehiculis, non alio quopiam instrumento, sed humeris imposita gestabant. PALLAD. Quid istud vero est? CYRILL. Quia; vt quod sentio, dicam, grauis est Lex, & onere vix ferendo premit: cuius rei clarum est indicium, quod illa superuacua minime humeris portantur, propterea quod homines ei legi subiecti imbecilles erant. Itaque etiam discipuli illi beati dicebant iis, qui, posteaquam fidem amplexati erant, ad legalem cultum conuertebantur, [Et nunc quid tentatis Deum, vt imponatis iugum super ceruicem discipulorum, quod neque vos, neque patres vestri ferre potuerunt? At vero Caathitæ iis, per quæ Christus indicatur, in humeros impositis, leue illud, & quod ferri facile posset, onus tulerunt. Num igitur non hoc illud est, quod ipse Christus ait, [Iugum meum suaue est, & onus meum leue?] PALLAD. Ita videtur. CYRILL. Illud quoque ad ea, quæ dicta sunt, adiecerim; quod non nihil afferet ad fidem faciendam: nam in priore quidem Leuitarum descriptione primus Gerson collocatus est, medius Caath, Merari postremus; (sunt autem eæ gentes leuiticæ;) in posteriore vero, quæ a vigesimoquinto anno facta est, præpositus est aliis Caath, & primus recensitus, posteriores autem Gerson, & Merari, quorum ministerio tabernaculi superuacua assignata erant. Præterea vtraque eæ gentes binas singulæ familias habent, hæc vero ad quatuor vsque progreditur. Intelligisne quid hoc ænigma significet? PALLAD. Minime vero. CYRILL. Vocatus quidem est primum Israel; sed, cum grex Gentiũ medius subintrasset, post eum collocatus est, atque facti sunt nouissimi primi, vt ait Saluator, & primi nouissimi. PALLAD. Ita est. CYRILL. Esse autem exiguum gentis Iudææ numerum, multisque partibus maiorem esse multitudinem Gentium liquet. PALLAD. Quis neget? CYRILL. Itaque Deus ad Moysen illum sacrorum interpretem, inquit, [Et nunc sine me, vt iratus perdam congregationem hanc, & faciam te in gentem magnam, multoque maiorem, quam hæc est.] His itaque ministerii vniuersum leuiticum genus honestatum est, sacroque illorum officio hæc est præscripta regula, vt principi subiecti sint, & Aaron imperio pareant: nam ad maiora adspirare, & præstantiora quærere, quam a Deo datum, tributumque sit, pœnam, ac perniciem affert; id quod re ipsa comprobatum est; scriptum est enim in Numeris item, [Et locutus est Core filius Issaar, filij Caath, filij Leui, & Dathan, & Abiron filij Eliab, & Annan filius Phaleg filij Ruben; & insurrexerunt aduersum Moysen, & viri de filiis Israel quinquaginta, & ducenti principes Synagogæ conuocati concilij cõspirauerunt aduersum Moysen, & Aaron, & dixerunt ad eos, Satis sit vobis, quia omnis cõgregatio, omnes sancti, & in ipsis est Dominus; & cur insurgitis in congregationẽ Domini? & audiens Moyses cecidit in faciem, & locutus est ad Core, & ad omnem eius congregationem dicens, Respexit, & nouit Dominus, qui sunt eius, & sanctos vocauit ad se; & quos non elegit sibi, nõ applicauit ad se: hoc facite, accipite vobis ipsis turibula, Core, & omnis cõgregatio eius, & imponite super ea thymiama corã Domino cras; & erit vir, quem elegerit Dominus, is sanctus: sat sit vobis, filij Leui: & dixit Moyses, Num parum vobis hoc est, quod distinxit vos dominus Deus Israel ex congregatione Israel, & applicauit vos ad se, vt ministraretis ministeria tabernaculi Domini,

Act. 15.
Matth. 15.
Num. 3.
Exo. 32.
Num. 16.

B C D (margin letters)

Z &adsta-

& adstaretis coram tabernaculo ad ministrandum ei, & applicauit te, & omnes fratres tuos, filios Leui tecum; & quæritis fieri sacerdotes.] Filij namque Leui, cum id muneris haberent, vt humeris ferrent Sanctasanctorum, stulte in superiorem ordinem inuadebant, & ad sacerdotum gradum contendebant, honorem sibi ipsis arripientes, vt scriptum est, negligebantq. Dei præceptum, ac leges de sacris officiis obeundis nefarie transiliebant, eorum, qui prælati erant, honores nullo numero habentes; dicebant enim ad Moysen, & Aaron, Sat sit vobis, quia omnis Synagoga, omnes sancti, & in ipsis est Dominus. Vides, vt mensuram sibi attributam contemnant, ac propemodum esse communem honorem summi sacerdotis dicant non suæ gentis hominibus modo, verum etiam ceteris omnibus, nullamque in illis esse ampliorem, illustrioremue dignitatem, quamuis superiores esse ceteris, eumque gradum diuino suffragio consecuti dicantur; quod est apertissime, diuinum iudicium atque sententiam reprehendere, Legislatorisque voluntatem pro nihilo ducere. At vero Moyses ille beatus, benignitate consueta vsus, perinde atque morbo laborantes admonebat, animaduertens etiam quantum illis iam iam supplicium immineret, eos increpat dicens, Sat sit vobis, filij Leui; Non parum esse vobis debet, inquit, quod vos potissimum ex omnibus ille vniuersorum Deus ad ministerium adeo augustum, adeoque admirandum elegerit. Illi vero adhuc in acerbitate animi, & duritia persistebant, & effrenato impetu ad contemptum, atque despicientiam ferebantur; quoad eorum superbia ad id mali peruenit, vt ipsos aperto ore terra vna cum genere toto, tabernaculisque corriperet, & nouo, atque inaudito interitu perderet: descenderunt enim in infernum viuentes, vt scriptum est. Nefarium ergo scelus est, & apud Deum iudicem capitale crimen, insurgere aduersus caput, ac præpositis, & iis, qui Dei voluntate, atque arbitrio principem honoris locum tenent, nolle subiacere; vt contra summæ sapientiæ fructus, ea, quæ habuerit quispiã, magna putare, eorumq. nomine gratias agere; neque ad ea, quæ nostræ mensuræ magnitudinem egrediuntur, cum periculo irrumpere, aut expetere, quæ nondum nobis concessa sunt, communia ea esse putantes, & vulgo exposita, quæ solo diuino nutu administrantur. PALLAD. Recte dicis. CYRILL. Ergo munerum sacrorum ordo confundi non potest: quippe sic decet, non alio modo se rem habere. PALLAD. Optime dicis. CYRILL. Vtrisque tamen subditorum hominum dona tamquam communem possessionẽ tribuit, & quæ obtulerit quisque vt Deo dicata sint, eique sacrificentur, & sacerdotibus, & Leuitis, inquit, communia esse oportere. Sic enim ille omnium rerum Deus dixit Aaron, [In terra eorum non accipies possessionem, nec pars erit tibi inter eos; quia ego pars tua, & possessio tua in medio filiorum Israel; & filiis Leui ecce dedi omnem decimam Israel in possessionem pro ministeriis eorum, quodcunque ipsi ministrant ministerium in tabernaculo testimonij, & non ingredientur etiam filij Israel in tabernaculum testimonij, vt accipiant peccatum mortiferum; & fungetur ipse Leuita ministerio tabernaculi testimonij, & ipsi capient peccata eorum: legitimum sempiternum in progenies suas: in medio filiorum Israel non possidebunt possessionem, quia decimas filiorum Israel ex omnibus, quæ separauerint Domino, separationem dedi Leuitis in possessionem; propterea dixi eis, In medio filiorum Israel non possidebunt possessionem.] In Deuteronomio autem cum eundem pene sermonem repeteret, ita fere ait, [Non erit sacerdotibus leuitis toti tribui Leui pars, neq. possessio cum Israel. Oblatio Domini possessio eorum: comedent ea: possessio autem non erit eis in fratribus suis: Dominus ipse possessio eius, sicut dixit ei: & hoc iudicium sacerdotum, quæ a populo, a sacrifi-

Marginalia: Heb. 5. (beside "honorem sibi ipsis arripientes"); A, B, C, D (section letters, right margin); Psal. 54. (beside "tum est. Nefarium"); Num. 18. (beside "esse oportere"); Deut. 18. (beside "tem cum eundem")

A sacrificantibus sacrificia, siue bouem, siue ouem; & dabis sacerdoti armum, & maxillam, & ventriculum, & primitias frumenti, & vini tui, & olei tui, & primitias tonsionum ouium tuarũ dabis ei, quia ipsum elegit dominus Deus tuus ab omnibus tribubus tuis, vt præsto esset coram domino Deo tuo ad ministrandũ, & benedicendum in nomine eius ipse, & filij eius omnibus diebus.] Vide igitur, vt sactum genus cũ populo censeri nefas sit, & non modo ministrandi officio, sed etiam spei dissimilitudine a ceteris disiunctũ: nam, qui vitam infimam, atque abiectam degunt, & rebus terrenis affixi sunt, & res caducas sitiunt, quæ tamquam vmbræ prætereunt, ijs iure dici potest, [Hæc est pars tua, hæc possessio tua, pars inobedientiæ vestræ, qua mihi non obedistis, dicit Dominus.] *Iere. 1.* Qui vero sanctum atque incorruptum vitæ genus prætulerunt, & virtutis nomine selecti sunt; ijs aptissime dicetur, In terra eorum non accipies possessionem, & pars non erit tibi in eis, quia ego pars tua, & possessio tua, dicit Dominus.

B Itaque Saluator accedenti cuidam, & roganti quomodo posset vitam æternam consequi, Præcepta nosti, inquit, videlicet, Non occides, non adulterabis, non furaberis, & horum similia: cumque ille se eiusmodi præcepta seruasse, palam dixisset, & ad hoc rogaret, illudque adiecisset, Quid mihi adhuc deest? [Si vis, inquit, perfectus esse, vende quæ possides, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo; & veni sequere me.] Oportet igitur, qui Deo ministrare velint ita, vt ab eo numquam diuellantur, quibusque constitutum est illum sequi, eos a terrenis rebus abscedere, Deumque solum possessionem putare, & eius spe pinguescere, iuxta id, quod in Psalmis canitur, [Delectare in Domino, & spera in eo, & ipse faciet.] Definit ergo decimas Leuitis pro mercede laboris in ministerio suscepti: neque enim sanctorum hominum labor mercede caret, immo vero præcipuis honoribus afficientur, illustriaque sunt eorum *Marc. 10.* *Matth. 19.* *Psal. 36.*

C præmia. [Ne soliciti sitis, inquit Saluator, animæ vestræ, quid manducetis, & corpori vestro, quid induamini: quærite autem primum regnum Dei, & iustitiã eius; & hæc omnia adijcientur vobis.] Peccata vero iterum appellat, quæ pro peccatis immolabantur: & hæc quoque figuræ Christi erant, qui pro nobis immolatus est, necemque perpessus, vt destrueret mundi peccatum. Solis autem ijs, qui rebus sacris operam præstant, victimis pro peccato vesci licet: neque enim decet profanos animos illa sancti corporis Christi participatio, sed potius selectos, ac puros, quos illis verbis alloqui licet, [Vos autem genus electum, regale sacerdotium, genus sancta, populus in acquisitionem.] Eximuntur porro ijs, quibus ministrandi officium demandatum erat, armus, & maxillæ, atque etiam ventriculus: nam inesse debet sacro generi vis ad agendum, & efficiendum; isque est armus: sermo etiam nimirum ad docendum aptus; cuius figura sunt maxillæ; præterea ventriculus, quo fecunditas præclare significatur: quid enim? non & ad agendum instructum, & ad eloquendum paratum, *Matth. 6.* *1. Pet. 2.*

D & ad gignendum fecundum esse oportet eum, qui vere sit sacerdos, Deique familiaris? PALLAD. Maxime vero. CYRILL. Igitur possessionum expers Leuiticũ genus esse voluit, seque illi possessionis præcipuæ loco tribuit: opportune tamen non est passus, vt nihil prorsus accipiendo, extra alios positus esse omnino videretur; sed modum quendam in ea re adhibuit, non nihilque ad vsum necessarium concessit; sic enim scriptum est, [Et locutus est Dominus ad Moysen in occidẽtali parte Moab prope Iordanem contra Hiericho dicens, Constitue filijs Israel, & dabunt Leuitis de sortibus possessionum suarum vrbes ad inhabitandum, & suburbia vrbium in circuitu earum, dabunt Leuitis: & erunt illis vrbes ad inhabitandum, & separationes earũ erunt pecoribus eorum, & dabunt quadrupedibus eorum; & agri vrbibus contigui, quas dabitis *Num. 35.*

Leuitis, a muro vrbis forinsecus bis mille cubitos per circuitum: & metieris extra vrbem latus versus Meridiem bis mille cubitos, & latus versus mare bis mille cubitos, & latus ad Aquilonem bis mille cubitos, & vrbs media inter hoc spatiū erit vobis, & confinia vrbium, & ipsas vrbes dabitis Leuitis. Sex vrbes refugij, quas dabitis, vt eo confugiant, qui cædem fecerunt.] Permittitur namq. sanctis hominibus etiam in hoc mundo ea possidere, quæ sint satis ad vitam du- A
1.Timot.6. cendam, & quæcunque ad necessarium corporis vsum sufficere possint: [Habentes enim, inquit, alimenta, & quibus tegamur, his contenti sumus.] Quidquid autem vltra hæc est, damno minime vacat. Oppida igitur, & domunculæ, & agri vrbibus circumpositi, & ij quidem certa mensura definiti, sanctis ministratoribus tributa sunt: sic enim æquissimum esse censuit Deus, vt, neque plura concedendo, quam opus esset, ad voluptatem eos relaxaret; neque rursus, nimium restringendo, immodice premeret; sed commode tum egestatem nimiam pelleret, tum vero molestiam auferret: nam pro necessitatis ratione metitus est, quantum cuique satis esset. Concedi etiam Leuitis B
iubet refugij vrbes, in quo genus maxime calamitosum, maximeque opis indigens sacrorum ministrorum curæ, fideique commisit: hinc, vt opinor,
Heb.13. exemplum Ecclesiis relictum est, vt vinctorum curam susciperent: [Memores estote, inquit, vinctorum, tamqnam simul vincti; & laborantium, tamquam & ipsi in corpore constituti.] PALLAD. Vera dicis. CYRILL. Esse porro firmo loco positam sanctorum ministrorum spem, ac perpetuam esse illorum possessionem indicauit iterum per ænigma, huiusmodi quadam ra-
Leuit. 25. tione: scriptum est enim ad extremum Leuitici librum, [Et locutus est Dominus ad Moysen dicens, Loquere ad filios Israel, & dices ad eos, Cum ingressi fueritis in terram, quam ego do vobis, requiescet terra, quam ego do vobis, sabbata Domino: sex annis seres agrum tuum, sex annis putabis vitem tuam, & congregabis fructum eius; anno autem septimo sabbata requies erit terræ; C
sabbata Domino.] Cumque definisset sabbati finum, ac terram a satione atq. aratione immunem dimitti anno septimo iussisset, adiunxit iterum, [Et enumerabis tibi septem requietiones annorum, septem annos septies, & erunt tibi septem hebdomades annorum quadraginta nouem anni, & annunciabitis tubæ voce in tota terra vestra, septimo mense, decimo die mensis, die propitiationis annunciabitis tuba in tota terra vestra, & sanctificabitis annum quinquagesimum annum; & prædicabitis remissionem in terra omnibus inhabitantibus in ea: annus remissionis: significatio hoc erit vobis, & reuertetur quisque ad possessionem suam, & vnusquisque ad cognationem suam reuertemini, remissionis significatio hoc erit vobis, annus quinquagesimus annus erit vobis.] Quænam igitur sit ratio, cur ipsius terræ quoque remissio fieret, quidue significet remissionis annus, erit exquirendi locus. Esse autem possessionem præcipuam Leuitis datam, mox dicetur: interim vero scribit iterum D
in hunc modum, [Quod si quis vendiderit domum habitabilem in vrbe murata, erit redemptio eius, donec impleatur annus dierum, erit redemptio eius: quod si redempta non fuerit donec impletus fuerit annus totus, cōfirmabitur domus, quæ est in vrbe habente muros, firmiter ei qui emit eam, in progenies suas; & non exibit in remissione: domus vero, quæ sunt in villis, quæ non habent murum in circuitu, pro agro terræ reputabuntur; redimi semper poterunt hæ; in remissione exibunt. Et vrbes Leuitarum, domus vrbium possessionis eorum, semper a Leuitis redimi poterunt, & quicunque redemerit a Leuitis, & exibit venditio earum domorum vrbis possessionis eorum in remissione; quia domus vrbium Leuitarum hæ sunt possessiones eorum in medio filiorum Irael; & agri definiti

A definiti vrbibus eorum non vendentur, quia possessio perpetua hæc eorum est.] PALLAD. Ecquid sibi Lex tandem in his verbis vult? neque enim satis intelligo. CYRILL. Accipe igitur, si qui vrbanas ædes de dominis emerint, liceat, inquit, venditoribus rem venditam redimere, idque ad vnum annum; sin id non fiet, elapso anno, emptori rata emptio esto, neque liceat amplius illi negotium exhiberi: sin ager sit, & villa, perpetuo, inquit, redhibendi ius esto, vbi venditor datum argentum emptori persoluerit: sin ille numerare non possit, ac propterea minime recuperare, remitti præcepit anno quinquagesimo, nullo pretio ab antiquo domino persoluto; Lex enim ei, qui possessionem coemisset, longi temporis lucrū pro debiti persolutione computabat. Sed hæc in plebeiis hominibus constituit Deus: bona vero leuitica rursus excepit, & tamquam proprio quodam honoris iure discreuit, cum ea semper redimere ius esse voluit, & distrahi prohibuit: Pars enim, inquit, & sors illorum est. PALLAD.
B Ergone ista tantummodo Lex spectauit, nihilque prorsus parere potest inquisitio, quod nobis vtile sit? CYRILL. Quonam modo igitur Lex adhuc spiritualis erit? aut quomodo non operæpretium sit videre quid nam esse sacræ litteræ dicant, cuius gratia, quæ in vrbe sunt, redimi non possint post annum elapsum, contraque redimi semper liceat, quæ extra vrbem, & in agris? Verum perspici facile potest non magni apud Deum esse ponderis historiæ rationem, dum spiritualis sensus cursu secundo feratur, & veritatis notæ expressæ admodum appareant. PALLAD. Explica igitur quidnam illud est, quod Lex ait. CYRILL. Obscura quidem, Palladi, est huius venditionis ratio, & sane arduum habet accessum, si vel maxime simplici intelligentia illam aliquis percipere velit: dicam tamen, vt potero, & vt mihi in mentem venerit. Sed mihi roganti velim, Palladi, respondeas. Qui populari vrbes ac regiones consueuerunt, ab iis quosnam capi facile, nec multo sudore posse putas, eosne, qui intra
C muros, vrbesque turribus probe munitas versantur, an potius, qui in agris? PALL. Et quem esse putas, cui hoc sit obscurum? facillime scilicet capiuntur qui in agris sunt apertis, nulloque murorum ambitu munitis. CYRILL. Recte sane respondes: quos præterea putas melius, atque humanius degere, vrbanos ne homines, & in legum cognitione versatos, an in villis agrestius educatos? nonne infirmius, qui in agris degunt, suam salutem tuebuntur; ij vero, qui intra septas muris vrbes, & melius deliberabunt, & ex legū præscripto considerabunt, quæ suæ ipsorum vtilitati conducere videbuntur, si quando consilio, ac deliberatione opus erit? PALLAD. Verum est; quamuis accidit fortasse nonnunquam vt vincantur. CYRILL. Atqui agrestibus illis, si aut capti fuerint, aut si quando ab optimo consilio aberrauerint, ignosci potest: neque enim murorum præsidio se tueri possunt; & iis, qui in vrbibus versantur, ad consilia capienda sunt peius instructi: alteros autem non nemo accusa-
D uerit, neque iniuria, vt arbitror, si, cum propulsassent hostem, resque suas recepissent, aduersariis inuadentibus se ipsos dediderint, & sua prius ignauia victi in ditionem hostium venerint. PALLAD. Recte dicis. CYRILL. Considera igitur Iudæos quidem sanctā illā ciuitatē incolentes, de qua Deus ille omnium præpotens ait, [Et ego ero ei, dicit Dominus, murus ignis in circuitu, & in gloriam ero in medio eius;] præterea Legis scientia eruditos, ideoque dicebat, [Beati filij Israel, quia quæ Deo placent nota sunt vobis:] an non eiusmodi homines adeo in tuto esse censes, vt ad eos Dæmonum incursus difficillimos aditus haberet, si illi recte viuere, diuinisque legibus obtemperare voluissent? PALLAD. Maxime vero. CYRILL. At vero Gentium greges cum agrestiorem haberent animum, atque rudiorem, & prædæ expositi Zacch. 2. Baruch 4.

essent, nihil mirum, si nullo negorio ab illo deprædatore Satana capi poterant; A
quippe cum essenr præsidio superno nudati, nec moderatricẽ Legem haberẽr.
P A L L A D. Ita videtur. C Y R I L L. Igitur Iudæi, qui munitam vrbem
incolebant, supernoque præsidio cinctam, & mente haud agresti præditi erant,
ac, quid Deo placeret, minime ignorabant, cum ratione nulla, quid ipsos deceret, habita, possessionem sibi attributam præ negligentia abiecerinr, atque ab
illa summa spe exciderint, nisi ex hac sua ebrietate resipuerint, vt scriptum est,
suasque res recuperauerint, cum præsens est annus redemptionis, idest, aduentus nostri Saluatoris, permanebunt in posterum, eruntque perpetuo sub em-
Esa. 50. ptoris, idest sub Satanæ potestate. [Ecce enim, inquit, iniquitatibus vestris
venditi estis, & propter peccata vestra dimisi matrem vestram.] At vero Gentium populus cum omnibus præsidiis nudatus esset, & animo esset agresti, &
rudi, ob eamque caussam pulsus, & aliis in seruitutem datus, Deo miseranre
perpetuo redimi poteft: resumer enim suam possessionem, iam ad libertatem B
anno remissionis vocatus, cũ omnem rerrarum orbem ex Dæmonum tyrãnide
Christus relaxauit, atque ex peccati laqueis exoluit, & fide iustificauit, &
Coloss. 2. Spiritu sanctificauit, chirographo, quod erat aduersum nos, per suam crucem
destructo. Leuiticas vero possessiones alienandi ius non est: seruatur enim stabiliter sanctorum possessio, firmaque spe nituntur. Itaque de Maria illa muliere discendi cupidissima dixit certe Christus, eam optimã partem elegisse, quæ
Luc. 10. numquam ab ea esset auferenda. Verumtamen, & exigui, & magni sacerdotis, & populi, denique, vt vno verbo dicam, omnium redemptio, & spei firmitas in Christo est. P A L L A D. Alienabit igitur suam possessionem Israel,
cum redemptionis annum non cognouerit: Gentes vicissim suæ spei compotes
erunr, nec per alium, nisi per Christum naturæ bonorũ recuperatio fiet? C Y-
R I L L. Ita prorsus censeo, ac veritati huius meæ orationis subscribet ille omnium Deus, qui hoc idem alia quoque ratione significat per Ezechielis vocem C
Ezecch. 46. in illa dimensione domus: [Hæc dicit Dominus, Si dederit princeps donum vni
ex filiis suis ex hæreditate sua, illud filiorum eius erit: possessio ipsorum hæc
in hæreditatem: quod si dederit donum ex hæreditate sua vni ex pueris suis,
erit eius vsque ad annum remissionis, & restituet principi, præterquam hæreditas filiorum eius illius erit: & non accipiet princeps ex hæreditate populi sui,
vt vi extrudat illos ex possessione sua; & ab hæreditate sua hæreditarem dabit
filiis suis, ne dispergatur populus meus vnusquisque a possessione sua.] Num tibi perspicuum hoc decretũ, & simplex videtur historiæ sensus? P A L L A D.
Minime vero, cumque libentissime de te cognoscerem. C Y R I L L. Principem, Palladi, summum sacerdotem vocat, qui vt subiectis populis dux esset, electus est. Ergo, quoniam sanctis rerum sacrarum administris necessariæ,
atque eximiæ possessiones attributæ sunt, easque illis perpetuo seruari, & alienari non posse constituit, necessario illud significar. Nam si conrigerit, inquit, D
aliquem ex principibus, idest, e sacerdoribus nonnulla suis liberis quæ ad suam
possessionem pertineant, distribuere, ratum esto, inquit, quod datum est, neque
alienari ab accipiente possit; neque enim illa hæreditas ad alienigenã aliquem
transit, sed a sacerdotibus ad sacerdotes. Sin alicui seruo domestico largitus
fuerit, possidebir, inquir, qui accepit, non perpetuo: ad principem enim omnino remissionis anno eius possessio reuertetur. Sed præcipit insuper, vt sacerdos alienarum possessionum cupiditarem abiiciat, id enim est, vt opinor, Non
accipiet princeps ex hæreditate populi sui. Satisne hæc expositio ribi videtur
ad eius rei explanationẽ? P A L L A D. Sane saris. C Y R I L L. Iam ergo ad
spiritualem inquisitionẽ pergat oratio; nã figuræ sunt, quæ in Lege traduntur,

& veritatis

A & veritatis quædam informatio in illis vmbris impressa est]. PALLAD. Vera dicis. CYRILL. Igitur hæreditates eæ firmæ sunt, & stabiles, quæ a parentibus ad liberos veniunt; eæ rursus amittuntur, & retrorsum redeunt, quæ a dominis ad seruos; id enim sacræ litteræ dicunt. PALLAD. Intelligo. CYRILL. Nobis autem, qui fide iustificati sumus, vnus est princeps Christus, qui possessionem illam Dei, ac Patris propriam habet. Ideoque dicebat, cum ad eum orandi figura verba conuertisset, [Omnia mea tua sunt, & tua Ioan.17.
mea, & glorificatus sum in eis.] Psallit etiam quodam loco ille diuinus cantor, eum, cum ascendisset in altum, captiuā duxisse captiuitatem, dedisseque dona Psal.67.
hominibus; alios enim posuit in Ecclesia, primum quidem apostolos, secun- 1.Cor. 12.
do prophetas, tertio doctores: & alij quidem datus est sermo sapientiæ, alij autem sermo scientiæ, & quæ his affinia sunt, &, vt semel dicam, suis bonis animas se diligentium explet. Firma igitur, ac stabilis manet sacrorum ministris,
B ac liberis donatarum rerum possessio: qui vero seruilem spiritum habent, idest, Israelitæ, eum fidem liberam non recipiant, sed sub iugo adhuc nefarij, execrabilisque peccati iaceant, ab iis alienatur, adimiturque gratia illa per Moysen data, idest, illa in Lege cognitio, quæ velut pædagogus ad veritatem duceret, & sors, atque hæreditas iis prorsus erit eum sanctis nulla, neque pars aliqua cum Christo. [Ei enim, qui habet, dabitur, inquit, & abundabit; ab eo Marc. 4.
autem, qui non habet, etiam quod videtur habere, auferetur ab eo.] Esse autem exhæredatum Israel, quod fidem minime receperit, neque libertatis dignitate sit ornatus, indicauit Saluator, cum huius legis, vt ego interpretor, vim ac sensum in medium proferret: sic enim dixit iis, qui non obtemperare statuerant, [Amen amen dico vobis, quia omnis, qui facit peccatum, seruus est Ioan.8.
peccati: seruus autem non manet in domo in æternum: si ergo vos Filius liberauerit, tunc vere liberi eritis.] Vide itaque liberorum esse, hæreditatem con-
C sequi; non eorum, qui iugo seruitutis oppressi sunt: Filij enim sunt, qui manent in domo, non serui, inquit. PALLAD. Elegantissime dictum est. CYRILL. In eo vero, quod Lex adiunxit, Non accipiet princeps ex hæreditate populi sui, vt relinquat filiis suis; eiusmodi quidpiam insinuat, nunquam Christum (is enim noster est Princeps) cuiquam sanctificatorum sortem, quæ minime illis conueniat, distributurum. Quid enim? non alia quasi pars, & hæreditas alia iis conuenit, qui vitam suam Deo minime totam addixerunt; alia rursus, & ea quidem eximia, selectis illis hominibus, qui ad summum in Christo splendorem peruenerunt? PALLAD. Quis neget? CYRILL. Turpe igitur est sanctis viris, ea petere a Christo velle, que iis conueniunt, qui in sæculo versantur, & vitæ genus colunt non omni ex parte sanctificatum: petendumq. potius est carnale nihil, sed diuina omnia, atque spiritualia. Sic ipse quoque Saluator sanctis apostolis precari imperauit, atque orationem ad formam sanctis decentissimam effinxit, [Ita, inquiens, vos orate, Pater noster, qui Matth.5.
D es in cælis sanctificetur nomen tuum, adueniat regnum tuum, fiat voluntas tua sicut in cælo & in terra, panem nostrum quotidianum da nobis hodie, & dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris, & ne nos inducas in tentationem, sed libera nos a malo.] Igitur indecore petentibus ea, quæ Princeps minime tribuit, dicetur a nobis, [Petitis, & non accipitis; eo Iacob. 4.
quod male petatis.] Vere autem ab eo dictum esse, qui Deum his verbis alloquebatur, [Quia tu reddes vnicuique iuxta opera sua:] Lex iterum indicat di- Ezech.46.
cens, [Hac de causa non accipiet Princeps ex hæreditate populi sui, vt hæredes instituat filios suos, ne (inquit) dispergatur populus meus vnusquisque ab hæreditate sua.] est enim cuique a Deo sua quasi possessio parata, parsque pro

rerum

rerum gestarum ratione respondens: aut fortasse, dicit, alienum valde esse, a A
suo statu dimoueri sanctos viros, & ea expetere, quæ ij habeant, qui mundana
sapiunt; temporalia autem hæc sunt, & carnalia, & vmbrarum instar prætereuntia. PALLAD. Ita se res habet. CYRILL. Propriæ igitur possessiones, atque etiam vrbes ab aliis exemptæ sacris ministris a Deo tamquam præmia tributæ sunt, omnibus tamen quasi communem definit vnam illam, & om-
Deut. 18. nium sermone celebratam Hierusalem; sic enim ait in Deuteronomio, [Si aduenerit Leuites ex vna vrbium vestrarum ex omnibus filiis Israel, vbi ipse incolit, vt desiderat anima eius, in locum quem elegerit dominus Deus tuus, & ministrauerit nomini domini Dei sui, sicut omnes fratres eius Leuitæ, qui adstant ibi coram Domino, partem partitam edet, præter venditionem eius, quæ est secundum familiam:] nam, quia vnius Dei sunt vbique sacerdotes, coniungi eos oportet, qui ad hoc munus prouecti, & diuino suffragio electi sunt. Idipsum hoc quoque tempore in Ecclesiis seruatur, & huic legi honos a nobis impendi- B
tur: quamuis enim cuique ad sacerdotium electo sua sit ciuitas atque possessio, simul tamen ad sacrificium celebrandum assumitur, licet ex vna ad alteram per gat vrbem regionemue fortasse, & vna cum sacerdotibus vescitur, & caritatis legibus honoratur. Sed mihi rursus ea lex mysticum quiddam, vt ego interpretor, significare videtur: innumerabiles quippe sunt per vniuersum orbem terrarum regiones, atque vrbes, in quibus sanctæ, Deoq. caræ animæ cultum eidem exhibent, dum legitime viuunt, & ex Euangelij præscripto conuersantur, eiq. quodammodo sacrificia in odorem suauitatis, nimirum spiritualis offerunt, fidem, spem, caritatem, patientiam, mansuetudinem, benignitatem in paupe-
Heb. 13. res: [talibus enim hostiis promeretur Deus,] vt Scripturæ tradunt. Sed hi prorsus omnes tamquam ad vnam, communemque matrem conueniunt, ad illam
Heb. 12. cælestem Hierusalem, illam Ecclesiam primogenitorum, illam superam præclaram vrbem, verumq. tabernaculum, quod fixit Deus, & nō homo; ibi purius sa C
crificabimus, cum peccatum a nobis omni ex parte ademptum erit, sublatusq.
Esai. 35. leo, & draco, basiliscus, & aspis: [Erit enim ibi, inquit, via munda, & via sancta vocabitur; neque inuenietur ibi leo, neque vlla mala bestia eo ascendet:] parti-
Psal. 127. tam ibi partem comedemus; cum scriptum sit, [Fructus laborum tuorum comedes.] An vero minus pro cuiusque laborum ratione illa bonorum præmiorumq. persolutio fiet, etiamsi copiosiore mensura fiet Domini nostri munificentia?
Luc. 6. [Mensuram enim bonam, confertam, supereffluentem, coagitatam dabo in sinum vestrum.] PALLAD. Est quidem a te recte dictum. Illud vero mihi explices velim, nonne licebat Leuitis in suis vrbibus, villisque manentibus sacrificare? CYRILL. Minime vero; vnum quippe tabernaculum erat, vnumque altare, in quo victimæ omnes immolabantur, vnum quoque Hierosolymis templum a Salomone constructum, quod veteris illius tabernaculi imaginem referebat: Lex quoque prorsus interdicit, ne cui liceat extra tabernaculum sa- D
crificare, quique hoc fecissent, exterminationis mulcta erat constituta, & extre
Leuit. 17. mum supplicium imminebat; sic enim plane dixit, [Si vero quispiam immolauerit ouem, aut bouem in castris, & ad ostium tabernaculi non adduxerit, exterminabitur anima illa de populo suo.] Porro necessarium omnino fuisse eo tempore, vt, quicunque sacrificare vellent, templum, ipsamque sanctam ciuitatem adirent, & ibi legitime sacra perficerent, eaque, qui genus ex Leui ducebant, offerrent, licet plane de ipso Deo audire, qui aperte ait in Deuteronomio,
Deut. 12. [Non poteris edere in vrbibus tuis decimam frumēti tui, & vini tui, & olei tui, primogenita boum tuorum, & ouium tuarum, & omnia vota tua, quæ voueris, & spontanea vestra, & primitias manuum vestrarum, sed tantum in conspectu do-

A ctu domini Dei tui comedes in loco,quem elegerit tibi dominus Deus tuus,tu, & filij tui, & filia, & seruus tuus,& ancilla tua,& Leuites,& proselytus, qui est in vrbibus tuis, & lætaberis coram domino Deo tuo in omnibus,ad quæ extendesis manum tuam. Caue tibi ne derelinquas Leuitam omni tempore,quo vixerit supet terram.] Neque enim adiri ad Deum potest,neque accepta esse victima sine Leuita; sunt enim mediatores interiecti, ac mediatorem illum Dei & hominum, idest Christum imitantur.Esse etiam vnam Ecclesiam,vnumque Christi ministerium,neque legitimum esse sacrificium, immo vero reiici,& minime placere Deo,nisi in Ecclesia fiat, perspicue Lex ostendit,edicens ne extra sanctum tabernaculum sacra fiant.Quanta fuerit autem in eiusmodi rerum obseruatione diligentia, hinc quoque disces; neque enim parum credibile erat, quinimmo etiam verum, innumeras per totam Iudæam vrbes magnis interuallis ab vrbe Hierosolyma distare. Atqui molestum & graue erat,qui sacrificare
B vellent,eos primitias frumenti,olei,& vini tanto itineris spatio perferre,ac fortasse nonnullos etiam retardabat manibus toleratus labor:at cótra turpe erat, atque adeo absurdissimum,quod iis,qui longius aberant,graue id negotium esset,nec facile confici posset, ob eam caussam violari pulchritudinem veritatis, Israelitis sacrificia in sancto tabernaculo non offerentibus. Vt igitur omnibus, quæ intercedebant impedimentis opportune sublatis, Lex etiam, quæ hac de re constituta erat,ad Legislatoris voluntatem perfici posset,sua institutione docuit Moyses, & diuinam voluntatem interpretatur in Deuteronomio dicens, [Decimam decimabis ex omni prouentu seminis tui, prouentum agri tui per *Deut. 14.* singulos annos, & comedes illum coram domino Deo tuo,in loco quem elegerit dominus Deus tuus, vt inuocetur nomen eius, eo feres decimas frumenti tui,& olei tui,& primogenita boum tuorum,& ouium tuarum,vt discas timere dominum Deum tuum omnibus diebus. Quod si longe fuerit a te locus, quem
C elegerit dominus Deus tuus, vt inuocetur nomen eius ibi; quia benedicet tibi dominus Deus tuus; vendes ea argento, & sumes argentum manibus tuis, & perges ad locum, quem elegerit dominus Deus tuus, vt inuocetur ibi nomen eius,& dabis argentum in quacunque re, quam desiderat anima tua, in bobus, vel ouibus,in vino, vel sicera, vel quacunque re, quam desiderat anima tua,& vesceris ibi coram domino Deo tuo, & lætaberis tu, & domus tua, & Leuita, qui est in vrbibus tuis,quia non est ei pars,neq. sors tecum.] Vides qua solertia Lex ardua complanet,& aspera peruia faciat,ac difficillima facilia reddat? idque,vt opinor, illud est,quod propheta dixit, [Via piorum recta facta est,& pa- *Esai. 26.* ratus callis piorum.] Illud autem obserues velim, vbique, ac necessario Leuitam assumi; qua in re Lex aperte nobis indicat numquam futurum,vt ille omnium Deus hostiam accipiat profanis manibus, ac dissentiente Lege oblatam.
PALLAD. Perpetuo igitur leuitico generi honos habetur. CYRILL.
D Ita est omnino, Palladi; est enim sacerdos Christi figura, expressaque forma: *1.Timot. 2.* ille enim Emmanuel appellatus est mediator Dei & hominum, Apostolus *Heb. 3.* etiam,& Pontifex confessionis nostræ secundum scripturas,qui non per sangui *Heb. 9.* nem hircorum,& vitulorum,sed per proprium sanguinē introiuit in Sancta sanctorum semel, æterna redemptione inuenta; & vna oblatione consummauit in æternum sanctificatos,vt Scripturæ tradunt. Vide etiam,si placet,altera quoq. ratione Christi gloria ornari sacerdotem:nam, cum ille disertis verbis clamet, & dicat, [Neque enim Pater iudicat quenquam;sed iudiciū omne dedit Filio, *Ioan. 5.* vt omnes honorent Filium,sicut honorant Patrem:] atque sancti cuiusdam voce dicat, [Vnus est Legislator,& Iudex,] quod in sacris litteris habetur; cum- *Iac. 4.* que sanctus quoque Dauid concinat, [Quia Deus Iudex est;] huius muneris *Psal. 49.*

amplif-

amplissimam dignitatem iis, qui è sacro genere orti essent, attribuens Le- A
Deut.17. gislator, ad hunc modum loquitur in Deuteronomio, [Quod si impossibile fuerit tibi verbum in iudicio inter sanguinem & sanguinem, & inter iudicium & iudicium, & inter lepram & lepram, & inter controuersiam & controuersiam verba iudicij in vrbibus tuis, surgens ascendes ad locum, quem elegerit dominus Deus tuus, vt inuocetur nomen eius ibi, & venies ad sacerdotes Leuitas, & ad iudicem, qui fuerit in diebus illis, & exquirentes annuntiabunt tibi iudicium: & facies iuxta verbum, quod annuntiauerint tibi, qui sunt ex loco, quem elegerit dominus Deus tuus, vt inuocetur nomen eius ibi, & obseruabis valde, vt facias iuxta omnia, quæ constituerint tibi; iuxta Legem, & secundum iudicium, quod annuntiauerint tibi, facies: non declinabis a verbo ipsorum quodcunque dixerint tibi, neque ad dexteram, neque ad sinistram: & homo quicunque fecerit in superbia, vt non obtemperet sacerdoti, qui assistit vt ministret in nomine Dei tui, vel iudici qui fuerit in diebus illis, morietur homo ille: & auferes malum ex Israel: & omnis populus audiens timebit, & non impie aget amplius.] Vides Legem aperte imperare iis, qui quocunque nomine aliquem accusare velint, vt iudicem, atque cognitorem faciant sacerdotem. B
Malach.2. Sed obseruabis valde, vt facias iuxta omnia, quæ constituerit tibi: [Labia namque sacerdotis custodient scientiam, & Legem requirent de ore eius,] vt propheta loquitur; neque enim ille leges constituit, sed potius quod Legislator decreuit incorrupte interpretando, ad rectam viam perducit; cumque iustitiæ sit optimus arbiter, de vnaquaq. re iudicium subtilissime ponderat, ob eamque caussam immanitatis, & superbiæ crimen illis adiunctum est, qui ei obtemperare contempserint, & in eos extremum supplicium, mors nempe, constituitur; Morietur enim, inquit, quisquis contempserit sacerdotem, qui assistit, vt ministret in nomine Dei. Magnum igitur est, & admirabile reuera munus, Deo assistere, ac ministrare: quisquis vero Dei ministrum contempserit, vindictæ atque supplicio subiicietur; & qui diuinam hanc dignitatem despexerit, acerbissimas suæ despicientiæ pœnas luet. Inueniemus autem ipsi quoque domino nostro Iesu Christo legis huius obseruantiam curæ fuisse; sic enim est Iudæorum populos allocutus, [Super cathedram Moysi sederunt scribæ & pharisæi: omnia ergo, quæ dixerint vobis, facite, secundum vero opera eorum nolite facere.] Nemo igitur iudicet sacerdotem, etiamsi remissus videatur, ac segnis sit ad vitam ex Legis præscripto ducendam, sed potius, illo Legem interpretante, obedientiam afferat; nam vitiosus est in iis, quæ ex proprio ipsius arbitrio proficiscuntur; sed quæ Dei sunt, interpretatur. Non sunt ergo diuina contemnenda propter ea, quæ sunt hominis propria. PALLAD. Minime vero. CYRILL. Præclaram vero, atque insignem esse sacerdotij dignitatem, ex eo quoque disces, quod nobile atque conspicuum in primis habet initium, atque etiam finem: neque enim obscurus esse potest, cum quispiam ad sacerdotium prouehitur, aut cum a Deo vocatur ad superas illas, cælestesque mansiones, & C D
Rom. 15. alteri sacerdotium relinquit. Itaque Christus iis, qui in Gentibus, atque etiam Israelitis euangelicam prædicationem litarent, dixit prorsus illustres eos esse
Luce 11. futuros, conspicuamque gloriam assecuturos; [Nemo quippe lucernam accendit, & in abscondito ponit, at neque sub scabello, inquir, seu sub modio, sed super candelabrum; vt omnes, qui ingrediuntur, lumen videant.] Id vero ita esse, nempe Dei ministrum conspicuam, admirabilemque gloriam habiturum, per-
Esa.40. suadeat etiam beatus Esaias clamãs, [Super montem excelsum ascende tu, qui euangelizas Sion.] PALLAD. Hæc quidem ita esse, cuique perspicuum est. Sed expone, quæso, quonammodo huius quoque rei figura sacris litteris adum-

A adumbrata sit. CYRILL. Atqui est in promptu, Palladi, & quidem sine vllo negorio id tamquam rudioribus adhuc figuris depictum intueri: sic enim dixit Deus in Numeris Moysi beatissimo, [Accipe Aaron, & Eleazar filium eius, & perduc eos in montem Or coram vniuersa congregatione, & exue Aaron stola sua, & ea indue Eleazar filium eius, & Aaron additus moriarur ibi. Et fecit Moyses sicut præceperat ei Dominus, & perduxit eos in montem Or coram vniuersa congregatione, & exuit Aaron vestibus suis, & induit eis Eleazar filium eius: & mortuus est Aaron in vertice montis.] Aduertis igitur quemadmodum in montem perducitur Aaron mox obiturus, atque defuncturus, & item eius filius Eleazar sacerdotio successurus? Significat autem mons conspicuum, sublimemque gradum, & gloriæ claritatem. Iure igitur de quocunque ad sacerdotium assumpto dictum illud sit, [Non potest ciuitas abscondi, supra montem posita.]

Num. 20.

Matth. 5.

FINIS LIBRI TERTIIDECIMI.




SANCTI



SANCTI CYRILLI ARCHIEPISCOPI ALEXANDRIAE

DE ADORATIONE IN SPIRITV ET VERITATE



LIBER QVARTVSDECIMVS.

Eos qui adire Ecclesias volunt, puros atque a peccati labe ablutos Deo assistere oportere.



E tabernaculo igitur ac sacerdotibus leuiticoque ministerio satis mihi sane dixisse ac subtiliter considerasse videor. Decet autem eos quammaxime, qui recte viuere student, & Christianæ conuersationis summum decorem veluti coronam quandam suis capitibus imponere, alacriter sese mutuo cohortari dicentes, [Venite & ascendamus ad montem Dei, & ad domum Dei Iacob, & annunciabit nobis viam suam, & ambulabimus in ipsa:] cum aliqui, adeo præclara atque vtili voce percepta, A

Esai. 2.

Psal. 121. propemodum exultent dicentes, [Lætatus sum in iis, qui dixerunt mihi, in domum Domini ibimus.] Properantibus igitur ad domum Dei, Palladi, quidnam est propositum, quoue eorum animus spectat? & quid efficere cupientes, ad sacrum diuinumque tabernaculum pergunt? PALLAD. Istud vero, Cyrille, minime obscurum: scriptum est enim; [Adorate Dominum in aula sancta eius.] &, [Tollite hostias & introite in atria eius.] CYRILL. Vt igitur offerant pro se ipsis hostias, nimirum spirituales, & per spiritualem adorationem ad Deum accedant, ideo nonnulli ingrediuntur in domum Dei, & in atria eius? PALLAD. Ita censeo. CYRILL. Quid ergo? putandumne est, qui adire velint, eos temere irruere debere, nondum peccatorum maculis ablutis, nondum detestabilibus vitiis abiectis, nondum abrasis quodammodo sordibus carnalis cupiditatis, sed animum vitiorum notis inustum, & ærugine cor infectum habentes? Minime vero; sed potius Christiano splendore decoratos, & virtutis Deo gratissimæ multiformi pulchritudine fulgentes. PALLAD. Sane quidem: censeo namque in conspectum Domini esse ve- B

Psal. 95.

A se veniendum, omnibus maculis nostrarum cogitationum prius absterfis. CYRILL. Recte putas: id enim & odiosum hominem, qui iis vitiis laborat, efficit, & dignum qui reiiciatur, & a cœtu sanctorum excludit. Quod cum optime animaduerteret beatus Paulus scribit, [Auferte malum a vobis ipsis;] neque vero id ex inhumanis ferisque moribus profectum puto, sed sapientis fuisse cautionis inuentum; [Modicum enim fermentum, inquit, totam massam corrumpit.] Hoc idem rursus lex sacra per ænigma nobis adumbrauit: scriptum est quippe in Numeris, [Et locutus est Dominus ad Moysen dicens, Loquere ad filios Israel, & emittant e castris omnem leprosum, & omnem, qui fluxum seminis patitur, & omnem immundum in anima; a masculo vsq. ad feminam, emittite extra castra, & nō polluent castra sua, in quibus ego versor in illis: & fecerunt sic filij Israel.] Nonne igitur verissime dici potest grauem esse nimium, ac difficile perferri posse sarcinā Legis? intelligis enim vt inuoluntariis B morbis pœnam constituerit: quamuis miserandi potius essent, qui eiusmodi calamitatibus tenerentur: quid enim caussæ fuit; dubitauerit fortasse, nec abre, quispiam, cur domo excluderet atque reiiceret leprosum, cumque præterea, qui seminis fluxu laboraret, & immundum in anima? PALLAD. Equidem nequeo intelligere. Sed id tu fortasse explicabis. CYRILL. Arbitror igitur concretas corporeasque res haud maximæ curæ Deo fuisse, cum diuinum nobis spiritualemq. cultum præscriberet: nam, quæ præter Legem fiunt, & quæcunq. ab eo, quod deceat, egredi videntur, ea censuerim supplicio esse pœnæq. obnoxia: corporeus vero morbus nulla ratione legibus aduersatur: ideoq. etiam a crimine longissime aberit, neque a quoquam vlla ex parte accusari poterit: quid enim? non cuiuis liquet, ægrotare quidem sponte neminem, sed omnes bonam valetudinem rem exoptatissimam putare? PALLAD. verum est. CYRILL. Ergo, etiamsi nonnihil indecorum continere videantur historiæ C verba, nihil tamen erit, quod offendat, si spiritualia recte ad Legislatoris voluntatem atq. sententiam dirigantur. Lepra igitur est morbus, quo caro emoritur, isque morbus maxime membra depascitur. Itaque beatus Moyses cum ipsius soror Maria lepra esset infecta, timore perterritus, & perculsus animo, rogabat dicens, [Deus, obsecro te, sana illam:] ait enim, [Ne fiat sicut abortiuum, quod egreditur ex vulua matris, & deuoret dimidium carnium eius.] Seminis vero fluxus quale malum sit, quid attinet dicere? nemo enim ignorat. Sed quod nonnulli immundi sint in anima, id einsmodi quiddam significat: mortuum contingere, & ad cadauer propius accedere; immunditiæ loco apud veteres ex Lege habebatur; in quo mortalitatem rem esse Deo detestabilem, qui omnia viuificare potest, Lex indicabat: quinetiam alia quoque ratione eam rem ad mentis animique interitū tamquam in rudiore figura significandū accipiebat: mortuus autem & extinctus est animus, cui peccata placent, & qui omnibus præclaris vi D tæ actionibus caret: sed, si acciderat, vt aliqui morerentur, prorsus necesse erat, vt propinqui & cognati conuenirent, & ei iusta ex more facerent: verum hi quoque immundi erant iuxta Legem, non summo tamen atque perpetuo immūnditiæ genere: erat enim illis quidam purgationis modus. Habes historiæ explicationem eiusmodi, vt fit satis. PALLAD. Sane quidem. CYRILL. Agedum igitur, illam ad spiritualem intelligentiam conuertendo, dicamus, leproso significari nobis illum, qui variis adolescentiæ vitiis veluti notis est compunctus; ea porro sunt opera carnis, quæ nobis ille idem sapientissimus vir Paulus enumerauit dicens, [Fornicatio, immunditia, idololatria, inimicitiæ, contentiones, iræ, inuidiæ.] Alter vero ille seminis fluxu laborans, eum significat, qui semper atque intemperanter in inquinamentis versatur,

1. Cor. 5.

Ibidem.

Num. 5.

Num. 9.

Galat. 5.

illamque naturæ habilitatem ad virtutis laudandarumque actionum fecunditatem incassum consumit. PALLAD. Quale istnd est, quod ais? CYRILL. Longum sane esset, de vniuersis dicere: sed vno interim perspicuo & euidenti, ad ea, quæ dixi, demonstranda vtar exemplo. Qui animo sunt ingenuo, &, vt ita dicam, expolito, si illum adiecerint ad dicẽdum differendumq. de veritate, nonne illam rectorum ac verorum dogmatum venustatem tamquam fructum non mediocriter admirabilem assequentur? PALLAD. Sane quidem. CYRILL. At qui neque in eo studio sunt, neque id agere curant, sed animum potius ab vtili recta que via detorquent, atque impiorum dogmatum patronum constituunt, aut mundanæ malitiæ administrum reddunt, ij doli atque fallaciæ illum parentem efficiunt, ipsamque naturæ habilitatem ad virtutem in rebus inutilibus perdunt, imaginemque nobis illius feminiflui depingunt, atque in suis moribus ostendunt animi languorem corporali morbo esse persimilem. PALLAD. Recte dicis. CYRILL. Postremo, qui impurus est in anima, eum omnino designat, qui alienæ mortalitatis particeps factus est, & aliorum criminibus præ ignauia inficitur, quem beatus quoque A B

Psal. 49 Dauid alloquitur, [Si videbas furem, currebas cum eo, & cum adulteris portionem tuam ponebas:] vt enim, ea facere, quæ nefas est, animam ac mentem lædit & interimit; sic iis, qui ea faciunt, consentire: eorum vero, qni ipsi faciunt, peccati socius est, qui in eadem est voluntate; neque enim is expers

1. Tim. 5. est vllo modo culpæ. Itaque Paulus, [Te ipsum, inquit, castum custodi neque communices peccatis alienis:] hoc, vt opinor, est in mortuo spiritualiter inquinari. PALLAD. Ita videtur. CYRILL. Recte igitur de congregatione discedere iussit leprosum, & feminifluum, & impurum in anima, neque sanctorum choris inseri permisit eos, quorũ impuritas ægre poterat ablui:

2. Cor. 6 [Quæ enim societas luci ad tenebras? vel quæ pars, inquit, fideli cum infideli?] PALLAD. Periculosum est igitur illotis quodammodo pedibus ire in domum Dei. CYRILL. Periculosissimum sane; si quidem illud verum est, non impune licere Deum offendere. Alios quoque ab atrio sancto excludit in C

Deut. 23 Deuteronomio dicens, [Non ingredietur collisus & exectus in ecclesiam Domini; non ingredietur de scorto natus in ecclesiam Domini; non ingredietur Ammonites & Moabites in ecclesiam Domini, & vsque ad decimam generationem non ingredietur in ecclesiam Domini, & vsque in sæculum, eo quod non occurrerint vobis cum panibus & aqua in via, cum egrederemini de Aegypto, & quia mercede conduxerunt aduersum te Balaam filium Beor de Mesopotamia, vt malediceret tibi, & noluit dominus Deus tuus exaudire Balaam, & conuertit dominus Deus tuus maledicta in benedictionem, quia dilexit te dominus Deus tuus: non loqueris ad illum pacifica, neque illis vtilia omnibus diebus tuis in sæculum.] PALLAD. Quis vero intelligi possit collisus & exectus, Ammonites etiam ac Moabites, libenter audierim. CYRILL. Accipe igitur. Non vnus est modus, quo eunuchi fiunt, Palladi, sed duobus modis fieri dicuntur, atque compertum est; alij namque execti sunt, quibus adempta sunt virilia; alij eadem contusa prorsusq. inutilia adhuc ferunt: teterrime autem atque nefarie abscinditur nonnunquam pars illa corporis, ad liberos procreandos a natura constituta, ex qno inertes euadunt ad viri officia, quamuis inter viros natura atq. habitu corporis censeantur: sunt autem eæ viri partes virtutis atq. fortitudinis signum. Igitur collisum eum esse existimandum est, cui mens atque animus non sit prorsus ademptus, sed contusam potius virtutem ad recte faciendum in se ipso retineat: exectum vero, qui hæc penitus amiserit, iisque careat, quæ sunt virorũ maxime propria. Par est autem crimen quodammodo, D

A modo, & nulla in re prorsus viriliter se gerere velle, & non plene atque integre se virum præstare. PALLAD. Quale tandem istud est quod ais? CYRILL. Resupini quidam in carnalibus desideriis iacent, atque illis totas habenas laxant, animumque languentem & effeminatum ad intemperantes voluptates abiiciunt; alij contra temperantiam admirantur, & præclaros ad eam rem conatus nonnunquam parant, sed tamen repugnātiam pertimescunt; ac voluptatis impetum non ferentes, ad ignauiam vergunt. Nonne igitur, qui prorsus viriles conatus abiecerit, eum iure appellabis abscissum? qui vero habet quidem in animo viriliter gerendi voluntatem, non tamen etiam perficere virtutem potest; hunc collisum existimabis, corporisque vitia apte ad morum qualitatem transferes, & rerum spiritualium atque occultarum imaginem in iis, quæ sensu percipiuntur, accipies? PALLAD. Maxime vero. CYRILL. Cum his vna Ammonites & Moabites exclusi sunt, tamquam

B impij & execrandi, & qui leonum instar sanctos viros inuadant; & in eos, qui se laudabiliter gerere soliti sint, inuidiæ & obtrectationis tela coniiciant. Sunt autem Ammonitæ hæreticorum, humanitatis expertium figura; Moabitæ vero eorum, qui adhuc in idololatriæ errore versantur, & nequitiæ Dæmoniorū subiecti sunt: vtrique enim Deo sunt odio, & aduersus sanctos cognata similique audacia feruntur. PALLAD. Quod dicis, non satis intelligo. CYRILL. Intelliges probe, & quidem breui. Ammonitæ namque ex Esau nati, propinqui & consanguinei filiorum Iacob, idest, Israelitarum erant; sed qui ex Esau genus ducebant, nescio quonammodo omni cogitatione generis abiecta, cognationis mores ementiti sunt, & asperi ac duri aduersus propinquos & consanguineos, idest, aduersus Israelitas deprehensi: cum enim illi ex Aegypto profecti, Ammonitarum regionem præterirent, eius terræ habitatorem, vtpote qui frater esset, rogabant, vt sibi pertransire permitteret, & sui, qui

C iniuria violati essent, misericordiā caperet: ille vero minime permisit; non permisit, dico? immo vero in armis fuit, & bellum suscepit, grauissimaque illos affecisset iniuria, nisi Israel diuino oraculo admonitus declinasset: Scripturæ porro verba sic habent, [Et misit Moyses nuncios de Cades, ad Regem Edom dicens, Hæc dicit frater tuus Israel, Tu scis omnem laborem, qui inuenit nos: & descenderūt patres nostri in Aegyptum, & habitauimus in Aegypto diebus pluribus, & afflixerunt nos Aegyptij & patres nostros; & clamauimus ad Dominū, & exaudiuit Dominus vocem nostram, & misit angelos, & eduxit nos ex Aegypto; & nunc sumus in vrbe Cades, ex parte confinium tuorum; pertransibimus per terram tuam; non pertransibimus per agros tuos, neq. per vineas tuas, neque bibemus aquam de lacubus tuis; via regia gradiemur, non declinabimus ad dexteram aut ad sinistram, quoad prætereamus terminos tuos. Et dixit ad eum Edom, Non transibis per me; alioqui ad pugnam exibo in occursum Num. 20.

D tuum:] & post alia, [Et exiit Edom in occursum eius cum turba multa, & in manu valida; & noluit Edom concedere Israel, vt pertransiret per terminos suos; & declinauit Israel ab eo.] An non hæc verba perspicua sunt & clara? PALLAD. Non satis quidem. CYRILL. Quid enim? non intelligis, quemadmodum eos, quamuis propinquitatis habitu coniuncti essent Israelitis, tamen inhumanos ac duros nihilque a feris belluis fuisse diuersos, ipsæ res gestæ coarguerint? etenim, cū illos in labore ac sudore positos tamquam fratres miserari debuissent, exierunt vt illos oppugnarent. Ideo Lex inquit, Non ingredientur in ecclesiam Domini, eo quod non occurrerint ipsi vobis cum pane & aqua, cum egrederemini de terra Aegypti; idest, propter eorum nimiam immanitatem ac feritatem, quæ vsque ad nefarios mores progressa est. Tales au- Deut. 23.

tem in nos, qui recto fidei itinere incedere instituimus, hæreticorum populos ac principes esse videre licet: nam quod ad vnius ac solius Dei Patris agnitionem ac fidem in Filium ac Spiritumsanctum attinet, quamuis non prorsus integrã; videntur illi quidẽ etsi falso, quasi fratres nostri esse, & sensu degeneri coniunctionem generis retinent; at, vbi in persecutionibus versamur, nullam opem ferunt, immo vero sua insuper malignitate nos onerant: [Nam ex nobis exierũt, sed non erant ex nobis,] vt scriptum est: [Si enim fuissent ex nobis, permansissent vtique nobiscum.] Quos ipse Saluator, vt pote qui fucatam habeant probitatem, non tamen ea facere soleant, quæ ad eius gloriam pertinent, alloquetur, & merito quidem illis verbis, [Qui non est mecum, contra me est; qui non congregat mecum, dispergit.] An non videntur Ammonitis esse persimiles illæ Deo inuisæ hæreticorum officinæ, cum contra fas inhumanitatis & impietatis vitio laborent? PALLAD. Maxime quidem. CYRILL. Vide etiam Moabitas, si placet, qui solum & natura & vere Deum colentibus acerbissimos hostes aperte præbent: erant enim idolorum cultores; cumque diuinationibus atque incantationibus præcipue confiderẽt, & circa volatus auium non mediocriter intenti essent, cumque Israelitarum secundis rebus offensi dentibus frenderent, conduxerunt Balaam, & vt eis malediceret, compararunt: sed ineffabili Dei virtute, os illius diuini ad benedicendum, quod illi minime volebant, immutatum est. Tale est Gentilium aduersum nos bellum, Saluatoris nostri gloriæ inuidentium, omnesque Diaboli vires in nos commouentium, quas diuina illa supernaque gratia prosternit, dum in Dæmonum gregem ignauiam immittit, & insidiosos mores in id transfert, quod nobis lætitiam afferre possit. PALLAD. Sane quidem. CYRILL. Ammonitis igitur atque Moabitis non licet adire Sancta: & merito quidem; quorum enim similes conatus fuerunt, & audacia par, eos æquali pœna mulctari conuenit. Vide autem Legis cautionem: disiungit prorsus ab illis sanctos, imperatque ne vel in eorum congressum, vt ita dicam, atque colloquium veniant, dicens, [Non loqueris cum eis pacifica, & illis vtilia non loqueris omnibus diebus tuis in sæculum.] An non hoc illud plane est, quod nos docuit illud sanctorum hominum par, Paulus & Ioannes? hic enim dixit, [Siquis venit ad vos, & hanc doctrinam non adfert, neque, Salue, ei dicatis:] idque, vt ego arbitror, est: Non loqueris cum illo pacifica, &, neque loqueris ei vtilia. Ille vero, [Hæreticum hominem post vnam & alteram correptionem deuita, sciens quia peruersus est huiusmodi,] hoc est, Non loqueris ei vtilia: Oportet enim, Lex inquit, hominibus nimium peruersis tamquam furiosis de via concedere, dicentes, [Ite in lumine ignis vestri, & flamma, quam vos accendistis.] Sed Ammonites quidem vsque ad tertiam generationem excluditur, Moabites vero vsque ad decimam: qua in re a tempore, vt ego sentio, magnitudinem indignationis, qua vtrosque prosequeretur, Deus insinuauit: minor est enim, vt consentaneum est, hæreticorum pœna: licet enim de illis dicere, quod est proculdubio de Iudæis dictum, Testimonium enim illis perhibeo, quod zelum Dei habent, sed non secundum scientiam: nam, cum se recte dicere, ac sapientes esse putent, non aduertunt miseri se veritatis dogmatis repugnare; cumque ficto zelo teneantur, se Dei gloriæ patrocinium suscepisse putant, in eo quod cum recte sentientibus bellum gerunt. At vero Moabitæ, id est, Gentilium turmæ ex aperto ac palam nihilque prorsus reformidantes, cum Dei gloria pugnant: ideoq. Lex grauiorẽ eis pœnam imposuit. Vtriq. tamen a sacris ædibus, vt profani, Deoque inuisi reiiciuntur. PALLAD. Igitur non sine damno est, quod ad inquinationis contagionem pertinet, cum exteris, & diuersa sentientibus vel in congressum venire

Margin notes: 1. Ioan. 2 (beside "runt, immo vero"); Matth. 12. (beside "tur, & merito"); 2. Ioan. (beside "num par"); Tit. 3. (beside "Non loqueris cum illo"); Esai. 50. (beside "hominibus nimium"); Rom. 10. (beside "dictum, Testimonium"). Section letters A, B, C, D in right margin.

A venire. CYRILL. Rectissime sentis. Itaque Lex etiam eos qui abluti sunt ac puri, ob eamque caussam Dei familiares effecti, ab illorum execrandis sordibus disiungit, dicens, [Et erit, cum inducet te dominus Deus tuus in terram, in quam ingrederis, vt possideas eam, & sustuleris gentes magnas & multas & fortes, a facie Gethæorum, & Pherezæorum, & Euæorum, & Iebusæorum, & Gergesæorum, & Amorrhæorum, & Chananæorum, septem gentes magnas & multas, & fortiores vobis, & tradet eos dominus Deus tuus in manus tuas, & percuties eos, destructione destrues eos: non iunges cum eis fœdus, neque misereberis illorum, neque affinitate iungeris cum eis: filiam tuam non dabis filio eius, & filiam eius non accipies filio tuo: abducet enim filium tuum a me, & colet Deos alios.] Cauta est ergo Lex ac prouida, Non iunges, inquit, fœdus cum eis; neque enim conuenire atque connecti possunt cum sanctificatis, qui adhuc profani sunt: cum illuminatis, qui in caligine tenebrisque *Deut. 7.*

B versantur; cum iis qui recipiuntur, ij qui reiiciuntur; cum iis qui sacrum diuinumq. tabernaculum ingrediuntur, ij qui ab eo repelluntur. PALLAD. Sed quænam est isthæc Legis cautio atque prouidentia? quæ porro caussa est, quamobrem seiungat, idque in vniuersum, a puro profanum; quamuis ille præcipua virtute sit? CYRILL. Quia formidandum sane est, Palladi, ne, qui rectus stare videtur, ad ea impellatur, quæ minime conueniunt, & ab eo quod decet, detorqueatur, aliqua re victus, aut titillante voluptate, aut momentis naturæ insitis ad peccandum depressus: semper enim illa fere in vitium vergit. Cuius rei diuinus quoque sermo testis est locuples, [Diligenter enim, inquit, incumbit cogitatio hominis ad mala ab adolescentia.] Ad eamque rem plane demonstrandam afferam, si placet, quæcumque illam ex Iacob parente natam perpessam fuisse, sermo est. PALLAD. Dinam videlicet intelligis; sic enim puto. CYRILL. Maxime, inquam, Palladi, sic enim scriptum est in *Genes. 8.*

C libro Geneseos, [Et venit Iacob in Salem ciuitatem Sicimorum, quæ est in terra Chanaan, cum aduenit de Mesopotamia Syriæ, & applicuit ad faciem ciuitatis, & emit partem agri, in quo statuit illic tabernaculum suum, ab Emor patre Sichem centum agnis, & statuit ibi aram, & inuocauit Deum Israel. Et egressa est Dina filia Liæ, quam pepererit ipsi Iacob, vt cognosceret filias indigenarum; & vidit eam Sichem filius Emmor Euæus princeps terræ, & accipiens illam; dormiuit cum ea, & humiliauit eam, & adhæsit animo Dinæ filiæ Iacob, & amauit virginem, & locutus est illi secundum sensum virginis.] Vide igitur eam vsque eo castam fuisse, & virginitatis ornamenta retinuisse, dum in tabernaculo patris versata est & habitauit, in quo ille inuocauerat Deum Israel, & altare augustum erexerat: vbi vero de paterno tabernaculo exiuit, sacroque loco relicto, cum exteris est mulieribus congressa, illico ad incestum, eius contumeliæ insueta, vi perducta est; neque amplius virgo fuit, aliorumque li- *Genes. 34.*

D bidines inuita quidem a principio subiit; deinde vero sic animo affecta est, vt cum suo violatore versari vellet: Locutus est enim, inquit, illi secundum sensum virginis. PALLAD. Ita est. CYRILL. Igitur, posteaquam hoc factum sensibus expositum ad imaginem rerum spiritualium repræsentandam proposuimus, age iam dicamus, animam, dum egregiam viuendi rationem tamquam diuinum quoddam tabernaculum incolit, castam esse & puram, & ab omni turpitudine alienam: quod si quopiam exierit, & ad filias alienigenarum perrexerit, idest, si exquisierit inspexeritque mundanorum hominum vitam, mens illa eius ingenua & nobilis corrumpetur: neque enim fieri potest, vt, qui præclarum vitæ genus tenere proposuerint, ij sine damno ac iactura cum improbis versentur. At vero diuinũ illum Dauid nunquam deprehendimus extra

sacrum tabernaculum prodire velle; quin, vt sibi liceret illud assidue incolere, A
Psal. 26. neque ab eo longius habitare, precatum esse, cum diceret, [Vnam petij a Domino, hanc requiram, vt inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ, vt videam voluptatem Domini, & visitem templum sanctum eius: quoniam abscondit me in tabernaculo suo in die malorum meorum, protexit me in occulto tabernaculi sui.] In quibus certe verbis diuinum sacrumque tabernaculum, vt ego interpretor, firmitatem ac stabilitatem sanctæ conuersationis intellexit, in quam vbi se quodammodo abdidisset, a vitiis, quæ deprædari cuperent, capi non posset. PALLAD. Ita videtur. CYRILL. Quid porro? nonne clarius ac verius cuiuis discere licet, maculas omnium turpissimas inuri iis quoque, qui firmi esse creduntur, ex illa cum alienigenis consuetudine, si Salomonis vitæ exitum ad fidem huic rei faciendam attulerit, quique illi casus euenerint in ipso termino senectutis? PALLAD. Quo tandem modo? CYRILL. Erat enim adeo clarus ac nobilis, vt cum eius gloria nemo æquari posset; transiuit porro ad turpitudinem, immo vero præ ignauia in B summam in Deum impietatem prosiluit: sic autem se res eius gestæ habent:
3.Reg.10. scriptum est enim in tertio Regnorum libro, [Et magnificatus est Salomon super omnes reges terræ diuitiis & prudentia, & omnes reges terræ quærebant faciem Salomonis, vt audirent prudentiam eius, quam dederat Dominus in corde eius.] Sed hunc virum adeo clarum ac nobilem, & vsque eo in sapientia progressum, vt apud gentes quoque longissime remotas, in summa admiratione esset, mulierum improbarum amor euertit, & ab ipso Dei tabernaculo propemodum expulsum, in idololatriæ foueas deiecit: sic namque de eo scri-
3.Reg.11. ptum est, [Et Rex Salomon erat mulierum amator: & accepit vxores alienigenas, & filiam Pharaonis, Moabitidas & Ammonitidas, Idumæas, & Syras, Cethæas, Amorrhæas, ex gentibus, de quibus singulis interdixit Dominus filiis Israel, Non ingrediemini ad eos, & ipsi non ingredientur ad vos, ne decli- C nare faciant corda vestra post idola sua: cum illis iunctus est Salomon amore: & erant ei vxores principes septingentæ, & concubinæ trecentæ: & factum est in tempore senectutis Salomonis, declinare fecerunt vxores alienigenæ cor eius post deos alios; & non erat cor eius perfectum cum domino Deo suo, sicut cor Dauid patris eius: & ambulauit Salomon post Astarten abominationem Sidoniorum, & post regem eorum idolum filiorum Ammon; & fecit Salomon malum in conspectu Domini, & non ambulauit post Dominum, sicut Dauid pater eius,] Nonne ingemiscere dignum est in eo, cui talia mala accidisse dicuntur? ille, qui celeberrimum illud templum Hierosolymis extruxe-
Sapient. 9. rat; ille, qui diuinarum sedium assestricem sapientiam petierat; ille, de cuius sapientia summa erat omnium vsque ad ipsos orbis terrarum terminos admiratio; ille, qui velut Lucifer per vrbes ac regiones illustris erat, turpium mulierum amore victus, & impurissimæ voluptatis assecla, in eam stultitiam D lapsus esse deprehenditur, vt ipsam quoque in Deum pietatem pro nihilo duceret. Periculosum est igitur proculdubio cum alienigenis in congressum venire; grauissimum vero in primis carnis voluptate superari; impurusque est eiusmodi homo, & Deo, qui purissimus est, inuisus: cumque sit a virtute vacuus, sacrum diuinumque tabernaculum non ingredietur vnquam, neque hostiam
Deut. 23. afferre acceptabilem poterit: scriptum est enim in Deuteronomio, [Non erit meretrix de filiabus Israel, & non erit fornicans de filiis Israel, & non erit telesphoros de filiabus Israel, neque teliscomenos (vt græce dicitur) de filiis Israel: non offeres mercedem meretricis, neque commutationem canis in domum domini Dei tui ad omne votum: quia abominatio est domino Deo tuo vtrum-

A vtrumque.] PALLAD. Seuera ſane lex, & in primis vtiliſſima. CYRILL.
Præclare ſane, Palladi, recte enim ſentis. Sed magis adbuc, niſi fallor, mirabere,
ſi animaduerteris illam, vt lubricum iter ac præceps in voluptates prorſus coerceret,
impudicum & intemperantem repellere: vide enim vt iis, qui
voluntariam ſponteque ſuſceptam turpiſſimam impuritatem exercent, atque
etiam iis, qui ad eam rem alios tamquam vi coactos perducere conſueuerunt,
aperte proteſtetur, & per ea, quæ fieri prohibet, cautiores reddat, efficiatque
vt ægre reſponſionem vllam comminiſci poſſint, quæ ſit ad defenſionem ſatis.
Non enim poſthac ignorantia in culpa erit, ſed ignauiæ iam contumaciſque
animi crimen. PALLAD. Quomodo tandem? CYRILL. Quid? nonne
ſua ſponte nonnulli ad ſcortandum veniunt? mulierculæque & pueri, dum
ſponte quæſtum faciunt, quorundam intemperantiæ formam ſuam venalem
B habent? PALLAD. Certe. CYRILL. Quid præterea? nonne turpis
lucri cupiditate vincuntur alij, cum ſuas ancillas aut coemptos pueros alienæ
libidini proſtituunt, ex iiſque argentum exigunt miſeri? de quibus ait Propheta,
[Et puellas vendebant pro vino, & bibebant:] compertum eſt enim ad eum *Ioel 3*
vſque impuritatis & nequitiæ gradum progredi quoſdam, vt audeant interdum
ab eiuſmodi quoque turpibus flagitiis nefarie quaſi vectigal exigere.
PALLAD. Intelligo. CYRILL. Igitur ſcortantur nonnulli quidem
ſponte, quod ipſi ab honeſtate refugiunt, ac deinde ad flagitium ex animi ſui
ſententia pergunt. Teleſphori autem ſunt, qui tributum aliis tamquam coacti
pendunt, & illam ex intemperantia mercedem dominis emptoribuſque ſuis
colligunt. PALLAD. Recte dicis. CYRILL. Prohibet itaque Lex
hanc turpitudinem vbique, & qui hoc crimine teneatur, impium iudicat, & excludit
a ſacro tabernaculo, faſque illi non eſſe, vt ad altare diuinum accedat,
illico pronunciat, eius victimam repudiandam dicens, ac votum minime acceptum
C ceptum fore: verum eſt enim illud, non eſſe pura vota e ſcorti mercede. Atque *Prouer. 19*
autem inuiſam & quammaxime execrandam ducit commutationem canis: canem
porro, vt opinor, appellat hominem ad impuritatem procliuem, & adeuntibus
nullo diſcrimine expoſitum: commutatio vero canis eſt, quod illi pro
ſe offertur ac datur. Lex igitur clamet, [Non erit meretrix de filiabus Iſrael, & *Deut. 23*
non erit fornicans de filiis Iſrael.] Paulus quoque vir ſapientiſſimus ſimul inſonet
atque clamet, [Fugite fornicationem: omne peccatum, quodcunque *1. Cor. 6.*
fecerit homo, extra corpus eſt; qui autem fornicatur, in corpus ſuum peccat.]
Eos item, qui ad temperantiæ laudes fortiter currunt, ad res quoque præſtantiores
expetendas vocet; ait enim iterum, [Obſecro itaque vos, fratres, per *Rom. 12.*
miſericordiam Dei, vt exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viuentem, ſanctam,
placentem Deo, rationabile obſequium veſtrum, & nolite conformari huic
ſæculo, ſed reformamini nouitate ſenſus veſtri, vt probetis, quæ ſit voluntas
Dei bona & beneplacens & perfecta.] An vero non eſſe cenſes hoſtiam plane
D ſanctam, ac reuera puriſſimam, illam turpium vitiorum abiectionem? PALLAD.
Ego vero cenſeo: cur enim negem? CYRILL. Ac de nobis & cum
a carnali voluptate recedimus, lætatur Deus; & cum ad ignauiam declinamus,
moleſte fert; & carni ſuccumbere volentibus, pœnas irrogat: nam impellit
nonnunquam etiam vt Deum deſeramus feruens illa & effuſa voluptas; idque
verum eſſe, mox oſtendet, quod de Salomone ſcriptum eſt. Sed ante hunc in
idem vitium prolapſus eſſe Iſrael in eremo deprehenditur: ſcriptum eſt enim,
[Diuertit populus in Satim, & profanatus eſt populus, vt ſcortaretur cum *Num. 25.*
filiabus Moab; & vocauerunt eos ad ſacrificium deorum ipſorum; & comedit
populus de ſacrificiis eorum; & adorauerunt idola eorum; & initiatus eſt Iſrael
Beelphe-

Beelphegor: & iratus est ira Dominus in Israel: & dixit Dominus Moysi, Accipe principes populi, & ostenta illos Domino contra solem, & auertetur ira furoris Domini ab Israel.] Vides ad indignationem quodammodo incitari, & propemodum in iracundiam non voluntate susceptam impelli a nobis diuinam illam benignissimamque naturam? pecudis quippe proprium est insanire libidine ad mulierum formas, ac nefarium sane facinus, pietatem in Deum audere cum intemperanti voluptate commutare. Ob eamque caussam ostentantur Deo contra solem, idest, a rectis stipitibus suspenduntur ad Orientem versis: eratque id apud eos supplicij genus, tantum non ea figura proclamante, vocemque mittente, oculum illum Iudicis omnia intuentem, & qui falli non potest, neminem, qui huiusmodi culpis irretitus sit, effugere posse, aut A

Esai. 66. impune ferre; sed propositum fore, vt inquit Propheta, ad visionem omni carni, grauissimasque eorum, quæ peccauerit, pœnas daturum. PALLAD. Igitur palam & tamquam sub Dei oculis puniri, id appellat, ostentari contra solem. CYRILL. Sane quidem. Neque vero hæc verba a nostro proposito sunt aliena: scortantibus porro vel iis, quorum pudicitia stuprata est, tam turpis tamque impuræ vitæ rationes Deo esse reddendas, ac perspicua illi esse, quæ latent, ac fore vt aperte cognoscantur, quæ in quoque homine sunt, alia B

Num. 5 quoque lege nobis adumbrauit: scriptum est enim in Numeris, [Et locutus est Dominus ad Moysen dicens, Loquere filiis Israel, & dices ad eos, Si vxor cuiuspiam viri præuaricata fuerit, & contempserit eum spernens, & dormierit quispiam cum ea concubitu seminis, & latuerit ab oculis viri eius, & celauerit, ipsa vero inquinata fuerit, & testis non fuerit cum ea, nec ipsa deprehensa fuerit; aut venerit super eum spiritus zelandi, & zelatus fuerit vxorem suam; ipsa vero inquinata non fuerit; ducet homo vxorem suam ad sacerdotem, & afferet donum pro ipsa, decimam partem ephi, farinæ ordeaceæ; non infundet super eam oleum, neque imponet super eam tus; est enim sacrificium zelotypiæ; sacrificium memorialis commemorans peccatum: & adducet eam sacerdos, & statuet ante Dominum, & sumet sacerdos aquam puram viuam in vase testaceo, & ex terra, quæ est in pauimento tabernaculi testimonij; & sumens sacerdos infundet aquam, & statuet sacerdos mulierem coram Domino; & deteget caput mulieris, & dabit in manus eius hostiam memorialis, hostiam zelotypiæ, in manu vero sacerdotis erit aqua argutionis, quæ maledicitur hæc; & adiurabit illam sacerdos, & dicet mulieri, Si non dormiuit quispiam tecum, si non præuaricata es, vt inquinareris sub viro tuo, immunis esto ab aqua argutionis quæ maledicitur hac: si vero præuaricata es, cum sub viro esses, si inquinata es, & dedit quispiam concubitum suũ in te præter virum tuum: & adiurabit eam sacerdos adiurationibus execrationis huius, & dicet sacerdos mulieri, Det te Dominus in maledictum & in execrationẽ in medio populi tui, vt det Dominus femur tuũ decidere, & ventrem tuũ inflari; & ingredietur quæ maledicitur hæc in ventrem tuum, vt inflet ventrem tuum, & excidat femur tuum. Et dicet mulier, Fiat. Et scribet sacerdos has execrationes in libellum, & delebit in aquam redargutionis maledictam, & ingredietur in eam aqua maledicta redargutionis: & sumet sacerdos ex manu mulieris hostiam zelotypiæ, & imponet hostiam coram Domino, & afferet eam ad altare & pugillũ capiet sacerdos de hostia memoriali eius, & offeret super altare, & posthæc potabit mulierem illa aqua: & erit, si illa fuerit inquinata, & latendo latuerit virum suum, ingredietur in eam aqua redargutionis maledicta, & inflabitur ventrem, & intercidet femur eius, & erit mulier in execrationem in populo suo. Quod si non inquinata fuerit mulier, & munda fuerit, & immunis erit, & seminabit semen.] C D

Atque

A Atque hæc quidem est lex. Ceterum puto beatum Paulum, cum hotum verborum ambitum diligenter in paucas sententias optime contulisset, illa scripsisse, [Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt ibi recipiat vnusquisque propria corporis, iuxta ea quæ fecit, siue bona siue mala.] PALLAD. Recte quidem putas hæc dicta esse: tamen de singulis iis, quæ præcepta sunt, enucleatius differas velim. CYRILL. Mulierem de adulterio suspectam, si crimine laborat, quod coargui non potest, duci ad sacerdotem iubet, atque ante Dei conspectum sisti; idque, vt opinor, est, fore vt omnes adstemus Christo: deinde donum offerri pro illa, hordeaceam farinam, non ture respersam, non oleo litam; hostia enim zelotypiæ est, commemorans peccatum. Perspicuum itaque est ex vniuscuiusque vita velut odorem quendam ad Deum ascendere, qui remissos & eneruatos præ inertia homines de absurdissimis factis accuset, contraque de eorum integritate testimonium ferat, qui vt recte viuerent, summopere elaborarunt. Quamobrem dicimus, & merito quidem, eorum dona, qui in suspicionem non venerunt, similam ex tritico habere, adiecto ture, oleo quoque infuso; illam enim homine dignam vitam, cuius imaginem simila illa ex tritico gerit, omnino sequitur, vt pro suaui odore & hilaritate apud Deum virtutis amantem habeatur: degeneris autem vitæ, ac pecude dignæ signum est, & quidem apertissimum, hordeacea farina: pecudi namque congruentior est, non homini conueniens illa cupiditatis intemperantia, & ad turpissimas voluptates effrenata libido; eam ob caussam hordeaceam farinam Deo illa, quæ de vita degeneri accusabatur, mulier offerebat, sine ture & oleo, idest, sine suaui odore & hilaritate: hostia namque est commemorans peccatum. Vbi autem commemoratio est peccati, ibi quomodo aut vndenam hilaritas? neque enim reus in iudicium vocatus in spe coronarum est, sed in supplicij ignisque metu. Adhæc detecto capite mulier ad iudicem ducitur, idest, non consueto decentique ornatu: & quænam est huius rei ratio? dedecoris namq. crimen est, & turpitudinis accusatio: recordare vero mulierẽ aperto capite orare Deum a Paulo Legis peritissimo non permitti, cũ velari eam debere, ex ipsa naturæ lege ducto argumento probet; [Nam comæ, inquit, ei pro velamine datæ sunt.] Non ergo decenti ornatu mulier erat, quæ de indecenti crimine accusabatur. Alia quoque ratione detecta erat; nam in oculis Iudicis omnia nuda sunt, neque latere eum quisquam potest, qui scrutatur corda & renes, quique prophetæ voce sic loquitur, [Deus propinquans ego sum, dicit Deominus, & non Deus de longe: num a me abscondetur aliquid?] Ceterum Christum esse, qui iudicat, iterum per ænigma demonstrat: aquam enim viuentem ac puram inquit oportere in vas testaceum iniici, atque etiam de terra, quæ esset in tabernaculo. Deinde, execrationis verbis aqua dilutis, bibere iussit mulierem, quæ in adulterij suspicionem venisset: ac, Si quidem eo crimine tenetur, inflabitur, inquit, ventrem, & decidet eius femur; sin a crimine aliena sit, falsaque de illa suspicio, seminabit semen. PALLAD. Quænam est horum verborum significatio? aut quomodo nobis per ea nomina, quæ iam dicta sunt, Christus significatur? CYRILL. Per aquam quidem viuam atque puram Verbum Dei viuificans intellige, illud plane purum, & peccati prorsus expers, quod in carne fuit tamquam in vase testaceo; carnem enim pulverem ac de terra esse, quomodo aut vndenam esse potest ambiguum? per terram vero de tabernaculo sumptam, eum accipe, qui propter nos mortem obiit; hominis nanque naturæ dictum est, [Terra es, & in terram ibis.] Per execrationis autem verba, eum qui pro nobis factus est maledictum, ex eo quod suspen-

Margin notes: 2. Cor. 5. (beside "vt ibi recipiat"); B (beside "nium ferat"); C (beside "ignisque metu"); 1. Cor. 11. (beside "pro velamine"); Hiere. 23. (beside "dicit Deo"); D (beside "mulierem"); Genes. 3. (beside "Per exe-")

Deut. 21 Galat. 3. suspensus in ligno est, aptissime intelliges: scriptum est enim, [Maledictus omnis, qui pendet in ligno.] Ille igitur Emmanuel, cum Deus sit per naturam, vbi ad humanæ mentis profundum penetrarit, eos quidem, qui criminibus tenentur, arguet ac supplicio afficiet; iis vero minime obstrictos, fecundos reddet: id enim est, vt arbitror, Seminabit semen; cum illa corporis affectio fecunditatem animæ significet. PALLAD. Optime sane dictum. CYRILL. Fornicatio igitur carnisque vitia deprauant hominem, & a Dei Rom. 8. coniunctione repellunt: nam qui in carne sunt, Deo placere non possunt; Carnem vero, vt ego interpretor, carnalem sensum appellat: sic enim Scripturæ verba recte intelliguntur. ad hæc morum etiam improbitas, consuetudinisque immitis habitus, & ad omnia absurdissima lenitas nos impuros & profanos reddit: neque enim aduersus carnalia modo vitia viriliter nos pugnare conuenit, verum etiam benignitate morum excellere, & caritatis in fratres quam studiosissimos conspici, & iustitiæ laudibus ornatos spectari, ac præterea subtilem & expolitam intra nos ipsos mentem habere, quæ de Deo credenda sunt haud peruerse intuentem, & integritatem in dogmatum inquisitione vbique seruantem: eiusmodi namque homines perfecti plane sunt, nihilque iis deest earum rerum, quæ optimæ iudicantur; perfectum enim esse oportere virum 2.Tim.3. Dei, beatus Paulus ait, perfectum porro vocat, qui fit ad omne opus bonum instructus, & ad virtutis munera optime exequenda paratus. An non hoc modo se res habet? PALLAD. Cur negem? CYRILL. Vide autem quemadmodum Lex figurate ad humanos mores describendos atque demostrandos animantia multa rationis expertia, volatilia atque aquatilia protulerit, vt nobis per mille vias vtilitatem afferret: neque id tibi mirum videatur, cum ipsis quoque stirpibus interdum comparauerit, & a cuiusque naturali qualitate affectiones, quæ nobis singulis insunt, apte designauerit: dixit enim profecto Deus per Esaiæ vocem, eorum qui per Christi fidem ad vitam refloruissent, C Esai. 41. fragrantiam nimirum spiritualem ac virtutum excellentiam insinuans, [Et faciam in deserto aquam viuam, & in terra sine aqua fluuios; & ponam in terra arenti cedrum & buxum & myrtum, & cupressum, & populum:] & iterum, Esai. 55. [Et erit, inquit, pro stœbe ascendet cupressus, pro conyza vero ascendet myrtus:] stœben, vt opinor, & conyzam immites adhuc animos eleganter appellans, & spinæ siluestris specie Dei oculis apparentes. Quin lapidibus Zacch. 9. nonnunquam augustus ille sanctorum cœtus comparatur; [Lapides enim sancti Luc. 13. voluuntur super terram.] Fermento quoque similem esse & grano sinapis regnum cælorum dicebat Saluator. Res igitur humanas diuinitus inspirata scriptura multis & euidentissimis similitudinibus declarare consueuit. PALLAD. Assentior. CYRILL. Illud igitur animaduerte, cum innumera bestiarum genera & volatilium & aquatilium opportune protulisset, alia vt immunda prorsus reiicit, alia rursus admittit, & ab omni accusatione liberat, D vt optime intelligant, qui Deo seruiunt, quæ nam ea sint, quæ si fecerint, reiicientur, quæue ea, a quibus si abstinuerint, procul a maculis erunt, splendidi etiam & accepti, & superni iudicij decreto comprobati. Sic autem habet Leuit. 11. Lex, quæ hac de re lata est, [Et locutus est Dominus ad Moysen & Aaron, Loquimini ad filios Israel dicentes, Has pecudes comedetis ab omnibus pecudibus, quæ sunt super terram; omne pecus diuidens vngulam, & vngues distinguens duarum vngularum, & reducens ruminationem in pecoribus, his vescemini: tamen hæc non comedetis, ab iis quæ reducunt ruminationem, & ab iis quæ diuidunt vngulas, & distinguunt vngulas; camelum, quia reducit ruminationem, vngulam autem non diuidit, immundus est vobis; & chœrogryllium,

A quia reuocat ruminationem, vngulam autem non diuidit; & leporem, quia reducit ruminationem, sed vnguem non diuidit, hic immundus est vobis; & suem, quia diuidit vngulam, & distinguit vngues vngulæ, non autem reducit ruminationem, immundus hic est vobis; de carnibus eius non comedetis, & morticina eorum non tangetis: immunda sunt hæc vobis.] Igitur apertissime quidem Christus ait, [Non quod intrat in os, communicat hominem;] dictum Matth.15. quoque est beato Petro, cum illud linteum quatuor initiis superne dimitteretur, in quo omnia quadrupedia & volatilia depicta erant, [Surge, Petre, macta Act.10. & manduca:] reclamante vero discipulo, & legalem obseruationem adhuc formidante ac dicente, [Absit, Domine, quia nunquam manducaui omne commune aut immundum, neque intrauit in os meum omnis caro profana;] rursum locutus est Deus, [Quæ Deus mundauit, tu ne communia dixeris.]

B Scribit etiam beatus Paulus, [Escа nos non commendat Deo.] Non igitur obscurum est, quin Lex nihil profanum ducat, omnia vero munda mundis esse 1.Cor.8. intelligat. Sed naturalem cuiusque animantis proprietatem cum morum hu- Tit.1. manorum qualitatibus conferendo, non mediocrem vtilitatem affert: esse autem id, quod dixi, verum & exploratum, ex his rursus intelliges; nam quæ apud omnes improbantur, ea respuere & execrari perspicue iussit, camelum dico & chœrogryllium, nycticoracem & catarrhacte & stellionem, & mustelam, & alia his fœdiora. Num igitur parum perspicuum est in iis certe Legislatoris propositum, Palladi? PALLAD. Prorsus perspicuum. CYRILL. Igitur ad morum qualitatem apte transferenda sunt, quæ nonnullis animantibus rationis expertibus secundum naturam insunt, cum ea singula in seipsis quodammodo depingant certorum hominum mores, & in quibus vitiis versentur, designent. Quid enim? nonne ipsi quoque consueuimus homines nimium vehe-

C mentes atque robustos, & qui ceteros audacia vincunt, apros aut leones aut alio huius generis nomine appellare? mites contra & quietos & animo remissiore præditos, oues aut columbas, & tranquillitatis interdum nomine honestare? & cuiusque moribus conuenientem significationem a rebus clarioribus afferre? PALLAD. Verum est. CYRILL. Pergamus igitur ad Legis propositum, & quid iubeat, diligenter exquiramus. PALLAD. Pergamus vero. CYRILL. Iustitiæ, & in vniuersum omnis probitatis laudes existunt illæ quidem ex cuiusque voluntate & arbitrio; sed duplici ratione perficiuntur, ac geminam speciem in seipsis habent. PALLAD. Quo tandem modo? CYRILL. Aut enim in nos ipsos aliquid boni facimus; verbi gratia cum voluptates præcidimus turpes illas ac vitiosas, cum mortificamus membra, quæ sunt super terram, cum animum ad mansuetudinem componimus, cum paupertatem in spiritu sectamur, cum puram liquidamque men-

D tem, quoad fieri potest, habemus; aut præclara virtutis studia in fratres conferimus; cum iis, qui sponte nos offenderint, & animo ab omni beneuolentia alieno læserint, clementiam vltro exhibemus; cum laborantibus opem ferimus; cum mærentes consolamur; cum errantes ex imperitia ad rectum iter transferimus, atque ad meliorem frugem traducimus, cum indigentibus necessaria suppeditamus; eaque omnia, quæ Deo grata sunt, efficere summo studio contendimus. An non igitur duplex est iustitiæ ratio, cum vel in nos ipsos, vel etiam in alios exercetur? PALLAD. Ita videtur. CYRILL. Eiusmodi ergo iustitiæ distributionem vngulæ dissectæ, idest, pedi in duos vngues diuiso semper fere Lex comparat; pes enim semper incessus illius, quo ad efficiendum ciemur atque mouemur, signum ac nota est: itaque rectis pedibus eos currere dicimus, qui laudabiliter ad ea, quæ sunt vtilia, tendere parati sunt.

Psal. 25. ti sunt. Canit etiam Dauid, [Pes enim meus stetit in via recta,] idest, in iustitia rectoque itinere ambulaui: odi autem omnia peruersa : de iis etiam, A
Psal. 13. qui sunt ad peccandum proni, [Veloces pedes eorum ad efundendum sanguinem, contritio & infelicitas in viis eorum.] Pes Igitur incessus illius, qui in factis spectatur, symbolum est: Bifidus autem vnguis perspicua figura est, qua significatur, posse nos in vtramque parte recte & laudabiliter incedere, vel in eam virtutis partem, quæ ad nos ipsos, vel quæ ad ceteros pertinet. PALLAD. Credibilis sane oratio. CYRILL. Si quis ergo recte atque sapienter in vtramque partem incedere norit, ita vt se & alios morum suorum qualitate iuuare possit; ad hæc sapiens & prudētia sit summa præditus, & verba quæ de Deo dicuntur, in cor tamquam in habitaculum quoddam atque domicilium recipiat, ac sursum deorsum semper quodammodo volutet in se ipso diuinorum dogmatum cogitationes; & notiones eas, quas tam accurate perceperit, crebra prudentiq. inquisitione tamquā cibum comminuat is, nimirum animanti ruminanti persimilis erit, & cibum in ventre conditū sursum semper eructando reuocanti, dentibusq. subiicienti, vt iterum confectus ac tenuissime contritus iuuare possit. PALLAD. Recte dicis. CYRILL. Mundum porro dicit esse animal, quod ad extremum pedem dissectam vngulā habeat, & ruminatum conditumque in ventre cibum reuocet; nam qui in se ipsum atque alios bonus atque vtilis est, si eloquentiam adiunxerit, & cognitionis peritiam nimirum earum rerum, quæ ad Deum pertinent; perfectus erit in virtute, & cumulatus, quod in se est, omnibus iis rebus, quæ in admiratione habentur: ac si quis eiusmodi hominis per disciplinæ communicationem forte particeps fuerit, &, vt ita dicam, eius oratione vescatur, aut eius imitator fuerit, hominemque adeo præstantem & egregium æmulari studuerit ; is purus erit ac mundus, vtpote qui cum mundo viro versetur, & illius sapientiæ ac probitatis tamquam expressam quandam imaginem illico in suis moribus referat. Hoc est, C mea quidem sententia, quod præcipitur vt vescamur ex omni animante, quod suapte natura discissam habet vngulam in pede, & ruminat. Munda namque sunt huiusmodi animantia, inquit Lex, ea ratione qua diximus. PALLAD. Teneo quod dicis. CYRILL. Optimum itaque virum, & in virtute perfectum per animal, quod suapte natura dissectam habet vngulam, & ruminat figurate indicauit. Porro optimum esse, atque expedire eum reiicere, qui non hoc animo sit, & in probitate quodammodo claudicet, & perfectam virtutem longo interuallo sequatur, tradit item, cum neque ea, quæ reuocant ruminatum cibum, non tamen bifidam vngulam habent, neque ea, quæ natura findunt vngulam, si minime ruminent, probat; sed potius de impuritate condemnat, & inter immunda recenset. Pedis igitur in duas vngulas diuisionem efficaciæ ad agendum morumque probitatis figuram esse, recte ac sapienter asserimus, & quæ figurate dicta sunt, ad veritatis formam traducimus. Ruminationem vero, sermonis qui secundum pietatem sit, & dogmaticæ scientiæ rectæ atque tritæ signum esse affirmamus. An vero non ita esse putas? PALLAD. Ita prorsus. CYRILL. Igitur minus perfecta virtute esse merito censendus est, nec dignus, qui in admiratione habeatur is, qui, cum de recte factis glorietur, rectorum tamen dogmatum peritia caret, & verba veritatis animo minime retinet: idque verum esse, si in contrariam quoque partem vertatur, minime est obscurum : nam recta de dogmatis peritia, diuinorumque verborum dulcis meditatio, nihil iuuerit ad absolutam virtutis opinionem, nisi recte factorum splendor adiiciatur; nam, qui est in vtraque re dexter, is perfectam laudem consequetur; cui vero alterum deest, obscuram habebit de virtute

(B and D margin letters appear beside the lines "...tenuissime con" and "...sapienter asserimus")

A virtute gloriam. Tale aliquid etiam Saluator indicat dicens, minimum in regno cælorum esse vocandum, qui cum doceat, non fecit tamen; contra vero magnum & illustrem, qui ea fecerit quæ docuerit. Immundus igitur ex Lege est, quisquis alterutro caret. Ab ijs vero esse recedendum, nullaque cum eis communione iungi oportere, declarauit dicens, De carnibus non vescemini, & morticina eorum non contingetis: neque enim dum viuunt, inquit, simul versabimini; &, si quispiam eorum fortasse mortuus fuerit, mentem vestram puram seruabitis, ac ne contingetis quidem, vt ita dicam, eorum opera, diserta inquam & impia scriptorum monimenta: hæ namque sunt hominis vitæ reliquiæ; quod stulti hæretici facere consueuerunt. Nam, cum ij, qui duces eorum stultitiæ fuerunt, proculdubio errauerint, suæque impietatis reliquias suis discipulis reliquerint, ij libentissime illas admittunt, & animo complectuntur, difficillimeque eorum maculæ ablui possunt, cum morticinas carnes Matth. 5.
B contingant, summo putore & impuritate refertas. PALLAD. Verum dicis. CYRILL. In exemplum igitur vngulam quidem non diuidentis, ruminatum vero cibum reuocantis, camelum proponit, belluam firmam ac vastam; leporem quoque & chœrogryllium, bestias, vt ita dicam, omnibus alijs minores ac breuiores; vt per extremas, vt ego arbitror, ceteras omnes in summa complecteretur, nullasque intermedias præteriret: tantundem quippe est, ac si diceretur, A summo atque supremo vsque ad minores & infimos, quicunque eiusmodi est, is execrandus & impurus est: neque enim est personarum acceptio apud Deum, vt scriptum est, sed siue magnus sit aliquis & fastuosus, opibus & sæculari gloria elatus, obscurus & ignobilis iudicabitur, si improbitatis criminibus adstrictus teneatur; siue exiguus, in paupertate & ignobilitate vitam ducens, damnabitur impuritatis, nisi sit moribus honestis ornatus; neque tantum exiguitatis nomine præsidioue iuuabitur, vt ea de caussa Rom. 2.
C a iusto Iudice misericordiam consequatur, si factorum claritatem; cum pietate inquam, ac virtute congruentium non habuerit. Igitur camelus & lepus & chœrogryllius magni simul & exigui hominis figura sunt non absurda. Profert etiam suem vt immundum, quod diuisam quidem habeat vngulam, non tamen aptus natura sit ad remandendum cibum, idest, ad reducendam ruminationem: in quo declarat, infirma esse & inutilia recte factorum ornamenta, si sermo secundum pietatem absit: vt enim fides sine operibus mortua est, sic vicissim mortua proculdubio est morum honestas, & factorum probitas, si Dei cognitio non adsit, neque sermo pietatis in nostris animis inhabitet; sed deorsum abiecta, in terram vergit, & oculos sursum attollere quodammodo reformidat. Hoc modo affectos non paucos inueniemus, qui cum grauem plerumque ac puram vitam agant, Deum tamen, qui natura & verus est, non agnoscunt, & in ea modo, quæ in terra sunt, mentis oculos figunt: impurus vero iti- Iacob. 2
D dem habetur, qui eiusmodi est: nemo enim coronabitur, nisi legitime certauerit, vt scriptum est. PALLAD. Nos igitur impuros dicit, tamquam in suis, certarumque bestiarum figura, cum criminibus, quæ a Lege damnantur, obnoxij sumus. CYRILL. Recte sane dicis. Neque vero satis habuit Lex per hæc sola animantia immundorum hominum imagines proferre, sed, cum per omne creaturarum genus nos iuuare instituisset, & vtilis honestique cognitionem copiose proponeret, etiam aquatilium genera percurrit, & volatilium greges, vt quid cuique illorum generi insitum natura esset, diligenter inquirendo, quid Deo gratum sit, quidue exosum & inuisum, intelligeremus, itaque vitam Legi maxime consentaneam excolendo; ab iis omnibus, quæ nos inquinare possunt, summo conatu refugeremus. Ait itaque Lex ad hunc modum 2. Tim. 2.

Bb rursus

Leuit. 11. rursus,[Et his vescemini ex omnibus,quæ sunt in aquis: omnia, quæ habent A
pinnulas & squamas in aquis & in mari & in torrentibus, hæc edetis;& omnia,
quibus non sunt pinnulæ neque squamæ in aquis & in mari & in torrentibus,
ab omnibus quæ eructant aquæ, & ab omni anima viuente, quæ est in aqua,
abominatio est, & abominationes erunt vobis: ab omnibus carnibus eorum
non edetis, & morticina eorum execrabimini; & omnia, in quibus non sunt
pinnulæ neque squamæ, eorum quæ sunt in aquis, abominatio hoc est vobis.]
PALLAD. Sed quænam in ijs differentia sit, iuxta intelligentiam inquam
spiritualem,tu dices; nam ego quidem non satis intelligo. CYRILL. Faciam vero ac differam, vt potero,& quæ a Lege exemplorum loco sunt allata,
perspicua reddam: nam aquatilium quæcunque ab illo omnium conditore lege piscium formata sunt, ea pinnularum actu, tamquam remigio semper quocunque voluerint, firmissime ac velocissime mouentur, ac, sole calefaciente
supernas aquas,enatât,ac prope dixerim,ex ipsis aquis emergere audent;quasi B
in infimis residere locis recusent; facile etiam effugiunt piscantium retia. Quæ
vero squamis ac pinnulis prædita non sunt, sed crustis durioribus obducta,&
natiuis testis contecta,ea supera loca minime norunt,sed semper in herbas irrepunt in infimis affixas,atque in limosis locis libẽter versantur,infirmaque sunt,
& captu facilia,& ab iis,qui semel aspexerint, sine vllo labore comprehenduntur. Ac ratio, quæ de illis affertur,hæc est,tum perspicua, tum vera. Sed pergamus iam tamquam ab imaginibus rudioribusque formis ad res clariores atque apertiores. PALLAD. Optime feceris, si hæc exposueris,& alacri animo disputationem aggressus fueris. CYRILL. Distractionem huius vitæ effusamque in ea permistamque negotiorum salsedinem,vt eleganter designaret nobis ille Psalmorum auctor, in hunc modum psallit,[Hoc mare magnum & spatiosum; ibi reptilia, quorum non est numerus; animalia pusilla
Psal. 103 cum magnis:] piscibus enim aptissime comparantur ii, qui nullius vnquam C
rei vtilis caussa hac illacque discurrunt, eaque sola conquirunt,quibus ipsi carnales efficiantur, vanosque labores perferre cogantur. PALLAD. Recte dicis. CYRILL. Increpat autem eiusmodi homines ille Christi discipulus, ita dicens,[Age nunc, qui dicitis hodie & cras ibimus in illam ciuitatem, & faciemus annum vnum, & mercabimur & lucrabimur:] & post pauca,[Pro eo vt dicatis, Si Dominus voluerit, & si vixerimus, faciemus hoc
Iac. 4. aut illud: nunc autem exultatis in superbijs vestris.] Piscium igitur instar
per latum hoc spatiosumque mare, per mundum nempe, natamus: varia
namque sunt singulorum viuendi genera; nonnulli enim non in totum ad
peccandum procliues sunt, sed agnoscunt illi quidem se infirmos esse, & carnis dominatu nexos teneri, & quamuis ab alijs culpis abstinere nolint; (in
Iac. 3. multis enim delinquimus omnes, vt scriptum est) refugiunt tamen vt rem deformem,turpiter aliquid aperte committere, nec quisquam illis persuaserit; D
vt manifeste & in aperto peccare velint, sed magnopere curant vt lateant;
Prouer. 12. [sapientes enim occultabunt turpitudinem suam:] sicut scriptum est; hoc,
vt ego interpretor, est loco tegumenti squamas habere. Enatant etiam sæpe in superiorem locum; neque enim semper infirma spectant, sed sapiunt superna quoque, effugiuntque celerrime, si qui eos ad interitum expiscari velint: hoc esse dixerit aliquis tamquam pinnulis spiritualibus vti, & velocissima mentis agilitate moueri. PALLAD. Congruentia sane dicis: nam
figura eo nos perducit, vt veram esse, itaque se habere expositionem putemus. CYRILL. Alij vero nil reformidant, dum peccant, sed apertæ ma-
Phil. 3. nifestæque nequitiæ dant operam;de quibus apte dici potest,Quorum gloria in
confu-

A confuſione eorum : ſemper enim ad impuritates propenſi ſunt,cumque in infi-
mo cœno volutentur, κνώδαλα reuera,vel aliud quiddam præter hoc ſunt. Iidem
omnino infirmi ſunt , & captu faciles , cum omnium turpiſſimarum rerum vo-
luptatibus miſere ſeruiant . An non eiuſmodi eſt deſperatorum hominum vita?
nam libidinoſæ mulieres & meretrices, & turpiſſimum illud & corruptiſſimum
effeminatorum genus,quinetiam omnes, qui in ſcenis verſantur,& quibus inſa
tiabilis eſt carnis amor,& quibus impurus idololatriæ error gratus, execrãdam
plane vitam ducunt ac turpiſſimis maculis inquinatam.Lex igitur mundos du-
cit eos,qui quamuis humanis vitijs laborent,non tamen prorſus auerſi ſunt,ſed
enatant in ſublime quodammodo,neque in terrenis tantum rebus inſident, ſed
etiam quæ ſurſum ſunt,ſapiunt,tamquam Deo ſimul ac mundo diuiſi.Immun-
doſque viciſſim iudicat, qui ſemper, quæ carnis ac mundi ſunt, omnibus modis
& facere & ſapere cõtendunt,in iiſque pudorem omnem exuerunt, & aperte ac
B palam ſunt inuerecundi: vtiliterque ab horum ſocietate prohibet,cum illorum
ſuperiorum ſocietatẽ non improbet:non enim cum improbis congredi, ſed cum
probis verſari tutum eſt: ſcriptum eſt enim, [Qui graditur cum ſapientibus, ſa- *Prouer.10*
piens erit;& qui graditur cum ſtultis, cognoſcetur .] Scribit etiam Paulus,Si- *1.Cor. 5.*
quis frater nominatus auarus,aut idololatra,aut maledicus,aut ebrioſus,aut ra
pax, cum huiuſmodi nec cibum ſumere. PALLAD. Recte eſt à te dictum ;
id enim non paruam vtilitatem affert. CYRILL. De natantibus igitur bel-
luis & aquatilibus hactenus nobis Lex figurate tradit. Sed, cũ copioſius nobis
exempla proponere vellet,ad volatilium greges tranſit,dicens,[Et hæc abomi- *Leu. 11.*
nabimini de volucribus,& non comedentur;abominatio eſt; aquilam, & gry-
phem,& haliaetum,& vulturem,& ictinum, & coruum & eius ſimilia ,& ſtru-
thionem,& larum & horum ſimilia,& accipitrem & illius ſimilia,& nycticora-
cem,& catarrhacten,& ibin, & porphyrionem,& eorum ſimilia , & pelicanum
C & cygnum,& noctuam & erodium,& charadrium & ijs ſimilia , & vpupam , &
veſpertilionem,& omnia volucria repẽtia,quæ quatuor pedibus incedunt, abo
minatio vobis eſt: præterquam quod hæc comedetis de volatilibus repenti-
bus , quæ incedunt quatuor pedibus , quæ habent crura ſupra pedes ſuos,vt ſa-
liant in eis ſuper terram; & hæc comedetis ex eis , bruchum & eius ſimilia, &
attacem & eius ſimilia ,& locuſtam & eius ſimilia, & ophiomachum & eius
ſimilia : & omne reptans de volatilibus, quibus ſunt quatuor pedes , abomi-
natio vobis eſt , & in his inquinabimini : qui tetigerit morticina eorum, im-
mundus erit vſque ad veſperam .] Num tibi perſpicuus eſt horum verborum
ſenſus? PALLAD. Minime. CYRILL. An vero non ſentis, proprie-
tates,quæ dictorum animantium cuique natura inſunt, æque atque illa alia ,
quæ diximus,morum imagines eſſe,& affectionum differentias ? PALLAD.
Quo tandem modo? CYRILL. Vis ne, vt de ſingulis ſeorſum dicamus,
D ac ſubtiliter hæc diſcernamus? PALLAD. Maxime. CYRILL. Pro-
hibet igitur Lex aquilam & gryphem, & haliaetum , & vulturem ; hæ enim
volucres in ſublime volant, & excelſis locis gaudere ſolent, & infima aſper- *Iob 39*
nantur ; [Pulli enim, inquit, vulturis in ſublime volant :] eiuſmodi eſt quo-
dammodo arrogans & inflatus homo , elatoque animo , qui moderatum mo-
deſtumque hominem contemnere conſueuit, minimeque contentus eſt humi- *Rom. 13.*
libus conſentire : inter hos improbat ictinum & eius ſimilia, & coruum & eius
ſimilia ; quibus aptiſſime ſignificatur rapax hominum genus , & ad malitiam
callidum : & prioris quidem generis figura eſt ictinus , alterius vero coruus ni-
ger & obſcurus : tenebroſi autem fere ſunt , neque omnibus manifeſti homi-
nes ad malitiam acres , ac morum nequitiam in ſe ipſis haud vulgo conſpi-

cuam occultantes: ijs autem, qui execrando arrogantiæ vitio laborant, adiun- A
ctum natura est, circumuenire velle quos possunt, ac multiplicibus malitiæ commentis obsidere, rapere postremo adeo vt nunquam expleantur. Itaque subiungit illico, Et struthionem & larum; hæc enim animantia, vt opinor, insatiabilia sunt, ac semper obuium quidque corripiunt. Deinde inquit, Accipitrem & eius similia, & nycticoracem & catharrhacten & ibin & porphyrionem & pelicanum, & cygnum: hæc quoque volatilia in se ipsis illos etiam describunt, qui crudeliter atque immaniter alijs insidiantur, & violenter quoscunque potuerint, adoriuntur, adeo vt nonnullis ipsum quoque vitæ discrimen ac formidinem inferre non dubitent: nam accipiter inuadit vehementer quodcunque infirmioris volucris genus, & in auiculas fertur, easque correptas interficit: catarrhactes vero & ibis & porphyrio, quinetiam pelicanus furiose pisces insectantur, illorumque interitu pascuntur: eiusmodi sunt omnes, quod ad mores consuetudinisque feritatem attinet, qui perire quosdam B
pro nihilo ducunt, dum suæ voluptati ac libidini satisfaciant; qui cum amo-
1. Cor. 10 ris mutui legem repulerint, & caritatis decretis penitus aduersentur, iure opti-
Rom. 13 mo à nobis audient, Ne quæ vestra sunt quæratis, sed etiam quæ aliorum; nam dilectio, inquit, proximi malum non operatur. Repudiandam esse præterea inquit noctuam & erodium, & charadrium & eorum similia, vpupam & vespertilionem; hæc autem volucria noctis amica sunt, & tenebris gaudent, & libentissime de nocte volare consueuerunt, inuisumque eis est lumen solis,
Ioan. 3. neque in eo quicquam facere audent: perspicue autem eiusmodi sunt improborum actionum auctores: verum est enim id, quod Christus ait, [Qui male agit, odit lucem, & non venit ad lucem, ne coarguantur opera eius; qui autem facit veritatem, venit ad lucem, vt manifestetur opera eius, quia in Deo sunt facta.] Immūda sunt etiam inter volatilia reptantia, Quæ quatuor, inquit, pedibus incedunt, vt sunt verbi gratia muscæ, & his affinia: infinita sunt au- C
tem hæc exigua, & auersanda, neque in sublime volare queunt: quæ sit autem ratio, cur etiam ad hæc Lex descendar, considerare necesse est; vt enim, cum pecudes commemoraret, posteaquam camelum dixit, adiunxit leporem, vt æque impuros ostenderet, qui improbitatis nomine infames essent, seu ma-
Rom. 2. gni sint, seu parui, (neque enim est acceptio personarum apud Deum, vt scriptum est) itidem hoc quoque loco, cum aquilæ mentionem fecisset, & eam, quæ inter volatilia maxime regia est, commemorasset, rursus ad volucres exiguas descendit, & magnum ac paruum æqua lance pendit, si turpium factorum auctor fuerit, & vitiorum labem nunquam deponat. Eximit autem ab hoc genere locustam & bruchum, & horum similia, quod firma sint adeo, vt euadere possint in altum, & minime in infimis assidue versenrur, sed sæpe in sublime sese tollant, & celeriter exiliant: talis est fere qui, quamuis mundanam vitam agat, tamen virtutibus ceteris, & caritate in Deum non caret: nam D
eiusmodi vir non omnino terrenis rebus affixus est, neque in infimis insidet, sed quadantenus etiam superna sapere, ac se laudabiliter nonnumquam gerere studet, dum se ad superna rollit, & de terrenis rebus euolat. Eum porro, qui immunda contingens inquinatur, abluere vestem oportet, ad vesperam autem inquit mundum fore; Christi videlicet mysterium apertissime significans, per quem purgati sumus, sancti baptismatis remissione percepta, rempore nimirum aduentus eius, qui veluti ad vesperam fuit, idest, cum iam sæculum præsens ad finem vergeret. An non illud Dei Verbum extremis temporibus hominem factum esse dicimus? PALLAD. Ita prorsus. CYRILL. Alia quoque ratione Lex inquit immundum fore, qui vel feram belluam fortasse,

vel

A vel aliud quodpiam impurum animal tangeret: sic autem dixit, [Et omne, quod ambulat manibus in omnibus bestiis, quæ quatuor pedibus ingrediuntur, immunda erunt vobis: omnis, qui tetigerit morticina eorum, im mundus erit vsque ad vesperam: im munda hæc sunt vobis. Et hæc vobis immunda ab omnibus reptilibus, quæ reptant super terram, mustela & mus, & crocodilus terrestris, mygale & chamæleon & stellio, & lacerta, & talpa: hæc immunda sunt vobis ab omnibus reptilibus, quæ reptant super terram; omnis qui tangit morticina eorum, immundus erit vsque ad vesperam; & omne, super quod ceciderit morticinum eorum, immundum erit, ab omni vase ligneo vel veste, vel pelle, vel sacco; omne vas, in quo fit opus, in aquam mergetur, & immundum erit vsque ad vesperam, & mundum erit.] His adiecit immundum fore omne vas, in quod ceciderit de morticinis eorum, & vas testaceum, & pelliceum & vestem & cibum & potum; præter fontem aquæ & lacum, inquit, & Leuit. 11.
B congregationem aquarum & semina: videtur autem Lex per feras belluas teterrimos latrones atque sicarios indicare, qui homicidium, omnium scelerum grauissimum, pro nihilo ducunt, atque obuium quemque interficientes, immaniter propemodum deuorant, omni misericordiæ affectu sublato: per murem autem atque mustelam, & iis affinia similiaque, crocodilum inquam terrenum, lacertam, & stellionem, timidum & ignauum & noctu obambulans furum genus, qui dormientes clam lædere solent, sed pertimescunt valde, ne deprehendantur, & eorum, quos violant, vigilantiam reformidant. An non furacissima sunt animalia mustela & mus, & ad formidinem procliuia, subeuntque terræ cauernas, si quis insonuerit; libentissime autem de nocte & minime interdiu pascuntur? crocodilus etiam terrenus, & quæ huic cognata sunt, ferarum genera? PALLAD. Ita est. CYRILL. Immundum est igitur omne latronum genus, siue quis moribus sit efferatis, & cruentas habeat manus, siue
C exigua quædam furetur, vt mus & mustela, ac talpæ stellionisque ritu muros ac tecta conscendat, etiamsi quis immundos contingat, erit criminum particeps: nam cum eiusmodi hominibus inita societas omnino immundos efficit. Vasa præterea inquinata figuram hominum gerunt; est enim homo vasis specie. Excipit tamen a contaminatione fontem aquæ, lacum etiam, & congregationem aquæ, quamuis in hæc quidpiam ex iis, quæ Lege immunda sunt, ceciderit, cauens, vt opinor, ne ij, qui sub Lege erant, eam rem molestissimam & prorsus minime ferendam ducerent, Legisque obseruationem nulla industria impleri posse putarent, cum ex earum rerum damno in rebus maxime necessariis læderentur, adeo vt ex vrbibus esset interdum ac domibus recedendum, earum aquis contaminatis, cum earum vsus necessarius, & quo hominum vita carere non potest, ademptus esset. Prætermisit itaque Lex accuratam
D historiæ obseruationem, propter eorum commodum ac necessitatem, qui sub Lege erant. PALLAD. Credibilis sane ratio. CYRILL. Aeque porro atque cetera immundum esse ait ipsorum quoque mundorum animantium cadauer: adiunxit autem ipsum quoque cadauer contingentem inquinare; sic autem scriptum est, [Si autem mortuum fuerit pecus aliquod, quo vesci vobis licet, qui tangit morticina eorum, immundus erit vsque ad vesperam; & qui vescitur de morticinis eorum, lauabit vestimenta sua, & immundus erit vsque ad vesperam, & lauabitur aqua, & mundus erit; & qui tollit de morticinis eorum, lauabit vestimenta sua, & lauabitur aqua, & immundus erit vsque ad vesperam:] quod perspicue est, vt ego arbitror, illud, [Si quis frater, nominatus vel fornicator aut auarus aut idolorum cultor, aut ebriosus, aut maledicus, aut rapax, cum eiusmodi nec cibum sumere.] Si quis Leuit. 11. 1. Cor. 5.

enim omnino, cum grauis & honeſtus exiſtimetur, & ex eorum ſit numero, A
qui iam purgati ſunt, & in ſocietatem ſpiritualem per fidem recepti, peccati
mortem incurrit, Impurus eſto, inquit, & execrabilis: nam, quia mortuis ope-
ribus eſt inquinatus, inficit eum proculdubio, qui ſibi iungitur. Sed, etiamſi
quiſpiam fuerit inquinatus, purus eſto per aquam ad veſperam: quid vero id
ſit, ſuperior oratio nobis aperte declarauit. Animaduerte autem & veſcen-
tem morticiniis eorum, & ea duntaxat contingentem, impurum cenſeri; ita vt
neque illum, qui mortalitatem illorum participet, macula aut crimine liberet,
neque rurſus culpa vacare dicat, ſi quis congreſſus fuerit aut propius acceſſe-
rit: puto enim eſſe vigilanter cauendum, non modo vt ne idem atque improbi
Eccli. 13. homines faciamus, ſed ne ſimul quidem cum illis congrediamur; [Qui enim
picem tangit, inquinabitur,] inquit; & vere ſane dictum eſt. Porro ad mo-
rum qualitatem demonſtrandam, exemplorum vſum acceptum eſſe a Lege, ex
iis, quæ inferuntur, diſcere licet; ait enim iterum, [Et non profanabitis ani-
mas veſtras in omnibus reptilibus, quæ reptant ſuper terram, & non inquina- B
bimini in iis, & non immundi eritis in illis; quia ego ſum Dominus Deus ve-
ſter.] Quam enim maculam animo hominis attuliſſet mors animantis, eiuſq.
cadaueris contactus? quidue incommodi afferre potuiſſet eſca in ventrem va-
Matth. 15. dens, & in ſeceſſum emiſſa, iuxta Saluatoris dictum? PALLAD. Nihil,
mea quidem ſententia: recte enim ſentis. CYRILL. Oportere igitur arbi-
tror nautarum peritiſſimorum exemplo, rudentes omnes mouendo, elabi ex im-
puritatibus, & ad vitam illam Deo gratiſſimam tamquam ad quietum placi-
dumque littus appellere: neque enim aliter quam vna hac via a nobis adiri po-
teſt; idque verum eſſe, facile eſt videre: ſcriptum eſt enim rurſus in Exodo,
Exod. 4 [Et Moyſes paſcebat oues Iethro ſoceri ſui ſacerdotis Madian, & duxerat oues
ſuas in deſertum; & venit ad montem Dei Horeb: apparuit autem ei angelus
Domini in flamma ignis ex rubo, & videt quod rubus arderet igni, cum rubus
non combureretur: dixit autem Moyſes, Vadam vt videam viſionem hanc ma- C
gnam, cur non comburatur rubus: vt autem vidit Dominus, quod accederet
ad videndum, vocauit eum Dominus de rubo dicens, Moyſes Moyſes: ille au-
tem dixit, Quid eſt? & dixit, Ne accedas huc: ſolue calciamentum de pedibus
tuis; locus enim, in quo tu ſtas, terra ſancta eſt.] Intelligis igitur fieri non poſ-
ſe, vt quiſpiam prope Deum, qui puriſſimus eſt, accedat; niſi prius omnes ſor
des ex ſuo animo abluerit, ac mortalitate omni, quæ in actionibus ſpectatur,
pedem, ideſt, illum ad res gerendas ſpiritualem inceſſum abſoluerit. Quid? nō-
ne calciamentum animantis mortui reliquiæ ſunt? PALLAD. Quis ne-
get? CYRILL. Ergo figura mortalitatis eſt; quam ſi quis abiecerit, & ne-
xus abruperit, quibus abruptis, a nobis exolui poſſit, is denique propius acce
det, & Dei familiaris erit, & ad alios ſaluandos inſtructus. Tum certe Moyſes
electus eſt vt mitteretur, & liberaret filios Iſrael. Sacræ etiam litteræ placide D
Prouer. 9. nos alloquuntur, [Fili, ſi ſapiens fueris, tibi ipſi ſapiens eris, & proximo tuo.]
PALLAD. Recte dicis. CYRILL. Quid porro? non illud quoque ijs,
quæ diximus, adiungendum videtur? PALLAD. Quid illud eſt? CYRILL.
Nam, cum ille omnium præpotens Deus, in montem Sina ignis ſpecie deſcen
ſurus eſſet, præceptum eſt Moyſi, vt ad Deum conſpiciendum pararet populū:
ipſum vero præparationis modum ille idem omnium dominus conſtituit; dixit
Exo. 19. enim Dominus ad Moyſen, [Deſcende & teſtificare populo, & purifica eos ho
die & cras, & lauent veſtimenta ſua, & parati ſint in diem tertium: tertia enim
die deſcendet Dominus in montem Sina coram omni populo.] Ante itaque pu
rificari eos neceſſe eſt, qui fuerint diuinæ familiaritatis amatores, quibuſq; pro-
poſitum

A positum est animo ad omne virtutis genus prompto atque alacri illi velut assistere atque ministrare: eiusmodi vero qui fuerit, is non ineptus erit iam ad ipsum quoque Deum aliquatenus contemplandum, vt Saluator ait, [Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.] Ad hunc gloriæ splendorisque gradum ipsum quoq; beatum Abraham peruenisse videre licet. Atq; age quæ de eo sunt tradita, per singula dicamus; sic enim scriptum est, [Et dixit Dominus ad Abraham, Tu autem testamentum meum seruabis, tu & semen tuum post te in progenies suas: & hoc est testamentum, quod seruabis inter me & vos, & inter semen tuum post te in progenies suas; circuncidetur de vobis omne masculinum, & circuncidetis carnem præputij vestri, & erit signum testamenti inter me & vos, & infans octo dierum circuncidetur vobis, omne masculinum in progenies vestras, & vernaculus, & emptus seruus ab omni filio alienigena, qui non est de semine tuo, & circuncisione circuncidetur vernaculus domus B tuæ, & seruus emptus, & erit testamentum meum in carnibus vestris in testamẽtum æternum: & incircuncisus masculus, cuius caro præputij circuncisa non fuerit die octauo, exterminabitur anima illa ex genere suo, quia testamentum meum irritum fecit.] deinde inquit, [Accepit Abraham Ismael filium suum, & omnes vernaculos suos, & omnes seruos emptos suos, & omne masculum virorum, qui erant in domo sua, & circuncidit carnem præputij eorum, in tempore diei illius, sicut locutus ei fuerat Deus.] Quale autem fuerit obedientiæ præmium, quidue profecerit circuncisio, ex consequentibus intelligemus. [Apparuit, enim inquit, Deus illi ad quercum Mambre, sedenti ad ostium tabernaculi meridie; & subleuatis oculis suis vidit, & ecce tres viri stabant supra ipsum, & videns illos accurrit in occursum eorum ab ostio tabernaculi sui, & adorauit in terram, & dixit, Domine, si inueni gratiam coram te, ne prætereas C seruum tuum; sumatur iam aqua, & lauent pedes vestros, & refrigeramini sub arbore, & accipiam panem & comedetis, & post hoc abibitis eo, cuius gratia declinastis ad seruum vestrum. Et dixerunt, Sic faciemus, vt dixisti.] Nam circuncisio illa in carne figura est, & quidem perspicua illius intellectualis & in spiritu, per quam a nostris animis maculam omnem Christus excludit; circuncisi namque sumus, vt verbis beati Pauli vtar, circuncisione non manu facta, in expoliatione corporis carnis: nam exuendo nos quodammodo veterem hominem, qui corrumpitur secundum desideria erroris, & carnis voluptates a nobis spiritus acie atque efficacia propemodum præcidendo, dignos nos quadantenus efficiemus, vt etiam ad Deum videndum idonei iudicemur, sanctæque illius consubstantialisque Trinitatis sacrum diuersorium efficiamur. Qui enim nõ erubuerit de me, & de meis verbis in hac generatione, veniemus ego & Pater, & mansionem apud eum faciemus, & in ipso diuersabimur, dicebat Saluator. Neque vero hucusque duntaxat progredietur probitatis retributio, sed iam D tamquam ad Dei familiaritatem admissi, quæ in illo sunt, cognoscemus, per illius nimirum reuelationem, vt profecto beatus quoque Abraham de Sodomorum subuersione didicit; nam cum eo Deus tamquam cum amico communicauit. Vide autem ille ab inquinamentis excessus quam multa nobis vicissim bona conciliabit. Itaque Paulus, [Obsecro vos, inquit, fratres, per misericordiam Dei, vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuentem, sanctam, placentem Deo, rationabile obsequium vestrum.] Quinetiam propheta Hieremias aperte clamauit, [Laua a malitia cor tuum, Hierusalem, vt salueris.] PALLAD. Non igitur cum animi impuritate ad Deum sanctissimum purissimumque, sed cum sacra immaculataque vita est accedendum: ita enim ad id, quod decet, recta perueniemus. CYRILL. Ita est prorsus, Palladi, neque multo labore opus

Marginal notes: Matth. 5. — Gen. 17. — Coloss. 2. — Marc. 8. — Ioan. 14. — Rom. 12. — Hiere. 4.

opus erit, vt videre possis verissime a te esse hac de re dictum, si sanctorum hominum vitam studiose ac prudenter peruestigare velis: nam, quæ veteribus il- A
1. Cor. 10. lis figurate contigerunt, ea de caussa scripta esse dixit beatus Paulus, vt formæ essent admonitionis correctionisque nostræ. Puros autem & ablutos ad Deum accedere oportere, ex his quoque rursus discere licet: Dina enim filia Iacob, vt quæ virgo esset, & ætate nubili, ex patris tabernaculo egressa est, vt Sicimitarum filias contemplaretur; sed non quieuit Sichem filius Emmor; illico namque amore adolescentulæ captus, intemperanti cupiditate ad libidinem rapiebatur; cumque ad eam rem efferatius iret, hebrææ virgini homo alienigena, & incircuncisus adhuc vim intulit: id vero facinus filijs Iacob non ferendum videbatur. Itaque in eos, qui in hebræam & sororem nefarie iniuriosi fuissent, bellum intulerunt. Beato autem Iacob, cum solicitus esset & pertimesceret, & vereretur ne cum toto genere penitus interiret, succurrit Deus, eumque denuo seruauit: quanam autem ratione, operæpretium est videre; scriptum est igitur B
Genes. 34. ad hunc modum, [Dixit autem Iacob Simeon & Leui, Odiosum me fecistis ita, vt malus sim omnibus habitantibus terram, & in Chananæis & Pherezæis: ego autem exiguus numero sum, & congregati super me, concident me, & conterar ego & domus mea: illi vero dixerunt, Atqui tamquam scorto abusi sunt sorore nostra: dixit autem Deus Iacob, Surge & ascende in locum Bethel, & habita ibi, & fac ibi altare Domino, qui apparuit tibi, cum fugeres a facie Esau fratris tui: dixit autem Iacob domui suæ, & omnibus, qui cum eo erant, Tollite deos alienos de medio vestri, & purificamini, & mutate vestimenta vestra, & surgentes ascendamus in Bethel, & faciamus ibi altare Deo, qui exaudiuit me in die tribulationis, qui fuit mecum, & seruauit me in via, qua ambulabã: & dederunt Iacob deos alienos, qui erant in manibus eorum, & inaures, quæ erant in auribus eorum, & defodit ea Iacob sub terebintho, quæ erat in Sicimis, & perdidit ea vsque ad hanc diem.] Vides Dominum illum omnium formidanti iusto viro succurrisse, iussisseque vt extrueret altare in odorem suauitatis, quod accipiendæ salutis, affuturæque opis diuinæ splendidum esset, dicatumque Deo monumentum: ille vero, cum id fieri necessarium esse, optime C
cognouisset, prius vt mundentur iubet, & falsos deos de medio tollant, aliasque stolas induant: id autem, vt opinor, sinceritatem fidei, & vitæ puritatem aperte significat: namque integre Deo adhærere mente haud diuisa, minime propensos ad Dæmoniorum erroris reliquias, hoc ipsum congruenter intelligitur, in eo quod alienos deos sustulerunt: in eo vero, quod mutarunt vestem, accipitur illa conuersationis puræ tamquam vestis mutatio: sic enim beato Paulo
Ephes. 4. quoque scribere visum est. An non exaudis eum aperte dicentem, [Exuite veterem hominem, qui corrumpitur secundum desideria erroris, & induite nouum, qui renouatur secundum imaginem eius, qui creauit illum?] in quibus verbis expoliationem carnis appellat, carnalium voluptatum abiectionem. Scribit D
Eccle. 9. etiam Salomon, [Omni tempore sint vestimenta tua splendida.] Puto autem, & quidem recte, numquam virum sapientissimũ Salomonem ad has nugas peruenturum fuisse, vt suaderet nobis vestium splendore pueriliter oblectari; sed vesti splendidæ vitam velut ablutam, & ab omnibus sordibus liberam comparat; alioqui qua ratione quispiam induat dominum nostrum Iesum Christum? Nonne dices, qui euangelicæ conuersationis ornamentis induitur, eum hanc rem, Palladi, profecto perficere? PALLAD. Maxime vero. CYRILL. Quod si quis etiam ad ipsum nobilem virum Ioseph veniat, eum nullam partẽ probitatis prætermisisse reperiet; quinpotius illud cogitasse, omnibus in rebus Deum sibi adiumento auxilioque futurum, si strenue turpissimam labem auersaretur


A ſaretur: nam,cum liceret proſperitate frui, delicijsq. diffluere, & ardenti exultantique adoleſcentiæ permittere,vt in id,quod ſibi iucundũ gratumque eſſet, laxatis habenis curreret,atque effrenato impetu ferretur;id quidẽ haud fecit; minime omnium: feliciorẽ vero ſortem putauit,quæ apud Deum repoſita eſt, & temperantiæ labores cuique temporariæ breuique oble&ationi prætulit;ſciebat enim dulcem quidem eſſe à principio illã carnis titillationem,& harum rerum voluptatem veluti melle quodã animum incantare;ſed exitu minime dulci terminari: ſupplicia quippe eueſtigio & accuſationes, & quid non eiuſmodi malorum,eius qui deliquerit,capiti imminere. Viſne aliquid ex ijs,quæ de eo ſcripta ſunt,dicamus? PALLAD. Velim equidem. CYRILL. [Et erat,inquit,Ioſeph decorus aſpectu,& ſpecioſa facie:& factũ eſt poſt verba hæc,iniecit vxor domini ſui oculos ſuos in Ioſeph,& dixit,Dormi mecum: ille vero nõ acquieuit: dixit autẽ vxori domini ſui,Si dominus meus nihil cognoſcit propter *Gen.39.*
B me eorum,quæ ſunt in domo ſua, & omnia quæ ſua ſunt,dedit in manus meas, nec quicquã ſupra me eminet in domo hac, neque exemptum eſt à me aliquid præter te,eo quod vxor eius ſis;quomodo faciam verbũ hoc malum,& peccabo in conſpectu Dei?cumque illa loqueretur Ioſeph de die in diem,ille non obſequebatur illi, vt dormiret ſecum, & concumberet cum ea. Factus eſt autẽ talis quidã dies,ingreſſus eſt Ioſeph in domum,vt faceret opera ſua, & nemo erat in domo intus;& attraxit illum per veſtes,dicens,Dormi mecum:ille autem, relictis veſtibus ſuis in manibus eius,fugit,& exiuit foras. Et factũ eſt vt vidit illa, quod reliquit veſtes in manibus ſuis, & fugit, & exiuit foras,vocauit eos, qui erant in domo ſua,& locuta eſt eis dicens,Videte quod induxerit nobis ſeruum hebræum,vt illuderet nobis: ingreſſus eſt ad me dicens,Dormi mecum:& clamaui voce magna; cumque ille audiſſet,quod eleuaſſem vocem meã & clamaſſem,relictis veſtibus ſuis ſuper me,fugit & exiuit foras.] Vides vt mulier illum
C ad concubitũ vel inuitum cogere ſtuduit,huic vero mens ad temperantiam fixa fuerit,nullique rei omnino ſuccubuerit? adoleſcentulus adhuc erat,qui vix ſeptimumdecimũ annum ageret,cum prima lanugine malæ veſtiuntur, cum maxime voluptates vigent,cum ardentiſſimis motibus feruet ætas, &, vt ita dicã, vegetæ ſunt impotenteſque libidines,adeo vt monitorem nullum admittant:ſolet enim fere epheborũ ætas tam vehementi cupiditatum impetu ferri, vt frãgi aut temperantiæ frena pati difficile poſſint. At vero beatus Ioſeph intrepidus permanebat,non remiſſiores adoleſcentiæ mores ſine moderatione atque correctione eſſe ſinebat; non pertimeſcebat quod exterus eſſet ac ſeruus; (vtraque enim iniuria per vim a fratribus affectus erat,cum eſt Iſmaelitis venditus) ſed, cum ille ſimul voluptatem ſpurciſſimam, ſimul impudicitiæ motus deuiciſſet, tum vero mulier calumniã ſtruit,crimenque in adoleſcentem detorquet;&,qui ſuis flagitationibus non ceſſerat,eum ſtupratorem appellabat.Ex hoc in carce-
D rem truditur adoleſcens,ſed diuino munere ſeruatus eſt,mercedemque eã temperantiæ illico eſt conſecutus,vt vniuerſæ Aegyptiorum regioni dominaretur. Itaque, quãuis ea virtus labores habeat,& ornamentis tẽperantiæ graues ſint propoſiti ſudores,cõtemnit tamẽ ea omnia,qui reuera Dei amator eſſe velit:habebit enim profecto parẽ pro laboribus laudem, & æqua præmia conſequetur. Ideoque beatus Dauid de ærũnis hac de cauſſa toleratis adoleſcentẽ omni laude digniſſimũ admiratur dicens,[In ſeruũ venũdatus eſt Ioſeph, ferrũ pertrãſiit animа eius:]ferrum,vt opinor,durã illã ac vehementem laborum vim appellãs, quibus fit vt peccata reprimãtur,& ab omni labe recedatur,atque ad ſanctã illã puriſſimamque vitã perueniatur,euangelicã inquã, & quæ in Chriſto ducitur, per quẽ & cum quo eſt Patri gloria cũ Sanctoſpiritu in ſæcula ſæculorũ, Amen. *Pſal.104.*

FINIS LIBRI DECIMIQVARTI. SAN-




SANCTI CYRILLI ARCHIEPISCOPI ALEXANDRIAE

DE ADORATIONE IN SPIRITV ET VERITATE



LIBER QVINTVSDECIMVS

Oportere puros & ablutis peccati maculis, Deo sisti: itemque omnem purgationem nostram in Christo esse.



X omni disputatione, Palladi, collecta est a nobis perspicua euidensq. probatio, nos ad domum Dei honestissime adire oportere ornatos & ablutos, & eius familiaritatem per sanctificationem adeptos: ita enim propitio vtemur Deo, &, vt ita dicamus, totis oculis res nostras intuente, atque tutelam sanctis viris congruentissimam exhibente. [Super quem aspiciam, inquit, nisi super humilem & quietum, & trementem sermones meos?] puras enim plane manus extendet, & ad ipsas proclamabit diuinitatis aures, quisquis ita se habuerit, adeo vt votorum suorum compos factus, præ maxima lætitia dicat, [Exaudiuit de templo sancto suo vocem meam, & clamor meus in conspectu eius introibit in aures eius.] An minime exaudisti beatum Dauid, aperte nobis concinentem, [Oculi Domini super iustos, & aures eius in preces eorum?] PALLAD. Audiui. CYRILL. Quin igitur vere dictum sit, ambigere fas non est: tamen ad abluendas maculas, quæ tandem a nobis ratio inueniri poterit? intelligit enim delicta nemo; & in multis delinquimus omnes; propensaq. est ad peccandum nostra natura, nimiumque facile ad res noxias detorquetur, cum viam illam, per quam ad vitia tenditur, nobis planam faciat, turpis illa & impura voluptas. PALLAD. Recte dicis; tibi namque recta dicenti assentiri minime cunctabor. CYRILL. Iam enim etiam terrena ipsa caro in se ipsa Legis peccati languore premitur, & humanus animus nimium propensus est ad malum a iuuentute, vt scriptum est. Itaque etiam sacræ litteræ, iure deplorant, [Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt; non est qui faciat bonum, non est vsque ad vnum.] Quoniam igitur

(Margin: A; Esai. 66.; Psal. 17.; Psal. 33.; B; Psal. 18.; Iac. 3.; Genes. 8.; Psal. 13)

A tur nulla erat via, qua ex hoc malo emergeremus, Saluatorem nobis atque Redemptorem Deus & Pater de cælo misit Filium suum, qui fide iustificaret,& a pœna liberaret, &, quod infirmum erat, firmissimum redderet; quod tenebris oppletum, illustraret: alligaretque quod contritum erat; quod errabat, conuerteret; & a dominatu diabolico subiectos eriperet. PALLAD. In Christo igitur peccati turpitudinem abstergemus: itaque abluti, & ab omni macula quam longissime remoti, per ipsum ad Deum & Patrem accedemus. CYRILL. Rectissime intelligis. Atque etiam cuique audire licet sanctos prophetas nobis clarissima voce hanc adeo admirandam exoptatamque gratiam prædicantes;nam sapientissimus ille Michæas ad hunc modū dicit, [Quis *Mich.7* Deus sicut tu, auferens iniquitates,& non attendens iniustitias iis,qui reliqui sunt de hæreditate tua? & non continuit in testimonium iram suam: quia volens misericordiam est.] Alter item,[Memento horum,Iacob, & Israel,ne obli *Esai.44.* B uiscaris mei:ecce deleui sicut nubem iniquitates tuas,& sicut caliginem peccata tua.] pluraque ex diuina scriptura colligere facile est,ad ostendendam huius rei veritatem: ad ea vero, quæ fidem perspicuam & euidentem habeant, alia velle congerere, superuacaneum opinor. PALLAD. Id quidem manifestum esse, nemini dubium est:sed tamen velim ex legalibus etiam imaginibus purgationem,quæ in Christo fit,perspicere. CYRILL. Attende igitur si placer,quando hoc itinere nobis esse pergendum statuis:nam inquinatos,& Legis violatæ criminibus obnoxios sacrificare Lex iussit, eaque sacrificiorum genera duas in partes diuisit, alia namque illum Emmanuel pro nobis immolatū, alia etiam nos ipsos mundo morientes, nostramque vitam ac salutem Deo in odorem suauitatis offerentes designant. An vero, cum mortificamus membra,quæ sunt super terram, & mentem a vertigine mundanarum actionum, ac terrenarum voluptatum alienamus, non diuinam euangelicamque vitam ducimus? C PALLAD. Sane vero. CYRILL. Igitur sacrificium quidem est illa in Christi morte spiritualis purgatio; votū vero & donum a nobis tum offertur,cū & morum honestatem, & actam in sanctitate vitam Deo dicamus. Opportune vero ac necessario præmonet Lex, & aperte testatur in his certe sacrificiorum generibus immaculatas esse oblationes oportere: nam, quia e sacrificijs, quæ offerebantur,alia Christum,vt pro nobis immolatum,significabant, alia etiam nos præfigurabāt, nostram vitā Deo propemodum adolentes,hanc ob caussam inquit ea immaculata esse debere,nullaque corporis parte manca atq; debilia: immaculatus enim est Christus:non enim fecit peccatū;sed ne nos quidē accipiet Deus,dum adhuc in maculis versamur,& peccatorum deformitate laboramus. Scriptū est igitur in Leuitico,[Et locutus est Dominus ad Moysen dicēs, *Leuit.22.* Loquere Aaron & filiis eius, & vniuersæ Synagogæ filiorum Israel, & dices ad D eos,Quisquis obtulerit dona sua de filiis Israel, vel de filiis proselytorū suorū, qui applicati sunt ad illos,obtulerit dona sua, secundum omnem promissionem suam,vel secundum omnē voluntatem suā, quæcunque obtulerint Domino in holocaustum, acceptabilia vestra, immaculata, mascula ex armentis & ex ouibus & ex capris:quæcunque habuerint maculā in se,non afferet Domino,quia non acceptabile erit vobis: & homo, qui obtulerit hostiam salutaris Domino, distinguens votum,vel ex volūtate vel in festiuitatibus vestris, ex armentis vel ex ouibus; immaculatum erit acceptum, omnis macula non erit in eo;cæcū vel cōtritum,vel abscissa linguā,vel verrucosum,vel scabiosum,vel impetigines habens; non offerent Deo hæc, & incensum non dabitis ex eis super altare Domino; & bouem vel ouem abscissis auribus, vel cauda amputata, occides illa tibi ipsi; in votum autem tuum non accipientur; & non offeretis ea Domino;

con-

contusum & collisum, & exectum & abscissum; non offeretis ea Domino, & A
in terra vestra non facietis:& ex manu alienigenæ non offeretis dona Dei vestri ab omnibus his, quia corruptelæ sunt in eis, & macula in eis: non accipientur hæc vobis.] Aduerte igitur Legē, perspicue atque palam edicere tum iis, qui de genere essent Israel, tum qui extrinsecus in illos populos insiti, proselytis inquam; vt maculas victimarum diligentissime considerent; offerendum enim à nobis esse inquit masculum & immaculatum, idest, robustum, a vitijs liberum; mollities enim, & muliebres animi, atque etiam interior mentis atque intellectus debilitas reiicitur à Deo prorsus, atque respuitur. An non sacris ineptum esse dices eum, cui hæc vitia manifeste insunt? PALLAD. Cur vero negem? CYRILL. Igitur quod imbelle est quidem & veluti languens, reiicitur; acceptum est contra quod robustum, vt masculo sexu designatum, si præterea immaculatum fuerit. Eiusmodi autem apertam Christi figuram gerunt; masculus enim simul & immaculatus est Emmanuel; siquidem plane Dei B
virtus est, & nescit peccatum: masculus ad hæc alia ratione; excellit enim semper, ac præstantior est altero sexu masculus; adhæc etiam longe principem locum tenet; itidem ille Filius præstat omnibus, & innumeris partibus potior est, & omnium princeps; etsi nostri similis factus est, &, cum pastor esset, benigne inter oues numeratus. Victimæ porro sacris ineptæ sunt & reiiciendæ, cæcum animal & contritum, atque etiam cui abscissa lingua est, quod verrucosum, quod scabiosum, quod impetigines habet, cui sectæ aures caudaque detruncata: Quinetiam, inquit, si cui contusi sunt testes, & quod vi iam exectum; id enim significat, opinor, contusum & collisum, exectum nempe & abscissum. PALLAD. Num igitur, ad affectus moresque nostros hæc transferēda sunt? CYRILL. Ita prorsus: neque enim alia ratione Lex esse spiritualis potest, neque illum vt in vmbris cultum Deus aliquo numero habet: neque vero vnquam eius cultus legem sanxisset, nisi vt in illo præstantissimam veritatis formam præfiguratet. PALLAD. Recte ais. Exequere igitur cuiusque vitij C
rationem, & quænam ea sit, explica. CYRILL. Aggrediar ergo, & quidem alacri animo atque prompto. Cæcum igitur videtur insipientem atque imperitum dicere, & qui diuinum lumen in se, illam inquam per Christum in Spiritu illuminationem non habet: sacris autem ineptus est ille stultus & infidelis adhuc; [Nisi enim credideritis, non intelligetis,] inquit. Contritum
Esai. 7. præterea appellat eum, qui omni ex parte infirmus est, & integri prorsus nihil habet, neque aut recte incedere, aut boni aliquid facere potest, sed omni firmitate, illa inquam in Christo & in spiritu, omnino vacuus est; quales erant ii, de quibus quidam sanctus propheta scripsit, [Hæc dicit Dominus, Ecce ego
Hiere. 6. do in populum istum infirmitatem, & infirmabuntur in ea patres & filij, simul vicinus & proximus eius morientur.] At vero diuinus ille cātor eos, qui in fide, quæ est in Christo, iustificati, sunt induxit hilares psallentes atque dicētes, [Be D
Psal. 102. nedic, anima mea Domino, qui sanat omnes infirmitates tuas, qui redimit de interitu vitam tuam.] Abscissam porro linguam habentem, vt ego arbitror, eum vocat, qui recte eloqui nesciat, neque enuntiare possit verbum fidei, quod
Rom. 10. prædicamus, sicut scriptum est, illam nempe bonæ conscientiæ interrogatio-
1. Pet. 1. nem in Deum: fore tamen vt hanc quoque debilitatem abiicerent in aduentu Christi, declarat propheta dicens, [Et linguæ balbutientes discent velociter
Esai. 32. eloqui pacem.] Abscissam igitur linguam habet ille adhuc balbutiens, & qui supernam illam, & à Patre nobis datam pacem, idest, Christū, aut quæ de eo sunt, nondum eloqui didicit. Verrucosos autem & scabiosos, & impetiginem habentes esse eos dicimus, qui affectibus morbosis infectum animum in se ipsis ha-

bent

A bent, magnaque peccatorum corruptione laborant, neque cogitant mala hæc esse minuenda, sed ea potius ad turpiora serpere, & in peius dilatari sinunt: verrucæ enim & indomita scabies, atque etiam impetigo semper augescere videntur, & in peius vergunt, totamque paulatim carnem depascuntur: eiusmodi autem sunt nostrorum animorum vitiosi affectus, nisi præcidantur, sed effuso impetu in peius semper excurrere permittantur. abscissis vero auribus animal, & detruncata cauda proteruum hominem ac dicto minus audientem, & non vsquequaque honestum significat. Quid? non eorum auditus oblæditur, quibus est auris abscissa? PALLAD. Sane quidem. CYRILL. Animantia porro caudam non habentia, censeas ne pulcherrima esse forma? minime profecto: habent quippe in se ipsis deformitatem longe maximam. Ergo inhonestus & turpis est, qui animante caudam non habente oblique significatur. Repudiat masculum etiam, quod ad naturam pertinet, sed qui tamen ma B sculorum exequi munera nequeat, collisum inquam & exectum: ij vero sunt rursus, qui, cum viriles ad virtutem putentur, non tamen efficaces item sunt ad virtutis laudem comparandam, sed aridi quodammodo & infecundi, & facultate fructum ferendi multifariam priuati: maxima namque nos nefariarum affectionum turba ad ignauiam & infirmitatem adigit, & præterea eo perducit, vt fructum proferre nullum queamus: ob eamque caussam, vt opinor, multis quoque nominibus id animal, quod castratum esset, Lex appellat, contusum inquit & collisum, & exectum & abscissum; nam variæ admodum in nobis affectiones vigent, quæ nos multis itineribus ad ignauiam imbecillitatemque quodammodo pertrahunt. PALLAD. Credibilis sane expositio. CYRILL. Adhæc esse illud quoque detestandum, alienigenæ hominis manu Deo victimas immolare, declarauit dicens, [Et ex manu alienigenæ non of- *Leuit. 22.* C feretis dona domino Deo vestro;] quo figurate significatur, per solum Christum accedi ad Patrem posse: ipse enim plane immaculatus est & magnus Pontifex noster, ac dispensatoria ratione Mediator; vt enim beatus Paulus ait, [In *Rom. 5.* ipso enim accessum habemus in spiritu ad Patrem.] A maculis igitur esse remotos decet, quicunque, Christo mediatore interposito, suas animas Deo ac Patri consecrare voluerint: [Sancti enim eritis, inquit, sicut ego sanctus sum.] *Leuit. 19.* PALLAD. Optime sane est a te dictum. CYRILL. Cum igitur hostiarum genera in bobus & ouibus moderatus esset, aliis quoque viis pergit, diligentissimeque præcipit, vt, qui id munus exequi consueuerunt, ij sine macula ad Deum accedant: ait enim in Leuitico rursus, [Omnem oblationem, quam *Leuit. 2.* offeretis Deo, non offeretis fermentatam: omne enim fermentum, & omne mel non offeretis ex eo, vt adoleatur Domino: donum primitiarum offeretis ea Domino, super altare autem non imponentur in odorem suauitatis Domino: & omne donum oblationis vestræ sale condietur: non auferetur sal fœderis Do D mini ab oblationibus vestris: in omni dono vestro offeretis domino Deo vestro sal.] Fermentum igitur astutiæ figura est, non illius omnino duntaxat, quæ improbatur, sed alterius quoque, illius inquam probatæ atque laudabilis, quam ipsa etiam Sapientia simplicibus adhuc hominibus daturam se pollicetur: me- *Prouer. 1* dium est enim quodammodo nomen astutiæ. Mel autem voluptatem interdum corporis oblique nobis indicat, vt cum dicitur, [Ne attendas improbam mu- *Prouer. 5.* lierem; mel enim stillat de labiis mulieris meretricis:] nonnunquam etiam laudandæ dulcedinis significationem infert; scriptum est enim, [Comede mel, fi- *Prouer. 24.* li: bonus est enim fauus, vt dulcedine perfundatur guttur tuum.] Probibet itaque Lex, ne in sacrificium & oblationem fermentum aut mel offeratur, nam ea quidem doni primitiarumque loco ab offerente suscipit, non tamen permit-

tit vllo modo, vt Deo in odorem ſuauitatis dicentur. PALLAD. Sed mihi rurſus, quid ſibi hoc ænigma velit, explica quæſo. CYRILL. Difficilis, Palladi, ea quæſtio eſt, nam perſpicere quid ſignificare velit, quod hæc quidem reiicienda minime putat, non tamen vt adoleantur incendanturque, offerri ſinit; quomodo non ſit arduum atque difficile? Puto igitur piæ probæque animæ aſtutiam, ſi tempeſtiue interim adhibeatur, cauſſamque habeat illam in Deum pietatem, ab eo minime repudiari, non tamen eodem numero, quo bonus virtutis odor haberi, neque pro ſpirituali ſacrificio cenſeri: ſimplicitas quippe pluris eſt apud Deum; admirantur enim ac laudant ſacræ litteræ beatum Iacob, his verbis, [Et erat Iacob ſimplex vir, habitans domi:] aliena eſt autem prorſus a ſimplicibus aſtutia. Ceterum ſanctis apoſtolis Saluator ipſe dicebat, [Eſtote prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ.] Veruntamen ſimplicitas quidem apud Deum eſt in pretio, &, ſi cum altera conferatur, omnino præſtantior: illa tamen aſtutia atque calliditas eſt apoſtolatus diſpenſationi conueniens, qua opportune beatus Paulus etiam vtebatur, cum vbique immaturam mortem ſibi ab inimicis intentatam effugeret. Aſtutiam igitur in ſtudiis Dei cauſſa ſuſceptis acceptam eſſe, nihil prohibet, reputari autem in odorem ſuauitatis nullo modo poteſt, ſi ex ipſius natura pendatur. Eadem quoque ratione mel, ſi pro figura carnalis voluptatis accipiatur, mundanam hanc, vt opinor, & a carnalibus delectationibus haud alienam vitam ſignificat: nuptiæ enim honorabiles ſunt illæ quidem, ſi liberorum procreationi ſubſeruiant, neque culpandus Chriſtianus, qui illis legitime vtitur, non tamen id in quoquam homine vim virtutis habebit, neque cum continentiæ laudibus æquari poterit: ſcribit autem ad coniugatos beatus Paulus, [Nolite ſeparari ab inuicem, niſi forte ex conſenſu ad tempus, vt vacetis deprecationi & orationi, & iterum in idipſum reuertimini, ne tentet vos Satanas propter incontinentiam veſtram:] his porro verbis adiunxit, [Hoc autem dico ſecundum indulgentiam, non ſecundum imperium.] Vides igitur eum veniam dare coniugio iunctis? qui igitur fieri poteſt, vt id virtus ſit, cui venia medetur? De virgine autem inquit, [Beatior eſt, ſi ſic manſerit,] innupta nimirum. Non ergo reiiciendum eſt mel, nuptiæ namque recipiuntur, non tamen in odorem ſuauitatis, quemadmodum virtutes. At vero ſal oblationibus inſpergitur: oportet enim nos, mea quidem ſententia, ſapienter prudenterque ſacrificare, ita, vt ad omne opus bonum optime parati ſimus: nam illi mores ingrati & inſulſi, minime iis conueniunt, qui pietatem ſectantur. Ideoque Saluator ſanctis apoſtolis dicebat, [Vos eſtis ſal terræ:] ſcribit etiam Paulus, [Sermo veſter in gratia & ſale conditus, vt det gratiam audientibus.] PALLAD. Liquet ergo prudentiam & ſuauitatem illam gratiæ ſale ſignificari. CYRILL. Ita ſe res habet. Ceterum iam oportere, arbitror, poſteaquam ſacrificandi modos diſtinximus, ex ipſis ſacris litteris conſiderare, qua ratione fieri poſſit, vt, qui peccati morbo laborant, emergere ex eo morbo poſſint, & delictorum incommoda vitare: ſcriptum eſt igitur in Leuitico, [Et locutus eſt Dominus ad Moyſen dicens, Loquere ad filios Iſrael dicens, Anima, ſi peccauerit coram Domino non ſponte, ab omnibus præceptis Domini, quæ non oportet facere, & fecerit vnum ex ipſis, ſi quidem ſummus ſacerdos, qui vnctus eſt, peccauerit, ita vt populũ peccare faciat, afferet pro peccato ſuo quod peccauit, vitulum de bobus immaculatum Domino pro peccato ſuo, & adducet vitulum ad oſtium tabernaculi teſtimonij coram Domino, & imponet manum ſuam in caput vituli coram Domino, & immolabit vitulum coram Domino; & accipiens ſacerdos vnctus, qui conſummatas habet manus, de ſanguine vituli, inferet

Marginalia: Gen. 25. — Matth. 10. — 1. Cor. 7 — Matth. 5. — Coloſ. 4. — Leuit. 4. — A — B — C — D

A feret illum in tabernaculum testimonij, & intinget sacerdos digitum suum in sanguinem, & asperget de sanguine vituli septies digito contra Dominum ad velum sanctum: & imponet sacerdos de sanguine vituli super cornua altaris thymiamatis compositionis, quod est ante Dominum, quod est in tabernaculo testimonij:& omnem sanguinem vituli fundet ad basim altaris holocaustorum, quod est ad ostium tabernaculi testimonij, & omnem adipem vituli pro peccato auferet ab ipso, adipem qui operit intestina,& omnem adipem, qui est super intestina,& duos renes,& adipem,qui super ipsis est,qui est super lumbo, & pinnam, quæ est super iecur, cum renibus auferet ipsa, sicut auferetur a vitulo sacrificij salutaris; & imponet sacerdos ad altare holocausti, & pellem vituli, & omnem eius carnem cum capite & extremitatibus & ventre & fimo; & efferent totum vitulum extra castra in locum mundum, vbi effundunt cinerem, & comburent eum super lignis igni, in effusione cineris comburetur.] Hæc igitur dicit de principe, qui secum vna subditum populum ab eo quod deceret, aberrare fecisset. His autem præceptis alia statim attexuit, [Quod si vniuersa congregatio filiorum Israel ignorauerit, & latuerit verbum ex oculis congregationis, & fecerint vnum ex omnibus mandatis Domini,quod ne fiat præceptum est, & deliquerint, & notum factum fuerit eis peccatum, quod peccauerunt in ipso, afferet congregatio vitulum immaculatum de bobus pro peccato.]Deinde sacrificari eum oportere ait eodem modo,quo prior. PALLAD. Quæ igitur tandem est horum verborum ratio? CYRILL. Perspicua, Palladi, neque ad percipiendum difficilis iis certe, qui perfecto sunt sensu:in Christo namque purgatio omnis fit, sacerdotum ac populi, magni & exigui, & simul omnium, & sicubi singuli delinquimus, aut quod Dei legem ignoremus, aut quod voluntarie fortassis ad ea impellamur, quæ illi omnium præpotenti Deo minime placent. Hanc ob caussam beatus quoque Dauid clamabat dicens, [Delicta iuuentutis meæ, & ignorantias meas ne memineris:] & eum, *Psal. 24.*

C vt qui benignus esset, & clemens & misericors, & nostræ naturæ infirmitatem haud ignoraret, prope dixerim, accusat aperte beatus Iob, differentem, atque refugientem quorundam peccata remittere: itaque ait,[Et cur non oblitus es iniquitatis meæ? & peccati mei purgationem fecisti?] Lex igitur longe ante prædicauit, in Christo,& quidem solo iustificandos esse per fidem,qui peccatis obstricti tenerentur:ipse enim est,qui instar vituli pro nobis ad ostium sacri diuinique tabernaculi est immolatus, vt nobis introeundi aditum patefaceret; ipse, qui tollit peccatum nostrum, vt propheta dicit; (id enim significari arbitror in eo quod manus vitulo imponebantur) ipse, qui per proprium sanguinem ingressus est in Sancta sanctorum, & redemptionem nobis inuenit, & vnica oblatione perfecit in æternũ sanctificatos,vt beati Pauli verbis vtar;ipse est,qui aspersione sui sanguinis Ecclesiã & quidem abũde sanctificat; Intinget, *Iob 7.* *Esai. 53.* *Heb. 9.*

D inquit, sacerdos digitum in sanguinem & asperget de sanguine septies digito ante Dominum: [Accessimus enim, inquit, ad Hierusalem cælestem, & Ecclesiam primogenitorum descriptorum in cælis, & sanguinem aspersionis melius clamantem quam Abel:] Abel enim sanguis clamauit ad Dominum, damnans homicidam fratrem; & ille pretiosus Christi sanguis omnium Saluatoris ad Deum pro nobis meliora loquitur: effusus enim est, vt pro omnium vita pretium esset. Effundebatur autem vituli sanguis ad altaris basim, est enim sancta atque sacra plane illa Christi mors. Et offeruntur quidem intestina cum adipe, & renes, & pinna iecoris: bonum quippe odorem spirant omnia, quæ in Christo sunt, tum quæ extrinsecus parent, tum quæ sunt abdita: illud enim Verbum sanctum erat, nihilque in eo non purum habebatur. Pellis autem ac *Hebr. 12.*

reliqua extra portam cremantur; vt ne ipsum quidem passionis locum Lex non A
indicatum nobis esse fineret : itaque beatus quoque Paulus nobis dicebat,
Heb.13. [Exeamus igitur extra portam, improperium eius portantes,] idest, crucem
Matth.10. pro nobis ac propter nos toleratam: & ipse Saluator ait, [Qui non accipit crucem suam, & sequitur post me, non est me dignus.] Videtur autem extra portam sic accipere beatus Paulus, quasi extra mundum intelligat: voluntas enim sequendi Christum a mundana vita nos excludit; eiusque rei testis est Paulus,
Galat.6. qui sic de Christo dixit, [Per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo :] sancti autem viri, dum in terris versantur, non terreno more vitam traducere, sed conuersationem in cælis habere student. Purgat porro inquinatos cinis in aquam inditus ; quia Saluatoris passio peccatum delet, cum nos per aquam sanctificat, per quam consequimur non carnis depositionem sordium, vt
1.Pet.3. scriptum est, sed macularum, quæ in animis inhærent, ablutionem; [Lauamini,
Esai.1. enim inquit, & mundi estote:] sic enim longe ante propheticus sermo nos hortabatur. PALLAD. In vitulo igitur tamquam in imagine ac rudiore figura, B
mors, quam propter nos atque pro nobis Christus perpessus est, adumbratur. CYRILL. Optime rē tenes. Adhæc, vt puto, mirabere, si etiā illud spectaueris. PALLAD. Quid illud est? CYRILL. Nam siue peccauerit, inquit, princeps vna cum subditis, siue ipsa per se subiecta multitudo, vitulus erit sacrificiū; at, si in priuatas culpas lapsus erit princeps, offerat inquit, hœdū de capris: si vero quispiam de populo fuerit, iam vero nō mas sed femina sit victima. Recitabo
Leuit.4. autem, si placet, hac de re leges: sic enim ait, [Si princeps peccauerit, & fecerit vnum ab omnibus mandatis domini Dei sui, quod non oportet fieri, non sponte, & deliquerit, & innotuerit ei peccatum, quod peccauit in ipso, offeret donum suum hœdum ex capris, masculum immaculatum pro peccato, & imponet manum suam super caput hœdi, & immolabunt in loco vbi immolant holocautomata coram Domino ; pro peccato est, & imponet sacerdos de sanguine peccati digito ad cornua altaris holocaustorum, & omnem sanguinem eius C
fundet ad basim altaris holocaustorum, & omnem adipem eius imponet super altare, sicut adipem hostiæ salutaris, & propitiabitur pro eo sacerdos pro peccato eius, & remittetur ei.] His quoque adiicit, [Si vero anima vna peccauerit non sponte de populo terræ, vt faciat vnum de omnibus mandatis Domini, quod ne fiat, præceptum est, & deliquerit, & innotuerit ei peccatum, quod peccauit in ipso, feret capram de gregibus, feminam immaculatā feret pro peccato suo.] Et cum sacrificij ritum, quo fieri deberet, exposuisset ; [Quod si ouem, inquit, obtulerit donum suum pro peccato, feminam immaculatam offeret illud.] Intelligis, Palladi, mysterij altitudinem veteribus illis tamquam in speculo & vmbris figuratum ? namque magnitudini peccatorum, sacrificiorum oblatio exæquatur. Ac vitulus quidem erat pro principe & populo, quod communi fortasse eodemq; peccati morbo laborarent; pro vno autem, idest, pro anima vna hœdus vnus offerebatur: seipsum enim obtulit Christus, simul quidem D
Rom.5. pro omnibus tamquā in imagine in vitulo excellenti inquā & magna victima: vbi enim abundauit peccatum, superabundauit & gratia : hœdi autem & ouis instar pro vnoquoque priuatim; propterea quod iis, qui sub peccato erant, similis factus est, & inter iniquos reputatus, vt Scripturæ verbis vtar: iniqui autem hominis hœdus figuram gerit, vt infecundus, & aridus: ipse certe Christus sanctos viros vt oues a dextris statuit, operarios vicissim iniquitatis vt hœdos a sinistris. Gloriam igitur eius & amplitudinē perspicere in vitulo potes; quod vero rursus nobis est factus similis, quodque cum iniquis reputatus est, per hœdum intelliges. Idem quoque vt ouis immolabatur ob insitam in eo animante mansue-

A mansuetudinem, & præstantem eius victimæ lenitatem; [Vt ouis enim ductus est, inquit, & vt agnus coram tondente sine voce, sic non aperuit os suum.] Ceterum, si qui delicto tenebatur obnoxius, princeps fuisset, masculus erat hœdus: sin vnus è populo, victima femina erat, siue ex ouibus illa fortasse fuisset, siue de capris, vt in ipsa quoque sacrificiorum differentia, sapientem Saluatoris nostri dispensationem Lex designaret; vbique enim princeps est, & præstantiori honoris gradu masculum animal, proximum ac secundum locum obtinet femina. Igitur singulorum hominum erratis illa quoque per Christum purgatio proportione respondet, & in ijs, qui præsunt, atque principibus, & in subditis, & in singulis atque subiectis; neque enim princeps ac populus, si in peccatum lapsi fuerint, æqualibus criminibus sunt obnoxij, sed maioribus proculdubio culpis tenentur principes; ideo copiosiore quoque gratia abluuntur. PALLAD. Intelligo quid dicas: præstantius est quippe masculum animal altero Esa. 53.
B sexu. CYRILL. Facile est autem videre in Christo quandam gloriæ differentiam: princeps enim est atque dux omnium sine dubio tamquam Deus ac Dominus; factus est autem tamquam ordine posterior ac secundus propter humanitatem; sub Lege quoque positus est, tamquam subditus. PALLAD. Credibilis sane intelligentia. CYRILL. Alia quoque adiungit inquinamentorum genera, & suam cuique rursus purificationem, vt quæ in Christo impleretur, instituit: sic autem dixit, [Si vero anima peccauerit, & audierit vocem adiurationis, & ipse testis fuerit, aut viderit, aut conscius fuerit, nisi nunciauerit, accipiet peccatum. Anima quæcunque tetigerit omnem rem immundam aut morticinum, aut captum à fera immundum, aut morticina iumentorum immundorum, vel morticina abominationum immundarum, aut tetigerit de immundicia hominis ab omni immundicia eius, quam si tetigerit, inquinabitur, & latuerit ipsum, postea vero cognouerit, & deliquerit. Anima Leu. 5.
C quæcumque iurauerit distinguens labijs, vt malefaceret vel benefaceret, iuxta omnia, quæ distinxerit homo iureiurando, & latuerit eum, & ita cognouerit, & peccauerit vnum ex his, confitebitur peccatum, pro quo peccauerit, & offeret pro iis, quæ deliquit Domino, pro peccato, quod peccauit, feminam ab ouibus agnam, aut capellam de capris pro peccato suo, quod peccauit; & exorabit pro eo Sacerdos pro peccato suo, quod peccauit, & remittetur ei peccatum.] Animaduerte igitur eum, qui adiurationis vocem audierit, eamque rem prorsus nihili penderit, & eum qui aliis inquinamentis infectus fuerit, illum prætera, qui de periurio damnatus sit, æquali atque persimili delicti genere comprehendi: macula est enim nefaria sane, & omnium plane scelerum summum ille Dei contemptus, ac delictum carnalibus impuritatibus vicinum atque cognatum. Quid? nonne æqua ratione pendenda sunt execrandum periurii scelus, & contemptus adiurationis? PALLAD. Maxime vero: paria enim sunt
D vtriusque rei crimina. CYRILL. Tamen hæc quoque crimina per confessionem, atque agnæ aut ouis immolationem delebuntur: [Dic enim, inquit, iniquitates tuas prior, vt iustificeris.] Quinetiam beatus Dauid clamat, [Dixi cõfitebor aduersum me iniustitiam meam Domino, & tu remisisti impietatem cordis mei:] Non tamen ad perfectam ablutionem, satis est confiteri duntaxat, sed liberat ex toto Christi mors, qui passus est pro nobis, & sese omnium nostrum peccatis quasi in omni genere mansuetorum animantium subiecit, in vitulo inquam, & oue, & capra. Vt vero occasionem omnem Lex adimeret, quam ii qui immundi impuriue essent, suæ negligentiæ in sacrificiis faciendis possent obtẽdere, sicui vitulus deesset aut ouis, ea quæ manus eius posset, & facultas pateretur, offerre suadet dicẽs, [Si nõ potuerit manus eius quod satis est ad ouem, Esa. 43. Psal. 31. Leuit. 5.

offeret pro peccato suo, quod peccauit, duos turtures, aut duos pullos columbarum Domino, vnum pro peccato, alterum in holocaustum: & feret ad sacerdotem, & offeret sacerdos, quod est pro peccato, primum, & confringet sacerdos caput eius a vertebra, & non separabit, & asperget de sanguine eius, quod est pro peccato, ad parietem altaris, reliquum vero sanguinem exprimet ad basim altaris; pro peccato namque est; & secundum faciet holocaustum iuxta ritum; & orabit pro eo sacerdos pro peccato, quod peccauit, & remittetur ei.] Turturi igitur & columbæ aptissime conferri potest dominus noster Iesus Christus, quod ille quidem inter aues canora sane voce est, ac maxime resonāti, hæc vero mansuetudine summa prædita; vtrumque autem in Christo fuit; oblectauit enim orbem terrarum euangelica prædicatione turtur ille supernus atque cælestis, cum suaue quodammodo carmen modularetur, & Dei ac Patris voluntatem declararet: vt enim beatus Ioannes ait, Quem misit Deus, verba Dei loquitur: vocauit nos itidem ad imitationem suæ lenitatis atque mansuetudinis, ita dicens, [Tollite iugum meum super vos, & discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.] Accipiet igitur turturem sacerdos, inquit, & discindet vngue, sic enim exiguæ aues occiduntur, non tamen prorsus separabit, caput nimirum: sic enim est Christi mors, non ad diuisionem sed vnionem perpetrata. Itaque a principio quoque, cum legem de Pascha sanciret, immolari quidem iussit agnum, tamen, [In vna, inquit, domo comedetur, & non efferetis de carnibus eius foras:] Christus enim minime diuisus, sed vnus integer & in singulis & in omnibus est: & ipse est pax nostra, qui nos ad vnitatem colligit, tum eam, qua inter nos per vnanimitatem iungimur, tum qua per ipsum cum Parte in Spiritu connectimur. Igitur Christi mortem non diuisionem inuexisse, sed mutuam inter nos vnitatem, id oblique declarabatur in eo quod auis illa immolabatur quidem, non tamen in totum a ceruice caput abscindebatur; eundemque sanctificare Ecclesiam suo sanguine, ex eo significatur, quod tabernaculum & ea, quæ in ipso erant, auis sanguine respergebantur. Vnus autem turtur pro peccato, vnus item in holocaustum offertur; verum per vtrumque Christus intelligitur, qui tum pro nobis mortuus est, tum in odorem suauitatis Patri vt holocaustum oblatus, & seipsum pro vniuersorum vita pretium impendit. PALLAD. Recte dicis. CYRILL. Sacrificandi porro munus Lex vsque eo extenuauit, vt parari sacrificium facillime posset, & pro cuiusque facultatis modo fieri iubet, vt illam in recte factis cunctationem vbique præcidat, excusationemque omnem negligentiæ adimat. Scribit autem sic rursum, [Si autem non inuenerit manus eius par turturum, aut duos pullos columbarum, feret donum suum pro eo, quod peccauit, decimam ephi similæ pro peccato; non infundet oleum super ipsum, neque imponet super eo tus; quia pro peccato est; & feret eam ad sacerdotem; & capiens sacerdos ab ea plenum pugillum suum, memoriale eius ponet super altare holocaustorum Domini; pro peccato est, & orabit pro eo sacerdos, pro peccato eius, quod peccauit de vno horum, & remittetur ei; reliquum vero erit sacerdoti, vt hostia similæ.] Sed in his quidem donis nihil est, quod de Christo accipi adhuc possit; sed offerentis vitam, & illum in Christo accessum, & consecrationem, qua Deo dicamur, huius oblationis ritus nobis indicat: offertur enim simila, ex qua fit panis; est autem panis figura vitæ: sed neque ture conspergi, neque oleo rigari oportere dicit, eiusque rei sapientem ac necessariam caussam affert, quia pro peccato est, a quo prorsus lōge remota est & hilaritas, quæ in oleo intelligitur, & bonus odor, qui in ture: nō est autem ambiguum, quin peccatum, quod in nobis est, triste quiddam sit, & expers odoris; cum contra virtus semper & hilaritate, per spem in Deum prædita

Marginal notes: Ioan. 3. — Matthæi 1. [Matth. 11] — Exod. 12. — Leuit. 5.

Section letters: A, B, C, D

A prædita sit, & non exiguum odorem habeat, qualis in spirituali qualitate scilicet esse potest. Vitæ igitur hilaritatem non habentis, & bono odore vacuæ figura est illa sine oleo ac ture simila: sed ipsa quoque in Christo ad hilaritatem transfertur, assumetque bonum odorem in fide, & offeretur Deo per eū, qui abstergit inquinatos, & eos, qui in impuritates prolapsi sunt, abluit: Capiet enim, inquit, pugillum sacerdos de simila, & imponet super altare holocaustorum Domino: in Christo enim accessum habemus, ac per ipsum appropinquamus, qui inquinati sumus: iustificamur autem per fidem, & in odorem suauitatis offerimur Patri; cum spiritualis ille bonus odor non ipsi quidem simus, sed ipse Christus, qui in nobis est. PALLAD. Verissime dictum. CYRIL. Adhæc, si qui Deum offenderint, & aliquid ex iis abstulerint, quæ Deo sanctificata sunt, siue recusatint, quod Deo polliciti sunt exoluere, neque continuo obtulerint, eiusque rei negligentia ad culpam obliuionis peruenerit,
B rursus id crimen expiare docet: sic namque scriptum est, [Et locutus est Dominus ad Moysen dicens, Anima, quæ obliuione oblita fuerit, & peccauit non sponte ab iis, quæ sancta sunt Domino feret pro delicto suo Domino arietē immaculatum ex ouibus pretio argenti siclorū siclo sancto, pro eo quod peccauit, & quod peccauit a sanctis, restituet illud, & quintā adiiciet super illud, & dabit illud sacerdoti, & sacerdos exorabit pro eo in ariete delicti, & remittetur ei:] grauissimum enim crimen sane, auferre aliquid de sanctificatis, & in Dei gloriā dedicatis: æque culpādum est, nec leue crimen ducendū, quæ Deo promissa sint, non persoluere; [Fili, enim inquit, si votū voueris Deo, ne differas reddere illud: melius est non vouisse, quam vouisse & non reddere:] psallit etiam beatus Dauid, [Vouete, & reddite domino Deo vestro:] filij quoque Heli puniti sunt, quod e sanctis nonnihil surriperent, & quæ Dei erant, interuerterent. Qua ratione igitur hoc quoque crimen remittetur? aut quomodo ex huius culpæ laqueo quispiam exoluere pedem, & liberari poterit? Primum quidem si plus
C persoluat quam surripuit. Addet enim quintas, inquit; deinde si emptum arietem in sacrificium obtulerit: id autem Christi figura est, quem Iudæorum principes emerunt quodammodo triginta denariis, quos proditori discipulo numerauerunt. Igitur in Christo, criminum in Deum quoque commissorum fit remissio: ab iis quoque criminibus: quæ in homines cōmissa sunt, eundem ipsum eripere, haud difficile est videre, si proximam, & quæ deinceps sequitur, legem recitauerimus: ea sic habet, [Et locutus est Dominus ad Moysen dicens, Anima, quæ peccauerit, & contemnens contempserit mandata Domini, & abnegauerit rem proximi in deposito vel de societate, vel de furto, aut fraudauit in aliquo proximum, vel inuenit rem perditam, & mentitus de ea fuerit, & iurauerit fraudulenter, de qualibet re, quamcunque fecerit homo, ita vt peccet in ipsa, erit cum peccauerit, & deliquerit, & reddiderit furtum, quod rapuit, vel
D fraudem, quam fraudauit, vel depositum, quod creditum est ei, vel rem perditam, quam inuenit, ex omni re, de qua iurauit fraudulenter, reddet ipsam sortem, & quintam addiciet ei cuius est, ipsi reddet, quo die redargutus fuerit, & pro delicto suo feret Domino arietem ex ouibus immaculatum pretio, in quod peccauit, & expiabit pro eo sacerdos coram Domino, & remittetur ei ex omnibus, quæ fecit & peccauit in ipso.] Vides expiationis morem ac ritum æque in vtroque crimine seruari? Restituet, enim inquit, cum adiectione, & arietis oblatione. Neque solum crimina in Deum commissa, verum etiam in fratres, & generis communione coniunctos expiare oportere, Lex optime præcipit. In Christo autem nō fit ex parte iustificatio, sed perfecta potius macularum ablutio. Ideoque dicebat, [Amen amen dico vobis, quia qui credit in me, habet vitam

Leuit. 5. *Ecclesiast. 5* *Psal. 75.* *Leuit. 6.* *Ioan. 6.*

tam æternam, & in iudicium non venit, sed transit de morte ad vitam.] Quod si iudicium effugit, quisquis in fide iustificationem adeptus est per Christum, omnino dicere necesse est, eum a criminibus absolutum, nullamque genus
Rom. 8 accusationis aduersus eum hominem valere censendum. [Deus est enim, qui iustificat, quis est, qui condemnet?] Igitur, si offensis fratribus facto satisfecerimus, illam in Christo iustificationem paratissimā inueniemus. Sic Zacchæus ille publicanus ad apostolatum vocatus, non modo se vocantem secuturum pollicitus est, sed etiam quæcunque fraudasset, quadruplo redditurum: sic enim statuo, qui Christum in se ipsis per Spiritum inhabitātem suscepturi sint, eos prius oportere maculas abstergere, & eluere crimina, & ita splendidam, & a maculis puram illi suam animam exhibere: vt sine dubio diuinus ille psalmorum Cātor
Psal. 56. cum ad præclarā hanc virtutem peruenisset, clamabat dicens, [Paratū cor meū, Deus, paratū cor meum, cantabo & psalmum dicam:] vt enim lanis, si puræ sint, tincturæ insident; sin vllæ sordiū reliquiæ illis insint, illico facile inductus color amittitur, nec sedē in eis firmā habet; ita Christi participatio in sanctas quidē & puras animas insinit; in iis autem, quæ secus habent, ne insidere quidem hæ-
Sapi. 1. rere vllo modo potest; [Sanctus enim spiritus sapientiæ fugiet dolum, vt scriptum est, & non inhabitabit in corpore subdito peccatis.] Igitur eos, quos læsimus, reconciliando, & fratrum offensiones beneuolentiæ officijs minuendo, omnem a nobis culpam remouebimus, Christique remissionem consequemur. PALLAD. Rectissime dicis. CYRILL. Visne igitur, vt ad ea, quæ dicta sunt, alias quoque intelligentiæ formas colligamus, & vitia ex variis inquinamentis existentia, & quæ pro cuiusque expiatione Lege sancita sint, exponamus? PALLAD. Maxime quidem velim: ita enim hac de re disputatio
Num. 5. copiosiorem nobis vtilitatem afferet. CYRILL. Scriptum est igitur in Numeris, [Et locutus est Dominus ad Moysen dicens, Loquere filiis Israel, & emittant de castris omnem leprosum, & omnem seminifluum, & omnem immundū in anima, a masculo vsque ad feminam emittite extra castra, & non inquinabunt castra sua, in quibus ego versor in eis.] Non videri igitur consentaneum, ea, quæ inuitis necessitate cogente accidunt, Legem in his verbis vitio nobis dare, id cuius perspicuum est: quæ enim caussa est, vt corporis morbus puniatur? quæ ve æquitas postulat, vt qui in carnis infirmitatem inciderit, Lege damnetur? sapienter igitur ac necessario eiusmodi corporis vitia vt animi morborum figuræ atque imagines accipiuntur: ita enim Lex erit spiritualis, ac iuste decreta erunt quæ de vnoquoque horum a Deo pro temporum ratione sancita sunt, si non eos, qui inuiti in morbos inciderunt, pœnis subiiciant, sed eos puniant, quibus pro delictorum ratione iusta castigatio infertur. PALLAD. Præclare sane. CYRILL. Emitti igitur leprosum e castris mandat, subtilissimamque de eo inquisitionem haberi, eumque morbum exquiri iubet his
Leuit. 13. verbis, [Et locutus est Dominus ad Moysen & Aaron dicens, Homini si cui fuerit in cute corporis sui cicatrix signi lucida, & fuerit in cute corporis eius tactus lepræ, veniet ad Aaron sacerdotem, vel vnum ex filijs eius sacerdotibus, & videbit sacerdos tactum in cute corporis eius, & pilus in tactu mutatus fuerit in album, & aspectus tactus humilis præ cute corporis eius, tactus lepræ est: & videbit sacerdos, & inquinabit eum: si autem lucidus albus erit in cute corporis eius, & humilis non sit aspectus eius præ cute, & pilus eius non mutatus est in pilum album, hic est obscurus, & segregabit sacerdos tactum septem diebus: & videbit sacerdos tactum die septimo, & ecce tactus manet coram ipso; non mutatus est tactus in cute, & segregabit eum sacerdos septem diebus secundo, & videbit eum sacerdos septimo die secundo, & ecce obscurus est ta-

A est tactus, non est conuersus tactus in cute; & mundabit eum sacerdos;(signum enim est) & ablutis vestibus suis, mundus erit. Si autem conuersa mutata fuerit significatio in cute, posteaquam vidit eum sacerdos, vt mundaret ipsum, & visus fuerit denuo a sacerdote, & viderit eum sacerdos, & ecce mutata est significatio in cute, coinquinabit eum sacerdos: lepra est.] Gracilitas quædam vocis in his verbis inest, Palladi, nec facile horum verborum significatio percipi potest; necessarium vero arbitror, sensum in pauca conferendo, exponere quid Lex velit significare: prius autem explicabo eius morbi differentiam. Lepra igitur in hominum corporibus grauissimus est morbus, & qui difficillime curetur, & edax: fit autem ex eo quod caro emoritur, excauatur enim vlcus illico absumpta cute, & in profundum desidente, quod malum illud sem per ad inferiores partes serpat: ex quo, vt opinor, fit, vt pilus, qui in illis par tibus exoritur, languescens exalbescat, ac veluti stirps vna cum subiecta terra corrumpatur. Lepra igitur eiusmodi morbus est. Albor rursus infirmitas B est carnis, lepræ persimilis, nisi quod malum illud non in profundum agit, neque morbi sensum in intimas partes mittit, sed innatat quodammodo, & vix pullulat in summo corpore, neque mutat pilum in album colorem, neque tam late funditur, vt reprimi nequeat, sed leuibus admodum remediis adhibitis, facile coercetur, & ad integram valetudinem caro illa pullulans reuertitur. Lepra igitur mors carnis manifesta est: at albor suspicionem habet lepræ, non tamen etiam idem plane quod lepra atque mortificatio. Lex itaque leprosum immundum esse decernit; vt pote cuius caro iam sit emortua; immunē vero ab eo vitio iudicat eum, qui ex albugine laborat, quod in suspicionem quidem venerit lepræ, non etiam leprosus sit. Itaque ait, Si fuerit cicatrix signi, & tactus lepræ, & depressior aspectus cutis, atque etiam pili in album colorem demutatio, quod videlicet cum subiecta carne simul intereat, lepra iam prorsus est; mortificatio C namque illa in profundum serpit. Quod si fuerit albor significationis, sine vlla depressione cutis, aut pili in albū colorem conuersione, id a sacerdote probetur, inquit, & segregetur secundo: nihil enim mirum, si illa dierum dilatio cum probaret morbum, tandem exquirentibus rei veritatem indicatura esset: pilus enim alterum colorem suscipit, cute depressa; & albor in lepram transiuit. Vbi vero horum nihil acciderit, Absoluatur, inquit, a culpa; non enim lepra ille morbus est, sed lepræ similis, & admodum vicinus, idest, albor. Ratio igitur, quæ ad manum erat, reique ipsius declaratio satis exposita est. Age igitur iam spiritualia dicamus, & ad animum ac mentem pertinentes ac latentes intelligentias aggrediamur. PALLAD. Præclarum id erit sane atque vtilissimum. CYRILL. Nobis igitur, qui in Christo viuificamur, viuificatione inquam spirituali, a mortuis operibus est recedendū, & quam longissime abeundum: ea sunt, autem vt opinor, per quæ efficitur, vt moriatur anima, & mens ex-D tinguatur, dum ad ea, quæ carnis ac mundi sunt, effrenate feruntur. Nam, si verum est, qui in carne seminat, eum ex carne metere corruptionem; & qui secundum carnem viuunt, Deo placere nō posse; quomodo aut vndenam poterit ambigi, quin mox morituri sint? Mortuus est igitur, & operibus mortuis obstrictus tenetur is, cuius & anima & mens inquinata est; & mundanæ nequitiæ plena. Hanc spiritualem lepram si quis appellare velit, minime a vero aberrabit; immundus est eiusmodi homo in oculis Christi: Contaminabit enim, inquit, eum sacerdos; in eorum namque numero positus, quibus peccata admodum placuerunt, ad diuinum illud tribunal constitutus audiet, [Discedite a me operarij iniquitatis; nescio vos.] Cum albore autem & cicatrice significationis illi sunt conferendi, qui in solis adhuc concupiscentijs manent, necdum ad cogitationis

Galat. 6. Rom. 8. Luca 13.

nis

nis opus peruenerunt; An verum esse non putas, prius quam ad ipsa opera per- A
ueniatur, in nobis existere & tanquam exoriri libidines atque cogitationes,
Psal. 118. quæ nos ad ea, quæ Lege damnata sunt, impellunt? PALLAD. Fateor equidẽ;
memini enim beati Dauid dicentis, [Prius quam humiliarer, ego deliqui.]
CYRILL. Rectissime ais: nam ante opera animus omnino in delictis versa-
tur, concepta voluptate; tamen, dum adhuc in sola concupiscentia peccatum si-
tum est, in medio stat mens, in vtramque partem spectans, liberamque faculta-
tem habens eo inclinandi, quo libitum fuerit, neque dum emortua est, sed pro-
xime ad interitum accedit, & malũ illud parturit. Eiusmodi quidpiam ille quo-
Iac. 1. que Saluatoris nostri discipulus perspicue monuit; [Nemo, inquiens, cum ten-
tatur, dicat quod a Deo tentor; Deus enim intẽtator malorum est, ipse vero ne-
minem tentat: vnusquisque autem tentatur a propria concupiscentia attractus
& illectus: deinde concupiscentia, cum conceperit, parit peccatum; peccatum
autem cum consummatum fuerit, generat mortẽ.] PALLAD. Ita est. CY- B
RILL. Mors igitur illa nempe spiritualis lepræ ac mortificationis, ex peccato
prouenientis, non in solis concupiscentiis existit, sed in fine atque exitu operũ,
& quoad mens hoc malum adhuc parturit, nondum mortificatio, nondũ mors:
1. Ioan. 5. non enim omne peccatum ad mortem est, vt Christi discipulus dixit; sed adhuc
suspicione laborat eius morbi, qui mortem afferre solet. Alborem vero videri le
pram aut lepræ proximum dicebamus; Considerabit, inquit, sacerdos eum, qui
hoc morbo laborat, albore inquam; &, si quidem videatur non mutari in leprã,
non contaminabit eum, sed segregabit potius: neque enim apud Deum repre-
hensione vacat, vel cõcupiscentia certe ad malũ propius accedere. Sin morbus
ille non fuerit mutatus, neque in peius declinauerit, Mundus esto, inquit. Opti
mum igitur est & plane salutare mortificationem vitare, eam nempe, quæ in fa-
ctis est, & ipsis iam operibus mentem extinguit. Deinde illud quoque sapien-
tis est, omni studio eniti, vt peruersas etiam affectiones declinemus, etiamsi C
ex sola adhuc concupiscentia accidere videantur: id enim, vt opinor, est a lepra
& albore alienum esse: scis enim nostra omnia diligentissime inspicere illum
Emmanuel, magnũ illum Pontificem nostrum, vtpote, qui sit secundum naturã
Deus, & eos quidem, qui ab improbitate abluti sunt, admittere; reiicere contra
de castris sanctorũ, si quos inquinatos aspexerit. PALLAD. Verissima expo
Leuit. 19. sitio. CYRILL. [Sãcti enim eritis, inquit, quia ego sanctus sum.] Animaduer
te porro dicere Scripturam, qui ab eo morbo liberatus esset, eum, posteaquam
abluisset vestimenta sua, mundũ fore; qua in re Lex purgationẽ illam per aquã
prædicat, nobisq; tamquã in figuris corporeo sensu perceptis sancti baptismatis
mysteriũ describit. PALLAD. Intelligo. CYRILL. Iã vero vide, Palladi,
summã attentissimamq; Legis diligentiam; transfert enim in partem contrariã
cogitationes nostras, & omnibus viis demõstrat, quod vtilitatem afferre possit. D
Leuit. 13. PALLAD. Quo tandẽ modo? CYRILL. Ait enim denuo, [Et tactus lepræ
si fuerit in homine, veniet ad sacerdotẽ, & videbit sacerdos, & ecce cicatrix alba
in cute, & illa mutauit pilum album, & a sano carnis viuæ in cicatrice: lepra vete
rascens est in cute corporis eius; & cõtaminabit eum sacerdos, & segregabit eũ,
quia immundus est: si vero efflorescens effloruit lepra in cute corporis sui, & te
xerit lepra omnem cutem tactus a capite vsque ad pedes eius, iuxta omnẽ aspe
ctum sacerdotis; & videbit sacerdos, & ecce texit lepra omnem cutem cor-
poris eius, & mundabit sacerdos eius tactum, quia totum conuersum est in al-
bum, & mundus est; & quacunque die visa fuerit in eo caro viua, contami-
nabitur; & videbit sacerdos colorem viuum, & contaminabit eum: color
viuus immundus est: lepra est. Si vero restitutus fuerit color sanus, & conuersus
fuerit

A fuerit albus, & veniet ad sacerdotem, & videbit sacerdos, & ecce conuersus est tactus in album, & mundabit sacerdos tactum, & mundus est.] PALLAD. Ecquænam ratio cōtrariæ reciprocationis in hac re certe a nobis potest intelligi? CYRILL. Quid? non intelligis nos lepram esse asseruisse illam ex parte in viua carne mortificationem, & qui eo morbo teneretur, eum tamquam immundum reiici? PALLAD. Intelligo. CYRILL. Vide igitur id nobis vicissim in contrarium verti, Si, enim inquit, fuerit totus per totum leprosus, & illa mortificatione ita teneatur, vt nihil sani habeat, is tum contaminationis crimine absolutus censeatur, mundus est: sed, si nonnullæ carnis viuæ reliquiæ in eo fuerint, Damnet, inquit, eum sacerdos immunditiæ; contaminabit enim eum caro viua, & lepra est: id enim tantundem est, ac si lepræ vitio laboraret. PALLAD. Equidem quale istud sit, quod ais, intelligere non possum: nam, si nonnullos inquinat illa ex parte lepra, quomodo mundos B efficiet illa per totum fusa atque perfecta? CYRILL. Est quidem, Palladi, in his verbis gracilitas quædam vocis, sed tamen putare minime debemus illam Legis diligentiam compugnantem & contrariam nobis intelligentiam inferre; sed cuique rei sapientem quandam & necessariam, minimeque reprehendendam rationem esse adiunctam. Atque age dicamus, si placet. PALLAD. Mihi vero placet, & quidem maxime: iucundissimum namque mihi erit, si id ardenter sitienti explicaueris. CYRILL. Duplici, vt puto, ratione laudabilem Deo iudice virtutis amantissimo vitam, & Legi maxime consentaneam tenebimus: aut enim illi viuentes, mortificationem ex morbis animi atque peccatis existentem vitamus; idque est non laborare lepra: viuo namque corpori mortificatio adueniens, ac partem occupans, efficit lepram: aut altero modo ex laudabili mortificatione adhuc mundo viuere fugientes, præstantissimo illo quod rebus optimis defertur iudicio, tamquam corona quadam ornabimur; C sic enim scribit beatus Paulus, [Ita & vos existimate vos mortuos quidem esse peccato, viuentes autem Deo in Christo Iesu.] Igitur viuētes quidem in Christo, quia efficere conamur quod ei placet, mortificationem refugiemus, ex vitiis nimirum atque peccatis existentem: mortui autem peccato, sicut scriptum est, viuere in eo, sapienti consilio recusabimus. PALLAD. Differe dum ista mihi clarius; neque enim satis intelligo. CYRILL. An non, Palladi, ideo dicimus mortem pro nobis Christum sustinuisse, vt qui viuunt, iam non sibi viuant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est & resurrexit, idest, Christo? PALLAD. Dicimus proculdubio. CYRILL. Viuimus igitur Christo, eum secundum Euangelium viuimus, mortificationemque ex peccato venientem detestamur, idest, mortem illam, quæ de morbis animi proficiscitur. Itaque beatus Petrus de Christo scribit, [Qui peccata nostra pertulit in corpore D suo super lignum, vt peccatis mortui iustitiæ viuamus.] Sic enim statuo, qui præclare viuendi studium aliquo numero habent, eos ab omni re, quæ interimere possit, absistere debere, idque efficiendum illis esse maxime, vt maculis liberentur. PALLAD. Recte dicis. CYRILL. Minime igitur is tamquam lepræ morbo laborabit, qui in Christo viuere statuit, & euangelica præcepta sequitur, mortificationemque repellit eam, quæ ex peccato descendit. PALLAD. Assentior. CYRILL. Atque hic quidem vnus est modus, quo Deo placere possimus: alter vero hac ratione rursus perficietur: oportet enim, vt mortificando membra, quæ sunt super terram, fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam, & auaritiam propemodum mortui iam esse peccato videamur, idque prorsus ex omni parte, non adhuc viuentes in ipso: quod confirmat beatus Paulus dicens, [Quid igitur dicemus? manebimus

Rom. 6. — 2. Cor. 5. — 1. Pet. 2 — Rom. 6.

nebimus in peccato, vt gratia abundet? absit: qui mortui sumus peccato, quomodo adhuc viuemus in illo?] Vt igitur in ea vita, qua Christo viuitur, illa ex parte mortificatio crimen erat Lege damnatum; sic in ea morte, qua peccato morimur, si in illo viuamus, inquinatio ea res censetur, & a Legis accusatione minime aliena: ideoque inquit, Si fuerit lepra per totum corpus ac veluti mortificatio per omnia membra peruaserit, significari ea re, hominem qui mortuus est peccato, neque esse corpus illud immundum: est enim, inquit, mundus, cum totus omni ex parte peccato sit mortuus, neque vllum locum peccato reliquerit, aut sedem in se ipso quodammodo atque domicilium dederit. Quod si in eo caro viua rursus apparuerit, inquit, contaminabit eum caro viua: nam quoquo modo vel ex parte peccato viuere, impurum reddit hominem eo morbo A

1. Cor. 5. laborantem: [Modicum enim fermentum totam, inquit, massam corrumpit:] quod verissime dictum est. Quod si restituta fuerit, inquit, caro viua, & in lepram transeat, absoluatur a crimine; purus est: sicque a peccato recessit, vt ei nō adhuc ex parte viuat, cum eius animus ad mortificationem laudabilem trāsierit, & in præclaram sane mutationem abierit. igitur (repetam enim per capita, quæ dixi) si viuimus Deo, nihil sit in nobis mortui; si mortui sumus peccato, nulla eius pars viuat in nobis. Hæc enim est præclara sanctæ conuersationis via, & nihil habentis, quod reprehendi possit. PALLAD. Recte est a te dictum. CYRILL. Subtilius autem hæc vitia corporis Lex distinguit, atque ait, Quod si fuerit in cute, vel in parte corporis olim adusta, eadem rursus diligentia & inspectione vtatur sacerdos: ac si albor ille, qui effloruisse videtur, non mutatus fuerit in lepram, mundus sit, inquit: quod si perspicua alboris illius mutatio in lepram facta sit, immundus erit & impurus: per hæc autem indicat nobis quodammodo Lex morbos animarum, sunt autem ij quamplurimi, si, posteaquam probis moribus curati fuerint, atque paulatim tamquam ad cicatricem perducti, nostra negligentia quodammodo refricentur, fore vt Christus ille pontifex noster inspiciat, & iustissime condemnet: nam, si morbus, inquit, ad solas cogitationes progrediatur, qui eo affectus est, minime immunis erit: separabitur enim, non tamen omnino reiectus, neque in totum emortuus. Sin is morbus extra cogitationes atque concupiscentiam egrediatur, cum iam prorsus in peius commutatus sit, qui denuo in eum morbum incidit, eum ille contaminationis pœna mulctabit. Est igitur in primis cauendum, ne morbos iam sopitos excitemus, neue mentis vlcera renouemus, & ad superiora vitia recurramus: alioquin etiam ipsi illum sanctum virum clamantem audiemus, B C

2. Petr. 2. [Contingit illis, quod vero prouerbio celebratur, Canis reuersus ad vomitum suum, & lota sus ad volutabrum luti.] PALLAD. Recte mihi videris, & valde congruentia dicere. CYRILL. De lepra igitur, quæ in cicatricibus

Leuit. 13. & vlceribus est, hactenus nobis Lex prodidit: iis adiungit etiam & ait, [Et viro siue mulieri si fuerit in ipsis tactus lepræ in capite vel in barba, videbit sacerdos caput, Et siquidem fuerit depressio, inquit, in ipso, cutis tabescentis atque subsidentis, atque etiam capilli in albedinem conuersi fuerint, eiusmodi leprosus, & immundus erit, inquit, sine dubio; sin horum nil fuerit, Tondeat caput aut barbam, inquit, qui albore laborat: itaque raso capillo, adeat sacerdotem, & tunc probetur: nam, si significatio, idest, albor non fuerit latius diffusa, sed in sua quodammodo sede manserit, aut imminuta etiam fuerit, mundus esto rursus: non enim ille morbus lepra est, sed lepræ potius opinio atque suspicio. PALLAD. Quis igitur horum verborum sensus est? CYRILL. Duplex in nobis est inquinamentum, Palladi, carnis inquam & spiritus: ac maculant carnem quidem illa eius turpia nefariaque vitia, animum vero atque mentem D

præ

A præ ceteris illa ex recta dogmatum ratione ad peruersa declinatio,& sanæ fidei corruptio, doli præterea & deceptiones, periuria, susurrationes, inflationes, contentiones, zeli, & quæcunque ijs vicina sunt & affinia, & pariter improbitatis nomine damnantur. Videtur itaque Lex in ijs verbis vitia nobis commemorare ad animum pertinentia, & eos morbos significare velle, quicunque menti solent accidere: caput enim mentis typum gerit, barba item prudentis rationis; est enim ea quoque perfectionis signum. Inspiciet igitur ea,quæ ad nos pertinent, atque subtiliter exquiret ille omnium Pontifex, idest Christus, & mentem ipsam intuebitur, & intima latentiaque præcordia probabit; ac, si aut a recta fide ad peruersam, aut ad morum improbitatem ac malitiam illi maxime inuisam aliqua facta fuerit immutatio atque corruptio, repellet vt inquinatos,sententiamque feret,qua prorsus immundos esse pronunciet:hoc esse arbitror,lepram habere in capite vel in barba. Sin animus in ipsis mali eius ini-
B tijs adhuc sit,necdum tamen ad eos,quos dixi,morbos declinasse prorsus videatur, segregatur ille quidem, mediocrique castigationi ac pœnæ subiicitur; erit autem non omnino immundus, neque a Deo alienus; sed ablutis vestimentis, mundus erit, idest, Christi iustificationem in auxilium accipiet. Illa porro capilli detonsio,quæ sacerdoti vlcus nudum proponit,significare potest omnia velut de medio recedere, ac nudum, minimeque impeditum diuinitatis oculis omnium rerum,quas videre velit,propositum esse conspectum:[neque est enim creatura inuisibilis in conspectu eius, omnia autem nuda & aperta sunt oculis eius,] vt scriptum est. PALLAD. Ita est: dixit enim sancti cuiusdam voce, [Deus propinquans ego sum, & non Deus a longe; num a me occultabitur aliquid?] CYRILL. Vide iam, Palladi, Legem multo subtilius loqui, nihilque prætermittere, quod ad cognitioné sit necessariũ,quin illud suis regulis subiiciendo,audientibus consulat: [delicta enim nemo intelliget,] vt scriptum est, [in multis enim offendimus omnes:] natura namque nostra imbecillitate
C laborat, & facile in peccata prolabitur, & [nemo mundus a sorde, vt sacræ literæ dicunt, ne si vnius quidem diei sit eius vita super terram:] hac de caussa beatus Dauid concinit,dicens, [Si iniquitates obseruaueris, Domine Domine, quis sustinebit? quia apud te propitiatio est.] Vide igitur Legem clementer nobis eiusmodi delictorum crimina remittentem,& eos ex benignitate purgantem,qui humano lapsu in acerbos fere & minime voluntarios delictorum casus inciderunt:sic enim dixit, [Et viro aut mulieri si fuerint in cute carnis eius candores candentes albescentes, videbit sacerdos, & ecce in cute carnis eius candores candentes albescẽtes;alba vitiligo est,effloresit in cute carnis eius:mundus est.] Atqui, si rẽ accurate peruestigemus,carnis morbus est,& affinis lepræ alba vitiligo; non tamen mortificationem habet adiunctam, neque est prorsus desperata:eiusmodi sunt autem, quæ insunt in nobis delicta, quæ, cum procul-
D dubio vitia sint,non tamen sunt ad mortem,& animæ interitum:non enim summo iure agit ille Iudex;quia [ipse cognouit figmentum nostrum,] & nostræ naturæ imbecillitatem non ignorat: itaque remissionem culpæ ex insita benignitate largitur, idque, vt opinor est, Vitiligine alba qui laborat, mundus est. Quinetiam ipsis quoque sanctis viris exiguæ culpæ in animum incidunt,quales sunt verbigratia breues offensiones, mediocres cõmotiones ad iram,simultates cum fratribus, inanis quandoque gloriolæ appetitus, & eius generis perturbationes, quæ ijs quoque, in quorum vitam nullum crimen cadit,& mundi plane sunt, accidere solent: humana quippe sunt, & ijs omnibus prope communia, qui vitam in carne & sanguine ducunt. Hæc itaque rursus describit Lex per ænigma, his verbis, [Si cui de capite capilli fluxerint, caluus est,mundus est;

Heb. 4. *Hiere. 23.* *Psal. 18.* *Iacob. 3.* *Iob 14.* *Psal. 129.* *Leuit. 13.* *Psal. 102.*

&,si ante faciem capilli de eius capite fluxerint, recaluus est, mundus est.] Capillorum illa non voluntaria amissio, capitis morbus est, ad mentis autem figuram acceptum esse capitis nomen,paulo ante dicebamus,mentis enim domicilium caput est, vt quibusdam placet. PALLAD. Memini. CYRILL. Igitur corporei capitis vitia mentis morbos congruenter indicant,sed exiguos item, & quibus æquum sit veniam dare: Lex itaque nos ab omni humana perturbatione remouet,& ab inquinamentis haud voluntarie susceptis, quæcunque nobis accidere possunt; quandoquidem imbecillitate laborare naturā necesse est; & prorsus a perturbationibus alienum esse: non est huius temporis, sed venturi sæculi proprium, quo ex imis sedibus peccatum deturbabitur,& ad vitam omni prorsus vitio carentem transibimus. Si tamen, inquit, extiterit cicatrix significationis rubescens in caluitio,vel in recaluatione,leprosus est,& impurus erit:nam exiguæ nonnunquam perturbationes ad vim criminum transeunt;&,nisi coercitæ a nobis fuerint, sed patentem ac liberum nullisque castigationibus obstructum aditum nanciscantur, grauissime contaminant: verbigratia, irascitur aliquis leuiter, & eo morbo tentatur; coerceatur ergo ea perturbatio mansuetudine, ne, si exiguum delictum incrementum capiat, paulatim ad mortale crimen iis, in quibus inest, euasisse deprehendatur; idque est in caluitio effloruisse lepram, illam inquam ab exiguis initiis ad pessimos exitus propensionem, quam in eo morbo tamquam in figura videmus accidere.Recte *Psal.4.* igitur a beato Dauid dictū esse censeo, [Irascimini, & nolite peccare.]PALLAD. Maximam sane profunditatem habent hæc verba. CYRILL. Sane quidem: sentis enim, vt opinor, nimium subtiliter hæc dici, nec sine sudore eiusmodi intelligentias aut mente percipi aut verbis explicari posse.Fieri autē non posse, vt,qui manifestis delictis nefarie laborent, lateant, cum illa exigua nonnunquam ignorentur, & occulta sint, ex eo disces: nam, qui caluitio laborarint,Mundos esse, inquit,admonebit;quibus verbis recte nobis exiguos errores condonat, vt paulo ante dicebamus: sed, si quibus in caluitio signatur lepra,idest,si ab exiguis initiis ad maiora vitia feratur morbus,tum denique manifeste fedum euasisse pronunciat, neque vllam esse illi reliquam defensionem, *Leuit.13.* qua crimina defendere possit.Itaque ait, [Et leprosus,in quo est tactus, vestimēta eius sint dissoluta,& caput eius detectum, & circa os suum operiatur, & immundus vocabitur: omnibus diebus, quibus fuerit super eo tactus immunditiæ,immundus erit,& segregatus sedebit,extra castra erit eius diuersorium:]nā dissolutio illa vestimentorum, & detectio capitis manifestissime præseferunt apertam impudentiam: quòd autem operto est ore, id significat, nullam quodammodo eum excusationem habere,nec posse aliquid dicere,Deo impuritatē accusante:quod vero illum e castris exire iubet,figura itidem est,illum non amplius vna cū sanctorum choris habitare, sed tamquam pulsum de sacro illo cœtu omnis boni expertem fore. PALLAD.Grauissimum sane malum & exe- *Psal.24.* crandū. CYRILL. Omnino ita est,Palladi,ob eamque caussam dicebat beatus Dauid,[Delicta iuuentutis meæ, & ignorantias meas ne memineris:secundum misericordiam tuam memento mei propter bonitatē tuam, Domine. [Per omnia porro Lex pergit, ac seueritatis suæ significationem edit vsque ad supellectilia,lanā dico,& subtegmen & stamē,& vas pelliceū:Si lepra fuerit, inquit, & vni ex his hoc malum acciderit, rursus diligenter sacerdos inspiciat, & separet tactum;&, si nulla significationis in melius conuersio facta fuerit, absumatur igni: Lepra enim permanens est, inquit: tamen ablui iubet id, in quo vitiū fuerit; ac,si postea compertū fuerit in eo vitium illud insitum esse, ignibus iam tradi præcipit, vt quod omnino nulli sit vsui: in quibus verbis iterum fortasse

lanæ

A lanæ & subtegmini & stamini & pellibus nos comparat: nam lanam & subtegmen, & cetera apud Deum nullo haberi loco, quomodo cuiquam esse ambiguum potest? Igitur grauissimum esse crimen censendum est, post eam purgationem & ablutionem, qua nos Christus abluit, ab inquinamentis non recedere, sed in illis permanere atque consistere: nam, si Christus abluens, nihil nobis profecisse videtur, ignibus torquendos tradet, vt ille profecto secundum Legem sacerdos, postquam nihil profecerat subtegmen aut stamen abluendo, denique comburebat. PALLAD. Ita est. CYRILL. Per lepram ergo Lex mortificationē illam, quæ in factis peruersis est, cōgruenter ostendit, ab ijs, quæ perspicue cernuntur, & sensibus obiecta sunt, rerum occultiorum intelligentias eleganter assumens, & spiritualia carnalibus exemplis illustrans; cumque cumulatam nobis in languoribus corporis, spiritualium inquinamentorum, quæ in animis existunt, cognitionem proponere, & tamquā in corporis morbis, ea,

B quæ spiritualiter accidunt, vellet ostēdere, dixit item in Leuitico, [Homo cuicunque fuerit fluxus, ex corpore eius fluxus eius, immundus est; hæc est Lex immunditiæ eius, emittens semen ex corpore suo, ex fluxu quo cōstitit corpus eius per fluxum, hæc immunditia eius in ipso est, omnes dies fluxus corporis sui, quo constitit corpus eius per fluxum, immunditia ipsius est: omnis lectus, in quo cubauerit super ipsum is, qui seminis fluxum patitur, immūdus est; & omne vas, super quo sederit, qui seminis fluxum patitur, immundum est; & homo, qui tetigerit lectum eius, lauabit vestimēta sua, & lauabit corpus suum aqua, & immūdus erit vsque ad vesperam; & qui sederit super vas, in quo sederit is, qui seminis fluxum patitur, lauabit vestimenta sua, & lauabitur aqua, & immundus erit vsque ad vesperam; & qui tetigerit corpus seminiflui, lauabit vestimenta sua, & lauabitur aqua, & immundus erit vsque ad vesperam.] Ad hæc autem ait *Leuit. 15.*

C impurum fore & abominandum omne vas, in quo sederit seminifluus; etiamsi aqua manus abluerit, & id esto inquinatum; &, si tetigerit quispiam corpus eius, participabit omnino culpam immunditiæ; &, si accesserit ad aliquos nondum inquinatos, subibunt prorsus crimen immunditiæ; ob eamque caussam simul cum leprosis exibat, efferebaturque extra castra, quod nefas esset ad eum accedere, aut cum ceteris misceri, & ipso manus contactu contaminaret eos, qui ei temere occurrerent. PALLAD. Sed quænam in anima est affectio, quæ sit corporalis seminis fluxui persimilis? spiritualis est namque Lex. An non ita est? CYRILL. Ita prorsus: recte enim dixisti. Illud vero aduertas velim: corporis fluor naturæ facultatem aptam fecunditati quodāmodo lædit, cum suppeditationem seminis ad nihilum perducat, & partium illarum firmitatem eneruando, corruptionem minime voluntariam efficiat, ita vt, qui eo languore tenentur, iugi perpetuaque contaminatione laborent. Perge igitur ex hac corporis infirmitate, euidentique imagine ad ea, quæ menti accidunt: ipsa

D namque mens corrumpitur, cum in ijs, quæ minime conuenit, prodigo labore defatigatur, & nulla in re, quæ fructuosa sit, efficaciæ suæ studium collocat, ita vt fructum quidem iustum ac proprium habeat nullum; assidue vero ad id, quod officit delabatur, & præcipiti lapsu ad res turpes feratur. PALLAD. Quale tandem istud est, quod dicis? CYRILL. Nonne, Palladi, creatum esse hominē ad opera bona, beatus Paulus ait? PALLAD. Sane quidē. CYRILL. Ingenium ergo fortitus est ad omnia rerum laudandarum genera aptum & accommodatum. Quid enim? nonne hoc animal sapientiæ omnisque scientiæ capax esse fateris? temperantiæque & fortitudinis, iustitiæ quoque munera facile exequi, si suas partes agere velit, & diuinis legibus obsequi? PALLAD. Fateor. CYRILL. Sed, si his prætermissis, non sapiens iam, sed stultus & excors *Ephes. 2.*

fuerit, neque iis, qui ad veritatem instituendo perducere possunt, momenta A suæ voluntatis adiunxerit, sed potius extra id, quod sibi consentaneum est, præceps ferri maluerit, & cum iis, qui tecta peruertere student, ad interitum descendere, neque rectam atque integram de Deo opinionem habeat, neque sine reprehensione rerum agendarum viam pertranseat; nonne iam vere possis eiusmodi hominem spiritualiter seminifluum dicere, vtpote qui eas vires, per quas fructificare Deo poterat, in nihilum absumat? PALLAD. Equidem ita sentio. CYRILL. Quid vero, si iustitiam facere prætermiserit, & fortitudinis ornamenta contempserit, contraque aperte iniustus, & voluptatibus dissolutus esse cernatur, an non æque ac seminifluum eum affectum putes, qui eam naturæ facultatem, quam ad probas actiones obeundas habet, in res turpes insumat, & spirituali fecunditati præferat iacturam in rebus inutilibus factam? PALLAD. Puto sane. CYRILL. Lex itaque nobis longissime a seminifluo absistere præcepit, vt ab iis maxime discedere doceret, qui ad B vitium propensi essent, atque eos strenue repellere, quos ipse quoque Deus execraretur, vt qui perpetua contaminatione laborent: neque enim profecto nihil damni facimus, cum improbis adhærescimus: verum est enim, quod

Eccl. 13. scriptum est, [Qui tangit picem, inquinabitur.] Contaminat autem omnem supellectilem seminifluus, quamcunque contigerit, & lectum suum, & corpus, & vasa, & aquam, & vasa lignea, per ænigmata videlicet ostendens, illius immunditiæ participem fore, quisquis vel prope illum modo per spiritualem affectio-

1. Timot. 5 nem accesserit: scriptum est enim, [Te ipsum castum custodi, & ne communicaueris peccatis alienis.] Verumtamen & aperta vitia, & morbos in nostris mentibus altissime conditos, & omnes, vno verbo, languores, qui nobis insunt, expellit Christus, & per ipsum fit purgatio, cum id efficere Lex non possit: nemo

Galat. 3. quippe iustificatur in Lege, sicut scriptum est; idque minime falsum esse per-

Leuit. 15. spicies, si consequentia Scripturæ verba intuearis: ait enim rursum, [Si vero C mundatus fuerit seminifluus ex fluxu suo, enumerabit sibi septem dies ad purgationem suam; & lauabit vestimenta sua, & lauabit corpus suum aqua; & mundus erit: & die octauo sumet sibi duos turtures, vel duos pullos columbarum, & feret eos ante Dominum, ad ostium tabernaculi testimonij; & dabit eos sacerdoti, & faciet eos sacerdos, vnum pro peccato, & vnum in holocaustum; & propitiabitur pro eo sacerdos coram Domino a fluxu suo.] Mundat igitur seminifluum, & a morbo liberat, in Christo tamen, per aquam & sanguinem: Numerabit enim sibi, inquit, septem dies ad purgationem suam, & lauabit vestimenta sua, & lauabit corpus suum aqua; & mundus erit. Quod autem in diem septimum mundatio producitur, significat omnino per totam vitam, & in omni vitæ tempore abluendos esse probis actionibus eos, qui ex mundanis vitijs tran sire ad honestiores actiones constituerint: nam hebdomadis spatium temporis plenitudinem habet, ac reuolutionem ad id, quod a principio fuerat, cũ tempus D iam ad finem appellitur; Apertissime autem dicit, oportere, vt ad nostras probas actiones accedat atque adijciatur illa per Christũ purgatio, & per aquam purificatio, vt in ablutione corporis atq. vestium, sanctum baptisma intelligatur, illa etiam purgatione per sanguinem proculdubio simul adiuncta: Octauo namque die, inquit, sumet sibi duos turtures, vel duos pullos columbarum: rursum octauus dies tempus designat illius cum carne dispensationis, cum pro nobis mortem sustinuit Emmanuel, ille nempe argutus canorusque turtur, qui sanguine suo consummauit in æternum sanctificatos; quicquid autem habeat Christi mors, id totum esse in suauitatem odoris, nam pro mundi vita destructioneque peccati suscepta est; id significatur ex eo, quod duo cum sint

turtures

A turtures, vnus pro peccato immolatur, alter in holocaustum: propitiationem quoque pro peccatis nostris fuisse Christum, vt Scripturæ tradunt, ostendit dicens, Et propitiabitur pro eo sacerdos corã Domino a fluore suo. PALLAD. *1.Ioan.2.* Præclare sane dixisti. CYRILL. Hoc itaque ritu purgari oportere seminifluum, diuina nobis Lege præceptum est. Contaminat item cuicunque vel præter voluntatem, vel sponte fluor acciderit, qui ex insito in natura motu tamquã ex fonte manat: Ac sponte quidem accidit, vt qui in coniunctione veneris, & ex nuptiarum lege contingit; præter voluntatem vero, vt in imaginibus fere nocturnis: sic enim iterum dixit, [Et homo, ex quo exierit semen cõcubitus, lauabit totum corpus suum aqua, & immundus erit vsque ad vesperam: & mulier, *Leuit. 15.* cum qua dormierit vir concubitu seminis, lauabunt corpus aqua, & immundi erunt vsque ad vesperam:] paria sunt enim in vtrisque crimina, nihilque est, quod differat. In feminis igitur fluxu longus atque continuus nobis describe-

B batur morbus, in hoc vero loco, qui propositus est, id spectare Lex videtur, vt declaret, eum etiam immundum esse, qui, quamuis non perpetua ac plena corruptione laboret, tamen ex parte certe & minus sæpe laborare videatur. Simile quiddam insinuare videtur ille Christi discipulus, [Si, enim inquit, totam Legem perfecerit quispiam, offendat autem in vno, factus est omnium reus: qui *Iac.2.* enim dixit, Non mœchaberis; dixit etiam, Non occides: quod si non mœcheris, occidas autem, factus es transgressor Legis:] Nam, qui semel deliquerit, siue is in totum Legem violarit, siue in vno & ex parte, eum omnino necesse est criminis reum fieri. Impurus igitur ex Lege est, etiam qui non ad summum contaminationis gradum peruenit, sed vel aliqua ex parte incidisse in eam deprehenditur: non tamen omnino reiicitur; nam is qunque purgatur per aquam in Christo: aduentus enim Domini tempus insinuare videtur, quod ait, eiusmodi

C hominem immundum esse vsque ad vesperam; in consummatione namque, cum sæculum præsens ad ipsum prope occasum vergeret, Christus aduenit, per quem & in quo omnes sordes abluimus ex peccato venientes, & a leuibus grauibusque criminibus absoluti sumus, quicunque delictis constricti tenebamur. Ceterum ante aduentus tempora maculas elui non potuisse, nemo enim in Lege iustificabatur, vt est in Scripturis, id vero discere ex eo potes, quod aperte *Gal.3.* ait, Immundus erit vsque ad vesperam. PALLAD. Intelligo quod dicis; & vera oratio est. CYRILL. His Lex adiungit ad mulierem pertinentia, sanguinis fluxu laborantem, sicque affectam, vt defluuio, quem sistere non possit, eam inquinari fit necesse; vtque in seminifluo omne vas contaminabatur, & lectus omnis, & omne vestimentum, & omnis, qui eum tangeret, aut propius accederet; item in hac quoque, eodemque modo hanc liberat, qui illum liberauit, aqua nimirum abluens, & turturibus immolatis, atque etiam propitia-

D tione sacerdotis, qui mediatoris officio fungebatur. Cumque Lex vellet nos ad intelligentiam spiritualem extollere, neque in carnis languoribus immorari sineret, qui ad res in animo sitas, & quæ intellectu percipiuntur, figurandas assumpti sunt, aperte subiungit, [Et cauentes facietis filios Israel ab impuritatibus suis, & non morientur propter immunditiam suam, dum inquinant ipsi tabernaculum meum, quod est inter ipsos:] nam, cum purgati & sanctificati per Christum erimus, tum denique plane splendidi accedemus, neque amplius sanctum tabernaculum inquinabimus; sed ad Ecclesias adeuntes, puri pure purissimum Deum adorabimus. PALLAD. Optime dixisti. CYRILL. Ceterum fuisse maculatam hominis naturam, neque aliter mundari posse nisi per Christum veram & sacram sanctamque victimam, manifestissime intelliges, si alterum præterea Legis decretum exquisieris: scriptum est enim iterum in

Leuit. 12. Leuitico, [Et locutus eſt Dominus ad Moyſen dicens, Loquere filiјs Iſrael, A
& dices ad eos, mulier, quæ ſemen conceperit, ac pepererit maſculum, immun
da erit ſeptem dies, & die octauo circumcidet carnem præputij eius, & triginta-
tres dies ſedebit in ſanguine impuro ſuo: omne ſanctum non continget, & ad
Sanctuarium non ingredietur, quoad impleti fuerint dies purgationis ipſius.
Quod ſi feminam pepererit, immũda erit bis ſeptem dies iuxta dies ſeceſſionis
purgationis ſuæ, & ſex & ſexaginta dies ſedebit in ſanguine impuro ſuo: & cũ
impleti fuerint dies purificationis ſuæ ſuper filio, vel ſuper filia, afferet agnum
anniculum immaculatum in holocauſtum, & pullum columbæ vel turturem
pro peccato, ad oſtium tabernaculi teſtimonij, ad ſacerdotem, & offeret ante
Dominum, & exorabit pro ea ſacerdos, & purgabit eam a fonte ſanguinis ſui.]
PALLAD. Quæ tandem eſt mulier, quæ peperit? quidue Lex in iis, quæ
de ea præcipit, ſpectat? CYRILL. Subtilitate nos orationis vti, niſi fallor,
neceſſe eſt: difficilis eſt enim huius præcepti ſenſus, nec facile percipi poteſt; B
perſcrutabimur tamen, quoad licuerit. Illud vero, Palladi, præ ceteris vehemen
ter admiratus ſum. PALLAD. Quid tandem iſtud eſt? CYRILL. Nam,
cum ea lex in omnes mulieres caderet, quæ vel maſculum vel feminam pare-
rent, atque generalem aduerſus nos omnes ſententiam ferret, illa ſancta Virgo
a probro exempta eſt, ex qua Chriſtum ſecundum carnem editum eſſe prædica
mus. Vide enim, ſi placet, accuratam Legis diligentiam; Mulier, inquit, non
quæuis citra diſtinctionem, ſed ſi qua conceperit ſemen, & pepererit maſculum,
immunda eſto; atqui ex Spiritu ſancto diuinum illud corpus compactum eſt, ar
cana quadam ratione in ſancta Virgine, neglectis naturæ legibus, formatum:
neque enim indito ſemine indigebat ille ſanctorum primogenitus, ac primitiæ
eorum, qui regenerationem illam ex Deo per Spiritum aſſecuti ſunt; de qui-
Ioan. 1. bus eſt diſerte dictum, [Qui non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, ſed
ex Deo nati ſunt.] Effugit igitur Legis condemnationem ſancta Virgo, quæ mi C
nime ſemen concepit, ſed Sanctiſpiritus opera diuinum puerum peperit. At ve-
ro, quæ parit, & ob eam cauſſam impura mulier, congruenter, atque integro
ſenſu hominis natura intelligitur; ipſi namque naturæ ad præſens mulieris per-
ſonam imponemus. Culpatur autem a Lege, & contaminationibus obnoxia
dicitur, eo quod pariat ad corruptionem, & non ea condicione ſit, qua fuit ſta-
tim atque a Deo accepit vt eſſet, (facta eſt enim ad incorruptionem) ſed potius
eo perducta, vt illi corrumpi & interire neceſſe ſit, damnata propter præuari-
Sap. 1. cationem natura, & præter naturã ex diuina maledictione pœnas luens: [Deus
enim mortem non fecit, vt ſcriptum eſt, neque oblectatur perditione viuentiũ,
neque eſt regnum Inferorum in terris; creauit enim vt eſſent omnia, & ſaluta-
Sapient. 2 res generationes mundi: inuidia vero Diaboli mors intrauit in mundum.] Con
taminat itaque naturam aduentitia corruptio, & mors, quæ inuidia Diaboli
imperium tenuit, ex radice peccati profecta. Alia quoque ratione illud eam cõ- D
taminat, quod in carnali voluptate ſerantur, qui gignuntur. Eiuſmodi quiddã
ſignificare videtur etiam beatus Dauid, cum pſallit ac dicit, [Ecce enim in ini-
Pſal. 50. quitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea.] Impura eſt
igitur natura, vt quæ in tranſgreſſione & maledictione, præter id, quod Deo pla
cebat, corruptioni ſit obnoxia: creauit enim vt eſſent omnia, vt vere dictum eſt.
PALLAD. Quomodo igitur ab impuritate quiſquam liberari poſſit, adiun
ge iam, ſi placet. CYRILL. Ipſa eadem, quæ condemnabat, Lex nobis,
Palladi, iam oſtendit; Segregetur enim, inquit, vt impura ſeptem dies: enume-
ret deinde alios tres atque triginta, & ſedebit in ſanguine impuro ſuo; nimi-
rum ſi maſculum genuit; Sin feminam pepererit, inquit, duplo longior ſe-
gregatio

A gregatio esto, etiam aliorum dierum supputatio duplo maior. Igitur si mas quidem editus fuerit, immunda est quæ peperit, & in impuritate est septem & triginta tres dies, idest, in summa quadraginta; sin femina, bis septem & sexaginta sex, idest, octoginta. PALLD. Quæ tandem est postremo eius rei ratio? CYRILL. Ab exemplis carnalibus Lex nos reuocat ad rerum abditarum perceptionem, & tamquam in tabula quadam spiritualis intelligentiæ, res depingit, quæ sensu percipiuntur. Ij igitur, qui harum rerum habent intelligentiam, aiunt, si mas sit fetus in vtero conceptus, vix post quadraginta transactos dies formam accipere; sin femina, tardius eam ad hoc peruenire, vt quæ infirmiori sit imbecillioriq. natura: sed indigere & ipsam aiunt ad expressã formæ effictionem, bis quadraginta, idest, octoginta diebus. Impura est igitur quæ marem peperit, diebus quadraginta: & femellam enixa, totos octoginta numero dies in immunditia & impuritate versabatur, idest, vsque ad expressam B formationem fetus, & humanæ formæ susceptionem. Purificationis autem nomine, vt Legi placet, agnus & turtur immolabantur ad ostium tabernaculi, interueniente sacerdote, & sacra perficiente: circuncidendum item esse masculum ait ritu, quem Lex decreuit, idest, octauo die. Hic est quidem litteræ sensus. Sed nos ad intelligentiam spiritualem recurramus, dicamusque, qua ratione natura, quæ nos ad corruptionem & impuritatem genuerat, inquinamenta repulerit, & impuritatem ac Legis condemnationem vitauerit: multis namque temporibus in segregatione, idest, longe a Dei conspectu versata fuerat: ea porro tempora ante aduentum fuerunt, quibus regnauit mors ab Adam vsque ad Moysen, ac multiformepeccatum terrenis hominibus imperauit: sed, posteaquam octauo die, ideft, post Legis tempus, & antiquum illum subbatismum, circuncisione non manufacta per Spiritum circuncisi sumus, & formati in Christum, diuinæ eius naturæ facti participes, tum vero crimina repulimus, C sordes etiam abolitæ sunt, & omnes immunditiæ nostræ abierunt: neque enim adhuc gignimur ad corruptionem, per illam in Adam transgressionem, sed ad vitam & incorruptionem, per illam in Christo iustificationem, qui se pro nobis immolari passus est, vt agnus immaculatus ac verus, vt turtur diuinus ac spiritualis; neque enim alia ratione salutem accepimus. An non ita esse censes? PALLAD. Immo vero maxime: figura enim admodum perspicua est.

Rom. 5.

FINIS LIBRI QUINTIDECIMI.




SANCTI



SANCTI CYRILLI ARCHIEPISCOPI ALEXANDRIAE

DE ADORATIONE IN SPIRITV ET VERITATE



LIBER SEXTVSDECIMVS

Spirituales hostias, & oblationes a nobis offerri Deo oportere.



SATIS multa quidem sunt in eam sententiam dicta, vt aggrediendam eam peccati ablutionem, atque purgationem, quæ per Christũ fit doceremus, qui sordes omnes nobis inhærentes abstergere potest, & Spiritus efficacia consumit, mundosque ac sanctos efficere nouit. Itaq. sacræ quoque litteræ hanc Sanctispiritus operationem nobis esse tribuendam ante prædicarunt, his verbis, [Quia statim veniet ad templum sanctum suum Dominus, quem vos quæritis; & angelus testamenti, quem vos vultis. Ecce venit, dicit Dominus omnipotens, & quis sustinebit diem ingressus eius? aut quis subsistet in visione eius? quia ipse ingreditur, quasi ignis conflatorij, & quasi herba lauantium, & sedebit conflans, & emundans sicut argentum & aurum.] His consonat etiam beatus Esaias dicens, [Eluet Dominus sordes filiorum, & filiarum Sion, & sanguinem purgabit de medio eorum in spiritu iudicii, & spiritu combustionis.] Num igitur, Palladi, iustitiæ, quæ in Christo intelligitur, modus perficietur a nobis hac vna re, si nos abluerimus? ac veteres abstersisse maculas satis erit ad illam, quæ sanctis viris debetur gloriam? & summos illos honores conciliabit? an vero tum clariores erimus, & digni, qui summis laudibus ornemur, cum illam in sanctitate vitam, tamquam spirituale donum, & sacrum reuera munus offeremus, & spiritualem cultum perficiemus? PALLAD. Ita esse fateor. CYRILL. Etenim ea res cum diuinis legibus conuenit, & Deo grata est, & in primis probata: nam cessare Sabbato ab omni opere præcepit, ac facere quicquam omnino vetuit, his verbis in Exodo positis, [Memento diem Sabbati, vt sanctifices eum. Sex dies

Margin notes: A (beside "aggrediendam..."); Malach. 3. (beside "verbis, [Quia statim..."); Esai. 1. (beside "rum.] His consonat..."); B (beside "iudicii..."); Exo. 20. (beside "his verbis in Exodo...").

A dies operare,& facies omnia opera tua; die autem septimo, Sabbata, requies Deo tuo: non facies in eo omne opus:] illum in spiritu sabbatismum nimirum hæc figura designat, cum ad cessationem ac vacationem ab omnibus carnalibus operibus & vitiosis studijs per ipsum Christũ vocati sumus, & peccati onus a nobis excussimus,& a vitiis libenter abscessimus,& ab iis,quæ præter Legem fiunt, cessauimus: deest enim talis sabbatismus filiis Israel; neque enim introierunt in requiem Christi, vt beati Pauli verbis vtar. Nobis autem requiem præstitit Christus: & Sabbatum spiritualiter celebrare suasit, virtuti vacantes, & præclaram a delictis cessationem sectantes. PALLAD. Optime est a te dictum. CYRILL. Quamuis autem instituisset olim Deus,vt omnes cessarent Sabbato; ij tamen, qui diuino cultui præerant, & qui vt tabernaculo assisterent, constituti erant, sacra munia itidem obibant; &,cum Sabbatum violarent,iuxta Saluatoris vocem, sine culpa erant, neque Legis violatæ nomine in *Heb. 4.* *Matth. 12.*

B crimen vocabatur. Itaque a terrenis quidem studiis nos ipsi quoque in Christo cessabimus, & hoc modo spiritualem sabbatismum implebimus: neque tamen eousque ab operibus abstinebimus, vt Deo spirituales hostias, & intelligibilia dona minime offeramus; sed Christi vestigia sequentes, sicut scriptum est, nos ipsos sacrificabimus,& illum rerũ vniuersarũ Deum non oue cæsa,vitulorumq; sanguine venerabimur;sed nos potius illi in odorem suauitatis consecrabimus: placebimus enim super vitulum nouellum, cornua producentẽ & vngulas: vtor enim voce Psallentis. PALLAD. Recte existimas. Sed iam perge iterum, & e sacris litteris,adeo præclari admirabilisque cultus formam depinge. CYRILL. Ait itaque Deus in Leuitico omnibus nimirum,qui erant ex genere Israel.[Homo ex vobis quicunq. offeret dona Domino a pecoribus, & a bobus, & ab ouibus feretis dona vestra; si holocausta donũ eius ex bobus, masculũ immaculatum offeret,ad ostiũ tabernaculi testimonii afferet illud, acceptum corã *1.Petr. 2* *Psal. 68.* *Leuit. 15.*

C Domino, & imponet manũ super caput victimæ,acceptabile ipsi,vt propitietur pro ipso,& mactabit vitulum coram Domino: & afferent filii Aaron sacerdotes sanguinem, & effundent sanguinem ad altare in circuitu, quod est ad ostium tabernaculi testimonii, & detrahentes pellem holocausti, concident illud per membra,& imponent filii Aaron sacerdotes ignem ad altare, & congerent filii Aaron sacerdotes concisas partes & caput & adipem super ligna super ignem, qui est super altare, ventrem vero & pedes lauabunt aqua,& imponet sacerdos omnia super altare: incensio est, sacrificium,odor suauitatis Domino.] Nonne perspicua hæc est figura sanctorũ hominum vitæ,& integræ illius atque in spiritu,& sanctitate perfectæ cum Deo coniunctionis? Sumus enim tamquam in mansuetis animantibus vitulo & oui persimiles, cum mundo certe morimur, eo ipso quod carnem mortificamus, vt Deo per euangelicam conuersationem viuamus,& tamquam sacrificium sane spirituale, & suauissimi odoris Patri per

D Filium offerimur. Sed age de singulis iterum dicamus,& subtiliter,quoad fieri poterit, differamus. Nam veluti donum quoddam suam quisque vitam præpotenti omnium Deo consecrat: sed quatenus cuique datur, ac pro mensura, quã habet, cum hic quidem sic, alius vero sic proprium donum a Deo habeat, vt beati Pauli verbis vtar: magnitudine namque illa horum animalium ac diuersitate formæ,inæqualitas,atq. dissimilitudo spiritualis rationalisq. fortitudinis oblique significatur. Siue ergo,vt in vitulo magnus sit atque etiam firmus,siue vt in oue minor,& a perfectione absit, seipsum donum offerat, idque in holocaustum, idest integram consecrationem, vt vitam nõ in res terrenas partitam, sed totam prorsus acceptam Deo ac sacram habeat. Hic porro sit eius hostiæ ritus, Mascula esto victima, inquit, & immaculata: sancti namque viri semper fere *1.Cor. 7.*

per fere sunt Christo conformes; qui masculus est reuera & immaculatus, A
quod masculos quidem principis dignitatem, immaculatus autem præstantissimam excellentissimamque sanctitatem designet: vnus est enim dux ac magister noster ille Emmanuel, idemque sanctissimus, adeo vt cum eo nemo conferri possit. Aliter quoque dici illud potest decere, vt, qui Deo consecrantur, masculi sint, & immaculati, nihilque femineum habeant, nec præ socordia langueant, sed vehementer admodum incumbant, vt se viriliter ac strenue gerant, masculumque quodammodo & erectum in se ipsis animum seruent: quinetiam censuerim puros & immaculatos esse oportere, quoad humanæ naturæ liceat; prudentissime quippe psallit quodam loco beatus Dauid,
Psal. 7. [Iudica me Domine, secundum iustitiam meam, & secundum innocentiam meam super me.] Est enim apud Deum definitus quodammodo humanæ probitatis modus, cum illa, quæ sanctorum angelorum est, emineat, & multis partibus nostram mensuram superet. Mascula igitur & immaculata sacra victima B
esto. Affertur autem quodammodo ad ipsa tabernaculi ostia; neque enim alibi perficimur, nisi prorsus in Ecclesijs erimus accepti Deo, & Patri, Christusque nos vt sacerdos offerat; per ipsum enim accessum habuimus, & ipse nobis
Rom. 5. Heb. 10. innouauit ad essentiam ingressum, cum præcursor pro nobis ingressus sit in Sancta sanctorum, & nobis verum iter ostenderit. Manus præterea vitulo iussit imponere, qua in re oblique significauit eos in figura pro seipsis illum offerre, cum in ipsa pecudis cæde simulacrum quoddam exhiberet, quo aptissime significaretur, non aliter nos sancte viuere posse, quam si mortui mundo fuerimus. Considera enim quemadmodum vmbra nobis formam veritatis exprimat: immolabatur quippe bos coram Domino, effundebatur autem sanguis ad altare: mors enim illa, qua morimur mundo, illaque carnalium motuum extinctio, res est Deo iucundissima, supernaque inspectione digna. Ac fortasse eiusmodi quidpiam psallit beatus Dauid his verbis, [Pretiosa in conspectu C
Psal. 115. Domini mors sanctorum eius:] donum enim quoddam sacrum Deo mors sanctorum erit. Neque vero mortem secundum carnem intelligo, sed potius eam nobis hæc verba significant, quam illi subire soliti sunt, qui cum mundo moriantur, Deo in pietate, & sanctificatione viuunt: neque enim fas est sanctam vitam agere, nisi prius mundo mortui fuerimus. Scribit enim Paulus de Chri
1. Pet. 2. sto, [Qui peccata nostra pertulit in corpore suo super lignum, vt peccatis mortui, iustitiæ viuamus.] Igitur bouis immolatio declarare videtur illud ipsum, quod peccatis morimur, & mortem subimus, quæ apud Deum pretiosa est, quamque intueri dignatur: Immolabunt, enim inquit, vitulum coram Domino. Illa porro ad altare sanguinis effusio, vitæ nostræ consecrationem, & animi in Dei gloriam dedicationem apte, vt opinor, designat. Detrahitur autem pellis hostiæ, & membratim conciditur; atque ipsa quidem pellis detractio, nudationem apertionemque omnium, quæ in nobis insunt, in- D
sinuat: quod vero per membra cæditur, Dei Verbum vsque ad compages,
Heb. 4. ac medullas penetrare optime significat; [Viuus est enim sermo Dei, inquit, & efficax, & penetrantior omni gladio ancipiti, & pertingens vsque ad diuisionem animæ ac spiritus, compagum quoque ac medullarum, & discretor cogitationum & intentionum cordis; & non est creatura inuisibilis in conspectu eius: omnia autem nuda & aperta sunt oculis eius, ad quem nobis sermo.] Accendente autem ignem sacerdote, concisa illa frusta imponuntur altari cum capite simul ac pedibus, & aqua ablutis intestinis: suauitatem enim odoris habent omnia, quæ ad sanctos pertinent, neque quicquam illis inesse creditur, quod a Deo reijciatur. Carnes porro figura sunt vitæ illorum veluti crassioris

A atque corporeæ: illa namque veneranda eſt atque mundiſſima. Caput vero mentis eſt ſignum, vt cogitationum ac deſideriorum inteſtina. Pedes denique inceſſum, qui in factis actionibuſq; verſatur, ſubtiliter inſinuāt. PALLAD. Sanequam acuta expoſitio. CYRILL. Habet tamen veritatem quamuis per caliginem ac tenebras micantem: abdita enim eſt Lex in profundo. [Si autem ab ouibus, inquit, fuerit donum eius Domino, ab agnis atque ab haedis in holocauſtum, maſculum immaculatum offeret ipſum, & imponet manum in caput eius, & immolabunt eum ex latere altaris ad Aquilonem, coram Domino.] Conciditur etiam ablutis inteſtinis æque ac bos. Sanci tque præterea, vt ſuper altare imponatur: eadem in hoc quoque erit ſubtilioris intelligentiæ ratio; non nihil tamen diuerſitatis habet; immolabatur enim agnus e latere altaris, ad Aquilonem. PALLAD. Quæ tandem iſtius quoque rei eſt ratio? CYRILL. An ignoras magis ad Auſtrum vergere Iudæorum terram, ſpa- *Leuit. 1.*
B tium vero ad mare, magis ad Aquilonem ſpectans, infinitos Gentium greges inter ſe partitos eſſe, per vrbes regioneſque collocatos? PALLAD. Verum eſt. CYRILL. Quod ergo in parte, quæ magis ad Aquilonē ſpectabat, agnus immolabatur, ænigma erat, ipſos quoque greges fore Deo ſacros, qui Aquilonem verſus incolebant, hoc idem Saluator etiam de Gentium grege pronuntiauit dicens, [Et alias oues habeo, quæ non ſunt ex hoc ouili; & illas oportet me adducere; & fiet vnum ouile, vnus paſtor.] PALLAD. Teneo quod dicis. CYRILL. Ne vero qui ea, quæ Lege ſancita eſſent, implere vellent, deſperatione atque cunctatione aliqua detinerentur, planiorem quodammodo facit offerendi viam ille vniuerſorum Deus, & animātibus oue minoribus perfici ſacrificium iubet dicens, [Si autem de volucribus oblationem obtulerit donum Domino, offeret a turturibus vel a columbis donum ſuum: & offeret ſacerdos ſuper altare, & confringet caput eius, & imponet ſuper altare, & ex- *Ioan. 10.* *Leu. 1.*
C primet ſanguinem ad baſim altaris, & auferet ingluuiem cū pennis, & proiiciet eas prope altare ad Orientem ad locum cineris; & franget ab axillis, & non diuidet, & imponet illud ſacerdos ſuper altare ſuper ligna, quæ ſunt in igne: oblatio eſt ſacrificij, odor ſuauitatis Domino.] Velim igitur animaduertas rurſum, quam recte atque ſolerter illa ſanctorum hominum cū Chriſto ſimilitudo atq; conformatio ſeruata ſit: eſt enim ille plane ſupernus, & reſonans turtur, itemque manſuetiſſima columba. Itaque in Cantico canticorum de eo ſcriptum eſt, [Vox turturis audita eſt in deſerto.] Summæ porro māſuetudinis ſe ipſum figuram & exemplar nobis propoſuit, cum dixit, [Diſcite a me, quia mitis ſum & humilis corde.] Ecce autem ipſis etiam ſanctis viris ob eam cauſſam, quod Chriſto conformes ſunt, eorundem prope bonorum honor ac dignitas ſeruata eſt: nam ipſi quoque congruenter accipi turtures poſſunt, cum diuinam ſacramque vocem auditoribus mittant, & cantus atque carmina in Dei gloriam *Cant. 2.* *Matth. 11.*
D edere ſtudeant: ideo dicunt, [Lingua mea meditabitur iuſtitiam tuam, tota die ſalutare tuum.] Quinetiam illam in Chriſto vitam degunt, & manſuetiſſimam euangelicæ conuerſationis viam tenent, cum iis, qui in dexteram maxillam percutere volunt, offerūt etiam ſiniſtram, & angariantibus milium vnum, ſponte, ſi velint, & alia duo pergere, gratis pollicentur. Seſe igitur ipſi in odorem ſuauitatis, & in holocauſtum Deo conſecrant inſtar turturum atque columbarum. Deinde capite confracto ſacerdos imponit altari: ſancta namque plane mens ſanctorum hominum eſt, & in primis ſacra, & digniſſima, quæ puriſſimo Deo dicetur: eſt enim ea optimarum cogitationum plena, & veræ Dei cognitionis vnguentum ſpirat: [cogitationes enim iuſtorum iudicia,] ſicut ſcriptum eſt. Sanctam quoque timentium Deum eſſe vitam, perſpicuum fit ex eo, quod *Pſal. 70.* *Prouer. 12*

quod ad sanctum altare sanguis effunditur: vitæ namque figuram habet sanguis. Et aufertur quidem ex iis auibus ingluuies, idest, vesica cum pennis: proiicitur autem vt prorsus inutilis: id vero signum est clarum, sanctorum vitam ipsis etiam corporeis voluptatibus esse superiorem, ita vt iam ne ventris quidem fere, quo cibi omnes deferuntur, vsum desideret: eiusmodi namque est hominum tolerantissimorum vita, qui escas simul & ipsum quoque ventrem contemnentes, conficiunt carnem, & voluptates extinguunt, & ab omnibus mundanis atque superuacuis rebus liberi sunt ac remoti: id enim est pennarum abiectio, vt opinor. Ac necessaria sunt quidem auibus pennarum instrumenta, nobis quoque ipsis ea, quæ ad vsum huic terreno corpori suppeditentur, vestes inquam, & escarum instrumenta, adhæc quibus ea comparentur, pecuniarum copiæ, quæ irruentem indigentiam propulsent, strataque mollia, & his similia. Sed tamen, etiamsi hæc opportuna necessariaque sunt iis, qui in terra atque in corporibus versantur, a sanctis viris certe contemnuntur; qui eiusmodi rerum copiam, non secus atque inutilia impedimenta reiiciunt, ac nudis prope dixerim intectisque corporibus in hoc mundo degunt, obuium quidque & parabile necessitati corporis, & quidem grauate largientes. Euulsis autem pennis, & vesica exempta seu ingluuie, Franget, inquit, ab axillis, & non diuidet, & altari denique imponet. Atque alarum quidem confractio figura est & specimen, quo indicatur sanctorum mentem non alta sapere, neque in sublime volare, sed humilibus consentire, & tamquam inferiora quærere: elatus est enim fere hominum arrogantium animus, & sursum fertur, & in humilioribus considere non sustinet, modestumque sensum atque humilem contemnit. Igitur axillarum confractio abiectionem arrogantiæ figurate designat. Porro vitam suam illos vniuersam & integram Deo dicasse, non eius partem iis, quæ sunt mundi, tribuisse, in eo significatur, quod non diuiduntur: diuisos autẽ esse eos, qui matrimonio iuncti sunt, etiam beatus Paulus dixit. Sacra est igitur mens sanctorum, & vita item sancta, & voluptate corporea superior, & a solicitudine sæculari libera; sensu quoque humili ac modesto decens, denique indiuisa, quod nullam sui partem rebus mundanis impertiat: ideoque in odorem suauitatis Deo dicatur. PALLAD. Ita est. CYRIL. Extenuat autem sacrificij genera etiam ad exigua, & quæ quiuis suppeditare, & haud multo labore parare possit, vt latiorem viam & exiguis & magnis hominibus, vt opinor, ad laudabilia facta patefaciat: scriptum est enim, [Latum mandatum tuum nimis.] Neque ex magnitudine oblationis omnino, apud Deum certe, qui virtutis amator est, de amoris sinceritate iudicatur; sed æquatur amplioribus tenuis ille, si pro viribus dederit. Ait igitur hoc modo rursum, [Si vero anima obtulerit donum, sacrificium Domino, simila erit donum eius; & infundet super illud oleum, & imponet super illud tus, sacrificium est, & feret illud ad filios Aaron sacerdotes: & accipiens ex illa plenum pugillum de simila cum oleo, & omne tus eius, imponet sacerdos memoriale eius ad altare, sacrificium, odor suauitatis Domino.] Intelligis igitur offerentem suæ humilitatis admonuisse: animam enim absolute, si vel maximam habeat in sæculo ignobilitatem, diuina Lex appellat: in quo illam supremæ illius naturæ erga omnes æquabilitatem, & neutram in partem inclinatum iudicium ostendit, vt profecto significat etiam cum dicit, Quia omnes animæ meæ sunt: neque enim est personarum acceptio apud Deum, vt modo dixi. Ergo, si quis ex iis, qui in sæculo ignobiles sunt, donum offerre Deo voluerit, simila erit sacrificij genus, oleo tamen perfusa, & permisto ture. Porro vitæ quidem figuram similam tenere; hilaritatis vero, quæ spe nititur, oleum; tus præterea boni illius odoris, qui recte factis, & præclaris actionibus, & vitæ, quæ

Marginal notes: A; B; Rom. 12.; C; 1. Cor. 7.; Psal. 118.; Leuit. 2.; D; Ezech. 18.; Rom. 2.

A quæ cum Lege maxime conſentiat, eſt adiunctus, longa eſt a nobis diſputatione declaratum. Oportere igitur, Lex inquit, quicunque in ſe ipſis exhilarare illum rerum omnium Deum velint, eos dedicare illi ſuam vitam atque conſecrare, non triſtem de laboribus pro virtute ſuſceptis; [Ne murmuraueritis, enim inquit beatus Paulus,] ſed ſpiritualis odoris plenam; ita enim ſacerdos eius memoriale Deo offeret. In Chriſto enim per ſpiritualem hoſtiam ad Deũ & Patrem accedemus, atque conſequemur, vt ille in memoria nos habeat: nã quæ laudabiliter facere conſueuimus, per ea ipſa teſtabimur & memoria nos dignos eſſe, & Deum in Chriſto nos cognitione ſua complecti. PALLAD. Elegantiſſime dixiſti. CYRILL. His autẽ adiungit, [Si vero offeres donũ ſacrificium coctum in clibano donum Domino ex ſimila, panes azymos, oleo conſperſos, & lagana azyma vncta oleo. Si autem ſacrificium de ſartagine, donum eius ſimila conſperſa oleo, azyma erunt; & comminues ea in fruſta, & infundes in ea oleum: ſacrificium eſt Domino. Si autem ſacrificium a craticula, 1. Cor. 10. Leuit. 2.

B donum tuum, ſimila in oleo fiet. Si autem obtuleris ſacrificium primarũ frugũ Domino, nouas torrefactas fruges freſas Domino offeres ſacrificium primarũ frugum, & impones in eas tus: ſacrificium eſt, & offeret ſacerdos memoriale eius ex frugibus cũ oleo, & omne tus ei us: oblatio eſt Domino.] PALLAD. Abditus ſane eſt Legis ſenſus. Explica nobis illum igitur, ne, cum in res adeo ſubtiles animum adiecerimus, a propoſito aberremus. CYRILL. Conſiderandum eſt, vt opinor, illud Legis conſilium atque ſolertia: ad omnem namque modum deſcendit, ac ſuſcipit quidem vel exiguum donum, vbique tamen ei ſuauitatem odoris & hilaritatem adiungit: audiſti namque ipſum etiã Chriſtum dicere, [Et quicunque dederit potum vni de fratribus iſtis minimis calicẽ aquæ frigidæ tantum in nomine diſcipuli, amen dico vobis, non perdet mercedem ſuam.] Eiuſmodi quidpiam hoc quoque loco cogitandum eſt, & Legiſlatoris benignitas dignis laudibus celebranda: neque enim ille auerſatur, ſi- Matth. 10.

C cut dixi, quamuis viliſſimis rebus implere quis velit, quæ Lege conſtituta ſunt: Siue enim panis ſit, inquit, ſiue laganum vnum, ſiue ex clibano, ſiue ſartagine, ſiue craticula, etiamſi non ex tritico, ſed fruges ſint & freſæ, id eſt, ę leguminibus farina, oleo perfundatur quod offertur, & tus habeat. Videtur autem in his verbis Scriptura ſanctorum virorũ laudes quas aduſtione, ac laboribus, atque etiam contritione ſua pertulerunt, nobis indicare. Clibanus enim & craticula, atque etiam illa per molam facta comminutio ſigna proculdubio ſunt contritionis ac laboris eorum, qui tamquam per ignem probantur: ideoque clamabant, cũ per hanc viam adeo glorioſam pertranſirent, [Quoniam probaſti nos, Deus, igne nos examinaſti, ſicut examinatur argentũ:] pſallit etiam profecto beatus Dauid, Cor contritum & humiliatum Deus non deſpiciet. Sequi autem omnino, & merito quidem, vt, qui ſic laborauerũt, ij odorem ſuauitatis Chriſti Pſal. 65. Pſal. 50.

D adipiſcantur, atque etiam miſericordiam conſequantur, & copioſe gratia Sancti ſpiritus perfundantur, perſpicuum erit ei, qui turis & olei vſum conſiderauerit. Quid enim? nonne, quæ in Lege traduntur, ſubtilium ænigmatũ coniecturæ & vmbræ ſunt? PALLAD. Maxime vero. CYRILL. Tum ergo nos ipſos Deo offerimus, cum peccato morimur, & mortem hanc ſacram ſpiritualiter obimus, viuimuſque iuſtitiæ, ſicut ſcriptum eſt, ac veluti munus quoddam gratiarum noſtram illi vitam dicamus, præclaram ac reprehenſionis expertem, & gloria diuini amoris inſignem. Hoc idem aperte ex alijs quoque legibus intelligemus: ſcriptum eſt quippe in Leuitico: [Si autem hoſtia ſalutaris donum ipſius Domino, ſi quidem ex bobus illud obtulerit, ſiue maſculus fuerit, ſiue femina, immaculatũ afferet illud corã Domino: & imponet ſacerdos manus ſuas ſuper 1. Petr. 2. Leuit. 3.

Ee caput

caput doni,& immolabit illud ad ostium tabernaculi testimonij ; & effundent A
filij Aaron sacerdotes sanguinem ad altare holocaustorum per circuitum,& offerent de sacrificio salutaris oblationem Domino, adipem, qui operit ventrem, & omnem adipem, qui est supra ventrem, & duos renes, & adipem, qui super ipsis est, qui est super lumbis, & pinnam iecoris cum renibus eximet, & imponent ea filii Aaron sacerdotes super altare super holocausta, super ligna, quæ sunt super ignem: oblatio odor suauitatis Domino,] Immaculatus igitur bos offertur, puros enim esse oportet, & a macula omni remotissimos, qui Deo in odorem suauitatis offeruntur. Immolabatur præterea ad ipsa ostia tabernaculi, manibus offerentis super illum impositis; cuius rei quæ sit ratio, iam perspicue dictum est. Imponebatur autem, vt adoleretur, adeps qui supra ventrem erat, & duo renes simul cum illis excepta pinguedine, & pinna iecoris: atque adeps quidem, qui supra ventrem est, vt ego arbitror, mentis, vt ita dicam, pinguedinem & obesitatem viscerum, quæ per subministrationẽ Sancti spiritus optime pasta sunt, indicat: nam vt alimentorum copia in rationis expertibus animan- B
tibus atque in humanis corporibus pinguedinem efficit, sic diuinorum munerũ largissima participatio sanctorum hominum mentes omnibus bonis complet: ideoque & sacri sunt, & in odorem suauitatis Deo præcipue dicantur. Renes item figura sunt illius, quæ in mente sita est, in discernẽdo, efficaciæ, qua reiicitur quod obesse potest, & econtra quod iuuat eligitur, & assumẽdum iudicatur.

1. Tessal. 5. Scribit etiam beatus Paulus, [Omnia probantes, quod bonũ est, tenete; ab omni specie mali abstinete.] Ergo, quoniã renes pars est humani corporis, vim habens discernendi; nam superuacua excernit probe, quodque vtile est & commodum, in naturam corporis admittit; ac quibus quantumve tribui oportet, solerter distribuit, ob eam caussam renes iure ad vim discernendi in mente sitam, transferendi sunt. Sacri sunt igitur, & tamquam donum Deo dicatum sanctorum hominũ renes, ea videlicet discretio, quæ in mente eorum inest. Sunt enim argen- C
tarij periti ac diligentes, Deo dicati homines, qui semper quod vitiosum est, improbant, quodque vtile est, optimum iudicant. Sic enim arbitror illum quoque beatũ Psaltẽ, cum in hoc genere laudis excellere soleret, clamasse ad Deũ,

Psal. 138. [Quoniam tu possedisti renes meos, Domine.] At vero pinnam iecoris nihilominus nobis ostendit aut animi actionem, aut motum præcordiorum, quo ad concupiscentiã tendunt. Nonnulli vero in iis rebus diligenter versati, confidenter asseuerant, omne animans in iecore habere concupiscentiam. Dedicanda est igitur etiam pinna iecoris Deo, id est, ille ipse tamquam fons omnis nostræ cõ-

Psal. 37. cupiscentiæ, vt tradit ille Psalmorum cantor, [Domine, ante te omne desideriũ meum.] Is autem de se prædicare, & vocem adeo gloriosam atque admirabilem canere potest, cuius in iis solum, quæ Deo placent, omnia desideria fixa sunt, & quæ ille fieri a se velit, ea sentire comprobatur. P A L L A D. Assentior; nam recte intelligis. C Y R I L L. De oue autem & capra eandem statuit legẽ, D
idemque in illis sacrificiis ritus seruabatur; in quo ex horum animantium magnitudinis differentia, eorum, qui fructus ferunt & pietatis, atque probitatis mensura eleganter declaratur: nam ille quidem abunde & excellenter, vt in vitulo intelligere par est, hic vero mediocriter, vt in oue, alius denique adhuc submissius virtutem colit, minor est enim capra quam ouis, idque est, vt opinor,

Matth. 13 quod illa fertilis terra iuxta euangelicam parabolam centesimũ, & sexagesimũ & trigesimum fructũ edidit. P A L L A D. Assentior. C Y R I L L. Ceterũ pro cuiusque recte factorum ratione præmium persolui, & inæqualem laboribus mercedem iis, qui se strenue gesserunt, a Deo rependi, fidem certissimam

Matth. 25 faciet idem ipse Saluator, qui talentorum distributionem non æqualiter esse factam

A factam dicit; sed eos, qui se laudabiliter gessissent, vnum quidem vrbibus decem, alterum quinque præficit: appenditur enim quodammodo cuiusque vita, & æquabitur omnino probitati nostræ illa retributio: idem quoque nihilominus, vt dixi, Moysi lex ostendet: ait enim rursum in Numeris, [Et locutus est Dominus ad Moysen dicens, Loquere filijs Israel, & dices ad eos, Cum ingressi fueritis in terram habitationis vestræ, quam ego do vobis, & feceritis oblationem Domino holocausta vel sacrificium ad magnificandum votum vel sponte, vel in festiuitatibus vestris, vt faciatis odorem suauitatis Domino, si quidem a bobus, vel ab ouibus, afferet qui offert donum suum Domino, sacrificium similæ, decimam partem ephi consparsam oleo quarta parte hin, & vini libamen, quartam partẽ hin facietis super holocausto vel super sacrificio: agno vni facies tantum: oblationem odorem suauitatis Domino: & arieti cum facietis illum in holocaustum vel in sacrificium, facies sacrificium similæ duas decimas consparsas oleo tertia parte hin, & vinum ad libamentum tertiam *Num. 15.*

B partem hin offeretis in odorem suauitatis Domino. Si autem feceritis de bobus in holocaustum, vel in sacrificium ad magnificandum votum, vel ad salutare Domino, offeret super vitulo sacrificium similæ tres decimas consparsas oleo dimidium hin, & vinum ad libamentum dimidium hin: oblatio odor suauitatis Domino. Sic facies vitulo vni, vel arieti vni, vel agno vni ex ouibus vel ex capris iuxta numerum ipsorum: omnis indigena sic faciet, dum offert oblationes in odorem suauitatis Domino. Si autem proselytus ad vos accesserit in terra vestra, vel qui fuerit in vobis, in generationibus vestris; faciet oblationem odorem suauitatis Domino, iuxta ritum, quo facitis vos; sic faciet congregatio Domino: lex vna vobis, & proselytis, qui apponuntur vobis, Lex æterna in progenies vestras: vt vos, sic proselytus erit coram Domino; Lex vna erit, & iustificatio vna erit vobis, & proselyto, qui apponitur vobis.]

C PALLAD. Sed vbinam mercedem æqualem, vt ais, & proportione factis nostris respondentem videre possumus? CYRILL. Quid? non audis, Palladi, Legem aperte dicentem, Si quis voluerit vota soluere, & holocausta facere, si quidem agnum immolauerit, decimam partem Ephi similæ, vini vero & olei quartam partem hin (mensuræ sunt autem hæ iuxta Hæbreorum linguam) adiiciat sacrificio; sin aries fuerit, reliqua largiore quoque mensura conferantur, Idest, tertia parte, quarta enim mensuræ pars minor est quam tertia: at, si vitulus offeratur, simila quoque & cetera tertiam partem superent, & ad dimidium perueniant? PALLAD. Audio equidem; sed quid istud tandem est? CYRILL. Nosti scilicet, vitæ quidem esse figuram illam ex tritico similam, hilaritatis autem oleum, scriptum est enim, [Vt exhilaret faciem in oleo,] lætitiæ vero spiritualis, quæ & superna est, & per Spiritum datur, nota est vinum; [Vinum, enim inquit, lætificat cor hominis.] *Psal. 103.*

D PALLAD. Teneo. CYRILL. Igitur pro eorum, quæ quisque obtulerit, ratione, sequitur etiam vitæ a Deo tributæ subministratio hilaritati lætitiæq. coniuncta: neque vero in viuendo, idest, in ea viuificatione, quam Deus tribuit, magis aut minus esse dicimus; (nam id stultum esset) sed, vitam cum dicimus, illum viuendi splendorem intelligimus, per quem vnus alterum superabit, ille alter vicissim minus, quam ceteri, habebit; non tamen erit expers honoris & gloriæ: stella enim a stella differt in gloria. Est igitur hoc quoque loco illius sanctorum hominum vitæ, qua parte gloriam habent, imago quædam illa sacrificiorum differentia, quæ ex adiunctarum oblationum quantitate men- *1. Cor. 15.*

suram gloriæ nobis describit. Fore autem vt gentiles vna cum Israelitis Saluatoris nostri iugo ceruicem submitterent, & eadem sacrificia exhiberent, & per easdem spirituales recte factorum laudes transirent, ostendit cum adiecit, non alijs proselytum oportere vti legibus: vna est enim, quæ ad Dei ac Patris coniunctionem ducit omnium via, eaque Christus est: vt enim beatus Petrus ait, [non est nomen aliud sub cælo datum hominibus, in quo nos oporteat saluos fieri.] PALLAD. Rectissime sane & artificiosissime hæc exposita sunt. CYRILL. Minime vero nos mentiri, cum asserimus varia esse ex recte factis commendationis genera, & pro cuiusque modo æqua esse a Deo tribuenda præmia, declarat etiam vir ille sapientissimus Paulus, cum dicit, [Qui parce seminat, parce & metet; & qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet:] ante hunc vero clamauerat Dauid, [Et retribuet mihi Dominus secundum iustitiam meam, & secundum puritatem manuum mearum retribuet mihi:] nam Pauli iustitiam verbigratia, nonne præstantiorem esse dices quam cuiuslibet hominis, qui nondum tantus sit, quantuscunque ille a nobis esse intelligatur; (de fortitudine spirituali loquor) ita vt aperte clamare possit, [Mihi vero absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo?] PALLAD. Maxime vero. CYRILL. Præterea nonne excellentiorem esse dabimus manuum Ioannis puritatem, quam alterius, cum ille ad ipsum verticem euangelicæ conuersationis ascenderit? PALLAD. Quidni dabimus? CYRILL. Iam vero dic mihi, ille vniuersorum Iudex paremne præclaris sanctorum factis & per omnia similem a nobis iustitiam requiret; an vero, e xaminata infirmitatis nostræ mensura, nihil amplius quam quis habeat ac præstare possit, exiget? PALLAD. Idem ego quoque sentio; sic enim dicebat Christus, [Apud quem multum deposuerunt, multum etiam petent ab ipso,] quod ipsum vicissim quoque scilicet verum est, parum nempe ab eo, qui minus accepit, CYRILL. Vide itaque idipsum Lege sanciri, Deumque pro cuiusque hominis mensura ab eo rationem exposcere; qui, cum infinitæ benignitatis atque elementiæ fons sit & origo, neminem ad se cum fide accedentem reijcit, sed vnumquemque ea ferentem, quæ habuerit, admittit, & oblationes spirituales suscipit, quodque supra vires est, vbique recusat. Sic autem habet Lex hac de re constituta in Leuitico, [Et locutus est Dominus ad Moysen dicens, Loquere filijs Israel, & dices ad eos, Homo quicunque vouerit votum, vt pretium animæ suæ Domino, erit pretium masculi a viginti vsque ad sexaginta annos, erit pretium eius quinquaginta sicli argenti pondere sancto; feminæ autem erit pretium triginta sicli: si vero a quinque annis vsque ad viginti, erit pretinm masculi viginti sicli, feminæ autem decem sicli: a mense vsque ad quinque annos erit pretium masculi quinque sicli argenti, feminæ autem tres sicli argenti. Si autem a sexaginta annis & supra, siquidem masculus fuerit, erit pretium eius quindecim sicli argenti; si autem femina, decem sicli argenti: quod si pauper fuerit ad pretium, stabit ante sacerdotem, & æstimabit eum sacerdos; vt poterit manus vouentis, sic æstimabit eum Sacerdos:] adibant enim nonnulli, & seipsos in sanctificationem, & donum Deo adscribebant, & definitum Lege numerum siclorum libenter dicabant. Quod siquis non admodum potens fuisset, seu ex ignobiliorum numero, non amplius ex Legis præscripto pecunia soluebatur, sed eius arbitratu, qui eo tempore sacerdotis officio fungeretur, certum quiddam debitum, quod soluentis viribus

Marginalia: A (line 1); Act. 4. (beside "tus Petrus ait"); 2. Cor. 9. (beside "cum dicit"); Psal. 17. (beside "[Et retribuet"); B (beside "tus sit"); Galat. 6. (beside "li loquor"); Luc. 12. (beside "tio; sic enim"); C (beside "rum nempe"); Leuit. 27. (beside "co, [Et locutus"); D (beside "pretium masculi quinque")

A viribus æquale esset, definiebatur. Atque hæc est aperta litteræ expositio ac sententia. Opportunum autem arbitror commemorare ijs, qui studiosissime sacris litteris incumbunt, olim cum Pharisæos alloqueretur, Christum huius præcepti perspicue atque euidenter mentionem fecisse; qui, cum ad vanā quandam, & minime Lege sancitam viuendi rationem sese transtulissent, & docerent doctrinas mandata hominum, sicut scriptum est, accesserunt dicentes, [Cur discipuli tui transgrediuntur mandatum seniorum? non enim lauant manus, cū panem manducant:] statim vero ad illos Saluator, [Quare & vos transgredimini mandatum Dei? Deus enim dixit, Honora patrem tuum, & matrem tuam, vt bene sit tibi, vos autem dicitis, Quicunque dixerit patri suo & matri suæ, Donū quodcunque ex me tibi proderit; non honorabit patrem suum & matrem: & irritum fecistis mandatum Dei propter traditionem vestram.] Nam, cum pecuniæ lucrique admodum cupidi essent Pharisæi, quamplurimos videre cupiebant ad censum Lege constitutum venire; vtque eorum sacculi implerentur, quæ quisque accedens ferret, auidissimis manibus colligebant. Verisimile autē est, nonnullos censum abnuere, qui cunctationis suæ excusationem haberent haud illiberalem, paupertatem nimirum; & quod ijs rebus patris matrisque senectutem sibi alere necesse esset, quæ ipsi summo cum labore vix pararent: hæc cum audirent scelesti illi Pharisæi, hortabantur vt alacriter ad munera Deo dicanda pergerent: qua in re neque æquitati consentanea sentiebant, & Legis præscripta contemnebant, quæ decreuerat, vt quam diligentissime reuerentiam erga parentes exhiberent, & eis curam impenderent; sed monebant vt, vale illis dicentes, ea exequerentur, quæ Lex ipsa præscriberet. Nam, quia ex Legis decreto crimen erat aliquid ex ijs, quæ ad Dei gloriam oblata essent, interuertere; ea vero, quæ dedicabantur, dona vocabant, illi docebant vt parentibus vitæ subsidia repetentibus dicerent, Donum quod cunque ex me tibi proderit; idest, quod tibi daturus essem, id Deo consecratum est: scitoq. te Legem violaturum, si, quæ ad Dei gloriam dicata sunt, furtim sustuleris, & impie acceperis: illam vero in parentes inhumanitatem culpa omni vacare asserebant, ac turpissimorum commentorum ijs auctores erant, qui suas facultates Deo potius ex Lege consecrare statuebant. Hoc est, vt opinor, [Quicunque dixerit patri suo, vel matri suæ, Donum quodcunque ex me tibi proderit, non honorificabit patrem suum, aut matrem suam:] liceat enim hac in re non honorare patrem, neque matri reuerentiam exhibere iis, qui dicunt, donum quodcunque ex me tibi proderit, idest, quod si darem, tibi prodesset, id Dei donum est; itaque Dei donorum fur eris. PALLAD. Recte ac vere dictum esse censeo. CYRILL. Iam vero, cum historiæ ratio perspicua facta sit, veniamus ad spiritualia, & intelligentiam sensibilibus figuris altiorem pertractemus. PALLAD. Veniamus sane. CYRILL. Vnusquisque nostrum, Palladi, qui fide iustificati, & in Spiritu sanctificati sumus, donum Deo sacrum factus est. Singuli porro vitam nostram Christo debemus: vt enim beatus Paulus ait, [Pretio empti sumus, & non sumus nostri:] &, [Vnus pro omnibus mortuus est, vt qui viuunt, non adhuc sibi viuant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est & resurrexit:] acquisiuit enim nos per se Deo ac Patri, suo sanguine tamquam pretio pro nobis persoluto. Accedimus igitur ad omnium Saluatorem Christum per fidem & sanctificationem, eorum quæ ab eo accepimus, hanc vicissitudinem referentes, vt vitā, quæ in pietate ducitur, illi dedicemus. Huius autem oblationis genus non simplex esse intelligitur, sed multiplex; & quidem satis cōuenienter: nonnulli enim non satis fortiter, alij autem feruentioribus studiis ad eam rem prosiliunt, & vegeta mente, vigilantique animo, ac valentissimo conatu ad ea exequenda pergunt,

Marginalia: Matth. 15. — B — C — D — 1. Cor. 7. — 2. Cor. 5.

gunt, quæ præstare opus est, quæque illi placent. Hi autem sunt, vt ex historia A
significatur, qui ætatem agunt a vigesimo anno vsque ad sexagesimum interie-
ctam: tum enim incipit firmũ esse corpus, & valentissimos habere motus vsque
ad sexagesimum annum: eoque tempore erecta cõsistit, & corroborata est quo-
dammodo mens, & aptissima ad ea, quæ discere velit, accipienda: qui vero nouit
Psal. 102. figmentum nostrum, sicut scriptum est, is omnino intelligit eiusmodi quandam
etiam in animis ætatem: nam e similitudinibus corporeis ad spiritualia progre-
ditur oratio. Siue itaque masculus sit, siue femina, cũ spirituali ætate adhuc fir-
ma sunt ac vegeta, offerant, quæ Lege præscripta sunt, idest, masculus tãquam
in quinquaginta siclis, integrum atque in primis perfectum spiritualis cultus
fructum, quem per septies septem absolutissimum, perfectissimumque esse, aper
te testatum est. Femina rursus tamquã in siclis triginta, minus enim laudis me-
retur illa quidem, quam masculus, offert tamen fructum vt in sua natura perfe-
ctum, & labore partum, tricenario numero significatum. Quisquis vero supra
quintum annum vsque ad vigesimum fuerit, masculus quidem siclos viginti sol B
uit, at femina decem: a quinto namque, vt opinor, anno vix tandem animus
tamquam respicere ad intelligentiam incipit. puerilem quidem adhuc illam, &
infirmam, sed proficientem tamen, corpus etiam continenter ad robur ac firmi-
tatem progressionem facit. Intelligis ne quod dico? PALLAD. Sane qui-
1. Pet. 3. dem. CYRILL. Igitur spirituali robori fructus quoque, quem singuli ho
mines ferunt, æqualis est: ac femina vbique est masculo interior, sæpe dimidio
minor: nam, quod infirmum sit vas, testatus est aperte beatus Paulus. posterior
1. Timot. 2. est etiam viris felicitate naturæ: ac tacet ea quidem in Ecclesijs: neque enim ser
monis officium ei creditum est, neque satis fortis ad virtutis munera exequen-
da, vt esse masculus cernitur. A mense autem, inquit, vsque ad quintum annum
quinque siclos soluit masculus, femina vicissim tres. Atqui ab infantibus qui-
nam fructus existat? ergo modo genitum in Christo puerũ Scriptura nobis in-
Heb. 5. sinuat, quibus accommodatum esse alimentum lac, beatus Paulus ait: nam ab C
1. Cor. 3. iis, qui modo vocati sunt per fidem, & infantes adhuc sunt, exiguus est fructus:
idque cum scirent beati illi discipuli, iis qui erant ex gentibus, quamuis a Chri
sto quamplurima euangelica præcepta tradita essent, scribunt vt caueant a for
Act. 15. nicatione, & suffocato & sanguine; quæ seruantes, bene acturos dixerunt: ne-
que enim grauioribus præceptis onerandus est tener adhuc & puerilis animus.
Addidit etiam Lex, exigendum esse ab eo, qui sexagesimum annum ac supra
natus esset, a masculo quidem quindecim siclos, a femina decem: ea enim ætas,
quæ iam ad imbecillitatem infirmitatemque vergit, non admodum fructuosa
est, vt senescentes arbores certe videmus effeta radice ægre fructus edere. Ergo
Deus ille iustus plane & misericors, pro cuiusque alacritate, & animi facultate
fructus accipit; neque imbecillem, & in vergente iam ætate positum repudiat,
& tamquam infirmum reiicit, neque rursus firmum inhonoratũ abire sinit; sed D
latiorem campum quodammodo aperit, in quo quisquis voluerit, pro modo
virium sibi laudem pariat. Qui autem infirmiores sunt fortasse & rudiores, ipsos
habebit loco census, & cuique præscribet quod vires ferent: id enim est, vt
opinor, stabit coram sacerdote, & æstimabit eum sacerdos, quantum potest ma-
nus vouentis. PALLAD. Quam subtilis expositio! CYRILL. Offe-
renda est igitur Deo, Palladi, tamquam odor suauitatis, ac tamquam debitum
quoddam digna sanctis hominibus conuersatio, & excellentis vitæ gloria: scis
Prou. 3. enim quendam sanctum virum scripsisse, [Honora Dominum de tuis iustis la-
boribus, & primitias illi offer de tuis iustitiæ fructibus:] nam prisci illi homines
boum victimis & ture se Deum honorare putabant; ea enim erat legalis con-
uersationis

A uersationis via, sed nos, qui iam in Christo per fidem præstantiorem atque meliorem viam ingredimur, adorationem, quæ in spiritu ac veritate fit, Deo dicabimus omnē rudentem, vt dicitur, mouentes, vt strenue, quæ oportet, perficiamus, & donis spiritualibus ac sacris Deum veneremur. Nam ego quidem censeo meminisse oportere verborum, quæ per sapientissimum virum Moysen aperte dicit, [Quæ egrediuntur de ore tuo, seruabis,] idest, quodcunque voueris, omnibus viribus contende, vt perficias: nam in his rebus cunctatio non est impunita. [Si enim voueris, inquit, votum Domino, ne moreris reddere illud: bonum est, non vouere te, quam vouere & non reddere.] PALLAD. Verum est. CYRILL. Atqui industriæ in soluendis votis atque nuncupationibus aptum propositum non aliunde certo discere licet, quam ex Lege: scriptum est enim, [Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis.] Quid enim? nonne Lege diuina tamquam lumine præeunte, ducimur? nonne per viam rectam certamque facile curret, cui splendor inde existens tamquam fax quædam affulserit? PALLAD. Quis id neget? psallit enim profecto beatus Dauid, [Præceptum Domini lucidum, illuminans oculos.] CYRILL. Sed quomodo præclaram ac purissimam vitam viuendo, & summæ probitatis mores, Deo tamquam præclarum donum offerendo, mereri laudem possimus, apertissime intelliges ex aliis responsis, per quæ nobis præcipit Deus. Sic autem habetur in Numeris, [Et locutus est Dominus ad Moysen dicens, Loquere filijs Israel, & dices ad eos, Vir aut mulier, quicunque vouerit magnum votum, vt consecret sanctificationem Domino, a vino & sicera purificabit se, & acetum ex vino, & acetum ex sicera non bibet, & quæcunque fiunt ex vua, non bibet, vuam recentem & vuas passas non comedet omnibus diebus voti sanctificationis suæ; ab omnibus, quæ fiunt ex vite, vinum ex vinaceis vsque ad semen acini non comedet omnibus diebus voti sanctificationis suæ; nouacula non ascendet super caput eius, quoad impleti fuerint dies, quotquot vouit Domino: sanctus erit, nutriens comam, crinem capitis omnibus diebus voti Domino; ad omnē animam mortuam non ingredietur; in patre & matre, & in fratre & sorore, non inquinabitur in ipsis, cum moriuntur; quia votum Dei sui super ipso, in capite suo: omnibus diebus voti sui sanctus erit Domino: quod si quis morte moriatur repente super eum, statim inquinabitur caput voti eius, & tondebit caput suum, quo die purgatus fuerit, die septimo tondebitur, & die octauo feret duos turtures, vel duos pullos columbarum ad sacerdotem, ad ostium tabernaculi testimonij, & faciet sacerdos vnum pro peccato, & vnum in holocaustum, & exorabit pro eo sacerdos, pro eo quod peccauit in anima, & sanctificabit caput eius: eo die, quo sanctificauit Domino omnes dies voti, offeret agnum anniculum in holocaustum delicti, & dies priores non computabuntur, quia contaminatum est caput voti sui.] PALLAD. Non facile est hoc Dei responsum inspicere, nisi Lex hæc subtiliter examinetur: namque non tondere capillum, longosque crines iactari sinere, a vino quoque & aceto, & vua passa & acinorum semine abstinere, quam habet in se partem diuini cultus? CYRILL. Nullam sane, Palladi, teuera, si quis rem ipsam per se ex natura sua spectet: non tamen admiratione vacat Legis propositum, quæ mores Gentilium artificio quodam ad decentiora traducit, & id ipsum, quod vanum esse videtur, ad imaginem euangelicæ vitæ eleganter immutat. Igitur, si cui propositum sit, seipsum Deo, magno voto, id est, excellentissimæ conuersationis modo & perfectæ iustitiæ recta integraque via consecrare, a vino & sicera longe abscedat, id est, ab omni re, quæ inebriare ac perturbare potest, abducat animum: hæc autem sunt, sensus mundanus, terrenæ cupiditates, solicitudines carnis, vanæ distractiones, quibus

Margin: Deut. 23. — Ecclesiast. 5 — Psal. 118. — B — Psal. 18. — Num. 6. — C — D

quibus sacerdores quosdã affectos esse, sermo propheticus queritur his verbis, A
Esai. 28. [Quia sacerdos & propheta insanierunt præ vino, præ ebrietate siceræ:] necnon
Deut. 32 de aliis propheta dicit, [Ex vinea Sodomorum vitis eorum, & palmes eorum ex Gomorrha; vua eorum vua fellis, botrus amaritudinis eorum, furor draconum vinum eorum.] Potare etiam alij dicuntur proximum suum peruersione
Abac. 2. turbida. Itaque ab omni re, quæ inebriare potest, remouet animum sanctificatorum: atque etiam aceto abstinere oportere ait; acetum, vt opinor, voluptates præter naturam atque peruersas appellans; vuæ etiam passæ & feminum acinorum vsum prohibet, ne ad veteres quidem reliquias insitarum in nobis libidinum descendere animum permittens: vinum enim & omnia, quæ ex eo fiunt, hac, vt opinor, non alia de caussa Lege culpantur. Iam vero quidnam sit longã oportere comam Deo nutrire, age dicamus, illud ante alia præfati; stultissimi namque Gentiles, cum consuetudinem, quæ præter naturam esset, sequerentur, & pecudum more viuerent, promittebant comam, illam eius rei caussam afferentes,
Iliad. dæmoniis se illam nutrire, & hic quidem illam oreadibus nymphis, ille B vicissim fluuio alicui certo tempore tondebat, eaque res religiosa putabatur: Moyses vero sapientissimus, immo vero per Moysen ille longe omnium sapientissimus atque optimus artifex Deus, filijs Israel, quibus adeo Aegypti error insederat, vt ægre ablui posset, eadem præcipit, ac per veteres illos mores atque ritus paulatim eo transfert, vt non amplius Dæmoniis, sed omnium Deo tamquam per figuram & vmbram eum cultum deferrent: ob eamque caussam leges de sacrificiis tulit, illasque cruentas victimas haud admodum libenter accipie-
Esai. 28. bat. ideoque dicebat aperte per Esaiæ vocem, [Quis quæsiuit hæc de manibus vestris?] Ergo consuetudo stultissima apud Gentiles erat; Lex vero præstantiora docet, ac ratione ad meliorem statum id quoque reformat, quod vanum esse videbatur. Placetne vero, vt, quoad fieri potest, etiam quæ ad singula pertinent, persequamur? PALLAD. Maxime vero. CYRILL. An ignoras, vt iam dicta commemorem, pro figura mentis caput posuisse Scripturam, C tamquam mentis domicilium? sic enim accipit diuinitus inspirata Scriptura. PALLAD. Fateor. Sed quid tandem istud est? CYRILL. Quia capilli fructus quodammodo sunt capitis, & more insitorum germinũ exoriuntur: cogitationes vicissim, & quæ ex mente existunt omnia, fructus sunt mentis, quæ in nobis germinant, & in ipsa velut pulchra ac florida coma decent. Oportet itaque, vt mentem in nobis habeamus non nudam & spoliatam rectis cogitationibus, sed veluti germinantem, & ad Dei honorem certissima omnium rerũ pulcherrimarum scientia comptam, qua ipsam quoque diuinam pulchritudinem cuiusmodi sit peruestiget, & clare circumspiciat, quæ tamquam in profundo latent, & rectissimæ fidei rationes assequatur, ita vt de Deo cognitionem omni reprehensione vacantem percipere, & viam certissimam atque in primis laudandam ingredi valeat. An vero non iam ad summum laudis verticem scande- D re eiusmodi hominem dixeris? PALLAD. Maxime vero. CYRILL. Tonderi autem & radi caput, capillo ad cutem inciso, nonne ignominiæ opinionem affert iis, quibuscunque id forte contigerit? PALLAD. Intelligo. CYRILL. Scis enim matri Iudæorum Hierusalem inquam dixisse Deum,
Mich. 1 [Tondere & decaluare super filiis tuis delicatis, dilata viduitatẽ tuam vt aquila, quia captiui ducti sunt a te:] ignominiosa enim & turpis est detonsio, & lugentibus conuenientissima. PALLAD. Recte ais. CYRILL. Nudus igitur & ignominiosus est animus, & turpitudinis plenus, cum iis caret, quæ ipsi laudem conciliant. In horum numero iure censentur imperiti, & qui peruersam opinionem de Deo habent, ita vt lapides adorẽt, & stultissime audeant venerationem

A nerationem creaturæ deferre potius quã creatori atque conditori, & quæ prorsus peruersa sunt, & sentiant & dicant, ac verã immaculatãque fidem reijciant, & ad ea potius accurrant, quæ nemo nisi præ stultitia dixerit, quia mẽtem non habent rectis cogitationibus cõptam. PALLAD. Recte dicis. CYRILL. Sit ergo mens ratiocinationum rectarum plena, & cogitationum inuentis in quouis genere laudabilium rerum, tamquam comis ornata. Sapiens enim est eiusmodi animus in primis, & ad illam lucem admittendam, quæ in Christo per fidem tribuitur, accommodatus. Hunc vero hominem, qui vitam adeo ingenuam atque egregiã excoluerit, ac mente adeo insigni præditus sit, vt ab omnĩ re, quæ inquinandi vim habeat, longissime abscesserit, diuinum responsum præcipit, vt a carnalibus operibus absistat, ea vero, quæ ad mortem atque interitũ spectant, procul abijciat. Itaque præceptum illud, quo prohibetur, ne ad mortuos adeat, neve in cadauere inquinetur, id profecto nobis insinuat. Ab eiusmodi autem re Lex omnino prohibet, Deique decretum ipsi quoque venerationi,
B quæ parentibus debetur, præferendum censet. Ad patrem, inquit, & ad matrem non ingredietur: vbi enim virtus præstanda est, abeat carnalis amor, & sanguinis coniunctioni Deus præferatur. Hoc idem ipse Christus dicebat, [Qui amat patrem aut matrem super me, non est me dignus; & qui amat filium aut filiam super me, non est me dignus; & qui non accipit crucem suam, & sequitur post me, non est me dignus.] Porro quæ ad Deum pertinent, ea pluris esse oportere, quam reuerentiam, quæ parentibus debetur, etiam ipse Saluator docuit; accessit enim quidam recens discipulus dicens, [Domine, permitte mihi primum ire, & sepelire patrem meum; ille vero, Sequere me, inquit, & sine mortuos sepelire mortuos suos.] mortuos videlicet appellans, qui sapere student, quæ mundi sunt, neque abstinent a mortalitatis operibus. PALLAD. Ita se res habet. CYRILL. Ac modus est hic quidem purissimæ atque excellentis secundũ Legem conuersationis, immo vero in spiritu & veritate; vmbra
C enim est Lex. Sed, si quando contigerit, inquit, vt in mortuo ille sanctificatus inquinetur; tum vero tondeatur, & caput radat, cum iam profanam quodammodo comam habeat, & die octauo ferat par turturum, aut duos pullos columbarum; Afferat etiam, inquit, agnum anniculum, & dies priores non computabuntur; quia inquinatum est caput voti eius: nam, si forte sanctificatus homo, quod decet, neglexerit, & mortalitatis operibus contaminetur, ad ea, quæ carnis sunt, declinãs, sequetur omnino, vt ornamenta sanctæ cõuersationis amittat, & caput suum quodãmodo ignominiosum reddat: (nã eiusmodi quiddam illa tonsio insinuat) cumque præteriti temporis operam frustra consumpserit, laboris suscepti iacturam lugebit: id enim est, vt opinor, Dies priores non cõputabuntur. Eiusmodi quiddam per Ezechielis quoque vocem ait, [Iustitia iusti non eximet eum, quo die peccauerit; & iniquitas iniqui nõ nocebit ei, quo-
D cunque die conuertetur ab iniquitate sua.] Ergo, si interim eueniat, vt, qui sanctificati sunt, contaminentur, eorum, quæ antea gesserint, iacturam facient; non tamen eiusmodi damnum est, vt nullo modo ei subueniri põssit: abluuntur enim in Christo, qui turturis atque colũbæ loco seipsum pro nobis Deo & Patri offerr, & vt agnus immolatur, & nos carnis suæ morte iustificat. Hac de caussa iussit, vt ille detonsus sacrificia offerret, quæ figuram haberent Christi, qui iustificat impium, & confirmat infirmũ, & erigit lapsum, & conuertit errantem, & abluit inquinatum. PALLAD. Rectissime dictum est. CYRILL. Equidẽ existimo, si paulum ea, quæ proposita sunt, verba animaduerterimus, aliam quoque nos posse subtilium abditorumque sensuum altitudinem intueri: neque enim ea Lex ad hanc rem inconsiderate nos hortatur, de eo, qui comam Deo nutrit

Matth. 10.
Matth. 8.
Num. 6.
Ezech. 34.

Num.6. nutrit scripta, [Si vero mortuus repente fuerit, statim inquinabitur caput voti A eius, & tondebit caput suum, quo die purgatus fuerit, die septimo tōdebitur, & die octauo feret duos turtures, vel duos pullos columbarum ad sacerdotē; & sanctificabit, inquit, caput eius illo die:] afferre etiā agnum anniculum iubebatur. PALLAD. Sed iure hoc loco ambiget Christi disciplinæ studiosus, quid tandem hoc ænigma sit, quoue spectet: idque mihi discere cupienti explices velim. CYRILL. Dicam equidem, vt potero: tu vero vicissim, si qua in re a via deflexero, veniam dabis: difficilis enim est hic locus, & obscurū ænigma. PALLAD. Assentior. CYRILL. Cum corporis caput, Palladi, in se ipso mētis figurā gerat; (sic enim diuinis sacrisque litteris decretū est.) cogitationes atque notiones, quæ ex illa & in illa, naturæ vi oriuntur, per quas ad cognitionem cuiuscunque rei ducimur, cum crinibus & comis comparamus: hæc enim sunt, quæ ex capite germinant. PALLAD. Memini. CYRILL. Est ergo in nobis mens intonsa quodammodo, & comis Deo sacratis ornata, si rectarum cogitationum plena sit: eadem rursus nuda, & turpissimo caluitio dehonestata, B si neque rectas de Deo notiones habeat, neque de rebus omnibus, quæ agendæ sunt, optima ac probatissima cognitione sit prædita. PALLAD. Fateor: hoc enim a nobis paulo ante tractatum est. CYRILL. Itaque ante Saluatoris aduentum vocatus est Israel per Moysen ad Deum cognoscendum: ideoque sanctificatus est, & quodammodo vouit Deo seruandæ puritatis votum; nam se le-
Exod. 24. gem seruaturū, professus aperte est in monte Horeb, his verbis, [Et omnia, quæ dixit Dominus, faciemus & audiemus.] Habebat ergo mentem legalis eruditionis plenā, & gloriatione Legis per Moysen datæ veluti comis ornatam. Sed inquinati sunt in mortuo: occiderunt enim Emmanuel. Ac, licet sancta Christi mors fuerit, tamen Dominicæ necis crimina parricidas inquinauerunt. Itaque præcipit illis Lex, vt illā Legis eruditionem veluti comam quandā detondeant, ac propemodū ea radant, quæ septimo die in figura erāt, idest, quæ ante octauū C diem vigebant, quo die reuixit Christus, nosque ad incorruptionē renouauit, atque ad nouam euangelicamque vitam reformauit. Postea vero quam ea, quæ ante octauum diem erant, totondit, rursus coma vestitur, & sanctificat caput post diem octauum: coma vero mens, non iam vt antea figuris vmbrisque densa vestitur, sed illis in fide & veritate disciplinis. An vero, qui in fide iustificati sunt, eos non putas illa legalis cultus gloria tamquam spoliari oportere, rursumque germinare, & conuersationis euangelicæ cognitionem, vt vetere illa multo meliorem atque præstantiorem in mentem atque in cor intrinsecus admittere? PALLAD. Quomodo tandem istud probas? CYRILL. Nonne aperte atque perspicue Paulus in Lege peritus clamauit, cum de veteribus illis
Philip. 3. atque legalibus ornamentis diceret. [Quæ mihi erant lucra, hæc arbitratus sum propter Christum detrimenta: verumtamen etiam existimo omnia detrimentū esse propter supereminentē scientiam Iesu Christi domini nostri, propter quem D omnium detrimētum feci, & arbitror stercora esse, vt Christum lucrifaciam, & inueniar in nō ipso habēs meam iustitiam, quæ est in Lege, sed quæ est per fidē Iesu Christi?] PALLAD. Audiui equidem. CYRILL. Obiurgauit etiam alios, quod circumcisionem Legis post Christi mysterium plurimi facerent,
Galat. 5. [Euacuati estis, inquit, a Christo, qui in Lege iustificamini; a gratia excidistis: nos autem per fidem spem iustitiæ expectamus.] Antiquatum etiam illud
Heb. 8. vetus mandatum dixit, quod non vacaret reprehensione, alterumque loco illius subrogatum esse, nimirum illud euangelicum. PALLAD. Verum est. CYRILL. Ergo vacare illam Legis disciplinam hoc ænigma declarat, cum Israel, qui votum nuncupauerat, tonderi iubet, vtpote qui in mortuo sit inqui-

A sit inquinatus, idest, crimine dominicæ necis obstrictus, comamque alteram quodammodo post octauum diem, idest, post resurrectionem, accuratam inquam illam euangelicorum præceptorum & expolitam elegantiam & eruditionem Deo dicare præcipit. Cæterum ei, qui crinem promitteret, post octauum diem, turtures atque columbas offerre Lex precepit: quod ipsum tamquam indicium esse voluit eius, qui purgat inquinatos, idest, Christi: nam vtroque idem significatur, vt maxime canorus per turturem, vt mansuetissimus per columbam, cum Lex & tardiore lingua sit, & clementiam non habeat; quippe quæ delinquentibus illico pœnas irroget. Vna vero cum his auibus agnus offertur, vt per omnia Christus intelligatur, per aues quidem, vt qui superne sit, atque cælitus extiterit: per agnum vero, vt inferne, & ex terra editus. Verbum enim, cum secundum naturam Deus esset, factum est caro. Sed erat & est sic quoque Deus, & nos a Legis vmbra remouet, & omnium hominum cordibus præceptorum suorum cognitionem inserit, & sanctos plane efficit, cum suo il-
B los purget sanguine, vt Scripturæ tradunt. PALLAD. Ita res est. CYRILL. Quod si rite a cosnam nutriente, voti solemnitas absoluta post diem octauum fuerit, tum vero consecretur: atque id qua ratione fiat, præscribit dicens, [Et hæc Lex vouentis; quo die expleuerit dies voti sui, afferet ipse ad ostium tabernaculi testimonij, & offeret donum suum Domino, agnum anniculum immaculatum vnum in holocaustum, & agnam anniculam immaculatam vnam in peccatum, & arietem vnum immaculatum in salutare, & canistrum azymorum similæ, panes conspersos oleo, & lagana azyma lita oleo, & sacrificium eorum; & libamen eorum; & offeret sacerdos ante Dominum, & faciet, quod pro peccato eius est, & holocaustum eius, & arietem faciet sacrificium salutaris Domino in canistro azymorum; & faciet sacerdos sacrificium eius, & libamen eius, & tondebit, qui vouit, ad ostium tabernaculi testimonij, caput voti sui, & imponet crines super ignem, qui est sub sacrificio salutaris: & acci- Num. 6
C piet sacerdos armum coctum ab ariete, & panem vnum azymum a canistro, & imponet in manus eius, qui vouit, postquã totonderit caput suum: & offeret ea sacerdos impositionem coram Domino: sanctum erit sacerdoti ad pectusculum impositionis, & ad separationem armi; & post hæc bibet, qui vouerat, vinum. Hæc est lex vouentis, qui vouerit donum suum Domino, de voto, quod inuenerit manus eius pro viribus voti sui, quod vouerit iuxta legem sanctificationis.] Nam, vbi Mosaicæ historiæ quasi crassam concretamque molem abiecerit, atque a cultu illo, qui in figura, & vmbris est, tamquam prolixa grauique cæsarie mentem leuauerit is, qui Deo ad sanctificationis votum persoluendum est obstrictus, cumque iam præceptorum, quæ per Christum tradita sunt, cognitionem ac disciplinam, quæ hominem vere sanctum facit, tamquam crinem repullulantem habuerit, tum denique sanctus ac sacer erit, & dignus prætereà,
D qui admittatur, ac seipsum offerat in odorem suauitatis Deo, & sese velut acceptum sacrificium, illam nempe conuersationis suæ gloriosam & immaculatam elegantiam dicabit. Afferet, enim inquit, donum suum, agnum anniculum in holocaustum, & agnam rursus pro peccato, & arietem in salutare, & canistrum azymorum oleo conspersorum, & lagana azyma oleo lita: ac per agnum quidem conuenienter intelligi potest illa in Christo infantia, sacrificium offerentis; per arietem vero animi sensuum fecunditatisque perfectio: Fratres, enim inquit, nolite pueri effici sensibus, sed malitia paruuli estote. His interiecta est agna pro peccato: ex quo facile animaduertere licet, etiã eorum vitam, qui vel maxime pueri sunt & qui simplicitate & innocẽtia, quæ in Christo intelligitur, & mentis integritate perfecti, non omnino reprehensione vacare, sed purgatione pror- 1. Cor. 14.

ne prorsus indigere: etenim nihil habere, quod vituperari possit, haud cuiquam A
contingit; sed soli Emmanuel id seruatur, eique tamquam proprium tribuen-
Ioan.14. dum est; vt vere dicere potuerit, [Venit enim princeps mundi huius, & in me
nihil inueniet.] Ergo in agno quidem & agna & ariete ea, quæ dixi, considera-
re licet; panibus vero infermentatis simplex ac pura vita significatur. Scribit
1.Cor.5. enim profecto beatus Paulus ad sanctificatos, [Expurgate ergo vetus fermen-
tum, vt sitis noua conspersio, sicut estis azymi.] Lagano autem illa sanctorum
vitæ suauitas & veluti dulcedo designatur. Ergo nosipsos offeremus, tamquam
in agno quidem propter illam in Christo infantiam: rursus vero tamquam in
agna propter infirmitatem naturæ, ac delinquendi facilitatem: (femina enim
infirmitatis est figura) demum in ariete vt perfecti, & qui ad mensuram ætatis,
quæ in Christo est, peruenerimus. Iam vero tamquam in panibus azymis puri,
suaues vero ac iucundi tamquam in laganis: per Christū tamen misericordiam
consecuti; iustificati namque sumus non ex operibus iustitiæ, quæ fecimus nos,
sed secundum magnam illius misericordiam: ob eamque caussam recte panibus B
oleum infundebatur. Iterum vero mediatoris munere fungitur sacerdos, & of-
fert primum quidem sacrificium pro peccato, deinde holocaustum, tertio loco
arietem salutaris: nam Christo mediatore, & offerente nos Deo & Patri, acce-
pti erimus, cum preces pro peccatis nostris offerimus, & veterum criminum re-
missionem petimus. Deinde tamquam holocaustum spiritualiter incendimur,
idest, in totum & integre, sancti & sacri & in odorem suauitatis Deo dicati eri-
mus, non in ea, quæ sunt in mundo, diuisi: nam holocaustum totum igni absu-
mebatur. Gratiarum quoque actiones pro nostra salute ac vita consecrabimus,
non terrenis rebus Deum venerando, sed muneris gratissimi loco, puram & in-
fermentatam, & suauem ac sanctam illi vitam offerendo: eiusmodi namque est
sanctorum hominum vita. Deinde, vbi ex Legis præscripto sacerdos obtulerit
sacrificium, Tondeat, inquit, caput, qui votum suscepit, ad ostium tabernacu- C
li testimonii, & igni crines imponat. PALLAD. Hoc vero quidnam esse
censes? CYRILL. Voti redditionem, & veluti professionis promissionisque
finem: neque enim vt ille inquinatus in mortuo, turpatum, atque profanatum
crinem tondebat, sic hoc quoque loco eundem tonsionis modum accepturi su-
mus. Sed tamquam in Christo iam perfectus, & qui comam aliam post octauum
diē aluerit, Deo quæ pollicitus fuerat, velut in figura dedicat. Esse autem eam
oblationem Deo acceptam, eo signo declaratur, quod igni crinis absumitur: uā
ignis formā sacræ litteræ diuinæ naturæ semper adscribūt. Itaque beatus Moy-
Deut.7. ses dixit, [Deus noster ignis consumens est;] omnipotentiā videlicet, vt opinor,
diuinæ incorruptæque naturæ ex ignis imagine coniectans. Vide autem vt ad
ostium tabernaculi fiat illa perfectionis detonsio, idest, ille omnis nostræ iusti-
tiæ ac sanctitatis finis: qui enim fieri poterit, vt sanctificatio illa & iustitia, quæ
a nobis seruata fuerit, solæ nos in Sanctasanctorum inducant, cum eæ non om- D
Iob.14 nino culpæ atque delicti sint expertes? [mundus enim a sorde nemo est,] sed
Hebr.6. Christus nos introducit, cum, abiecta omni suæ iniuriæ memoria, nos liberat,
& omnia nobis peccata relaxat: præcursor namque pro nobis ingressus est, non
sibi plane; sed ijs aditum aperiens, qui sunt extra ostium, & ad ipsum quodam-
modo tabernaculi sacri limen peruenerunt. PALLAD. Ita est. CYRILL.
Heb.10. Ipse enim innouasse dicitur nobis recentem & viuentem viam. Postea vero quā
tonsus fuerit, ad tabernaculi fores, & igni crinem absumpserit, Sumet, inquit,
sacerdos armum coctum ab ariete, panem quoque & laganum, & imponet ma-
nibus eius qui vouerat, & rursum recipiens, offeret inquit impositionem coram
Domino; & sacrum erit sacerdoti vt pectusculum separationis. PALLAD.

A Quid vult ergo Lex per hæc verba significare? CYRILL. Armus in diuinis
litteris pro figura potentis, vel rerum fortiter gestarum fere semper accipitur,
vt panis azymus item pro figura sanctæ puræque vitæ, laganũ etiam oleo con-
spersum, & in placentæ formam redactum, suauitatis iucunditatisque speciem
præfert. Porro sacerdotis personã, qui mediator interponitur, illi Emmanuel
iure optimo imponere licet. Quisquis igitur summam sanctificationem ex-
coluerit, ac sanctissimo Deo præclarum donum, fortitudinis inquam illius spi-
ritualis opera, in arietis armo designata, & vitam immaculatam in azymo pa-
ne figuratam, quinetiam vitæ in sanctificatione ductæ iucunditatem ac suaui-
tatem tamquam in lagano significatam obtulerit; is inquã hæc omnia suis ma-
nibus prope dixerim imposita, Christi mediatoris interuentu Deo consecrat;
qui tamquam de manibus in manus oblationes accipit, in eaque re verum fide-
lemque cultorem suum summis honoribus afficit. Ideoque inquit, is qui adeo
purum sanctumque votum soluit, manibus suis donum imponens, sacerdoti tra-
B dit impositionem, & eximiam attributamque illi partem, pectusculum inquam
arietis, vt Legislator decreuit. Vt igitur armum indicium esse diximus rerum
fortiter gestarum, aut ipsius fortitudinis, ita animi sensuum ac mentis, pectu-
sculum arietis; in corde enim & in pectore sensus habemus; diuina enim scri-
ptura nullo discrimine frequenter his vocibus vtitur, & nonnunquam pro men-
tis figura caput, nonnunquam ad sensus animi significandos pectus assumit. Sa-
cra ergo sunt & eximia, ac propemodum de manibus in manus oblata & ac-
ceptissima, per Christum Deo, & Patri munera, illa sanctificatorum hominum
fortitudo spiritualis & animi sensus. Vere siquidem dici potest, non aliter vn-
quam nisi per spiritualem fortitudinẽ, rectumque sensum contingere vt sancti
viri, quæ Deo grata sunt, efficere possint. PALLAD. Præclare dicis. CY-
RILL. Coctum vero armum assumi iussit, in quo sæuitiam, illam veluti crudã
& extra conuenientem rationem egressam, a sanctorum fortitudine reijcit: ne-
C que enim acerbos ac rigidos decet esse eos, qui Deo dicati sunt, neque auste-
riorem animum habere, sed leui quodam mollique modo, & summa solertia
perficere, quæ ad virtutem pertinent. neque enim aliter præclara sanctorum fa-
cta suauia fiunt, & Deo ad vescendum accommodata, nisi minime cruda & in-
grata fuerint. Scis enim videlicet eorum salutem, qui in sanctitate viuunt, a
Christo suum quodammodo cibum appellari, cum dicit sanctis illis discipulis,
[Ego cibum habeo manducare, quem vos nescitis.] Recordare item illum im- Ioan. 4.
molare quidem agnum iussisse in Christi figuram; sed præterea sanxisse dicen-
tem, [Non comedetis ex eo crudum quid, nec coctum aqua, sed assa tantum Exod. 12.
igni;] munus, vt opinor, minus acceptum, & ad concoquendum veluti parum
accommodatum, crudum appellans. Coctum igitur esse assumendum armum
inquit, quod crudum id significet, quod neque suaue est, neque ad cibum aptũ,
D ob eamque caussam reijciendum. PALLAD. Subtilis sane ac vera ex-
positio. CYRILL. Promissa ergo Deo reddenda sunt; &, quæ quispiam vo-
uerit, nulla mora interposita, præstet: nam in huiusmodi rebus perficiendis re-
missum, ac segnem esse, in primis metuendum ac periculosissimum esse censeo;
imo vero ipsæ quoque sacræ litteræ testantur. Si enim rectissime putamus rem
turpissimam esse, cum quispiam crimine falsitatis arguitur; quomodo non tur-
pissimum sit, polliceri quidem Deo ac promittere, postea vero fidem fallere?
Cuique igitur vouenti atque differenti, aut etiam prorsus persoluere promissa
recusanti, peccati notã inurit. Crimine tamen absoluit eos, qui suum nihil ha-
bent, sed necessario quodammodo vinculo obstricti sunt, & alterius potestati
subiecti. Sic enim in Numeris scriptum est, [Et locutus est Moyses ad princi- Num. 30.
Ff pes tri-

pes tribuum filiorum Israel, Hoc est verbum, quod constituit dominus, Homo, qui vouerit votum Domino, aut iurauerit iuramentum, aut definierit definitionem de anima sua, non profanabit verbum suum; omnia quæcunque exierint de ore eius, faciet. Si autem vouerit mulier votum Domino, aut definierit definitionem in domo patris sui in adolescentia sua, & audierit pater eius vota ipsius, & definitiones eius, quas definiuit aduersus animam suam, & tacuerit pater eius; stabunt omnia vota eius, & omnes definitiones eius, quas definiuit aduersus animam suam, manebunt ipsi: si autem abnuens abnuerit pater eius, quacunque die audierit, omnia vota eius & definitiones eius, quas definiuit aduersus animam suam, non stabunt: & Dominus emundabit eam, quia abnuit pater eius.] At, si fuerit, inquit, mulier viro legitimo iure coniuncta, ipsæ leges valeant. In vidua autem & repudiata ratas habet definitiones, promissaque prorsus persoluenda esse censet: qua in re liberos & alterius iugo minime subiectos crimine obstringit, si promissa præstare nolint: qui vero secus habent, & sui iuris non sunt, sed alteri subditi, eos merito vinculis religionis absoluit: iis, enim, penes quos potestas est, patri inquam & viro, si eorum votis, qui sub illorum imperio ac potestate sunt, consensetint atque annuerint, crimen adscribit, nisi promissa præstare curauerint. Sin abnuerint illi, nullis peccati vinculis teneri concedit: nam quæ Deo dicantur, ea ex consilio ac voluntate proficiscuntur, non vi ac necessitate exprimuntur.

FINIS LIBRI SEXTIDECIMI.



SANCTI

SANCTI CYRILLI ARCHIEPISCOPI ALEXANDRIAE

DE ADORATIONE IN SPIRITV ET VERITATE

LIBER DECIMVSSEPTIMVS

De sanctis Festiuitatibus.

A DE puritate igitur & iis, qui vouerunt, quinetiam de sacerdotibus hæc dixisse sit satis. Sed iis arbitror adiici oportere, quæ nam a Deo nostris laboribus persoluenda sit merces, quidve illud sit, quo cum illi Deo dicati homines se totos conuerterint, ac peruenire omni studio contenderint, summis honoribus cumulabuntur, & æternæ spei participes futuri sunt. PALLAD. Recte existimas. CYRILL. Aequum est enim, Palladi, vt, qui vitam adeo insignem & egregiam excoluerint, & ad eum gradum conuersationis adeo illustris peruenerint, vt longe optimi iudicentur; ij diuturna felicitate fruantur, festa celebrantes ac læti, cum principem festiuitatis habeant illum Emmanuel, & spe firma nitantur. PALLAD. Aequum
B certe, & vera sunt, quæ dicis. CYRILL. Visne igitur illas in figura & secundum Legem festiuitates peruestigemus; & sacrificiorum, quæ in illis fiebant, ritus exponamus, simulque sensuum, qui in illis latent, vim, quoad fieri poterit, ad veritatem transferamus? PALLAD. Velim equidem: cur enim abnuam? CYRILL. Quandoquidem igitur tibi plane videor optime animaduertisse in eo quod hæc esse discutienda cogitauerim; age igitur ante alia illud exquiramus, quando, & quibus de rebus nobis esse festa celebranda, sacræ litteræ prodiderint: ita enim recto cursu ad id, quod decet, nostra disputatio tendet, ac præterea vitabit, ne sine vlla ratione confecta esse videatur. PALLAD. Perge igitur, quo libet; nos enim admodum iuuabis. CYRILL. Congregatis olim in eremo sub monte Horeb filijs Israel, ille vniuersorum Deus Legem instituit, quæ, quid a nobis esset faciendum, definiret: cum vero quamplurima, eaque perutilia præcepta tradidisset, adiunxit denique, [Tri- *Exod. 23.*

 bus tem-

bus temporibus per annum festa celebrate mihi.] Quænam vero ea tempora A sint, rursum declarauit; continuo namque ait,[Festiuitatem azymorum seruate, vt faciatis; septem dies comedetis azyma, sicut præcepi tibi tempore mensis nouorum; eo enim tempore egressus es ex Aegypto: non apparebis in conspectu meo vacuus: & festiuitatem facies messis primitiarum laborum tuorum, quæcunque seminaueris in agro tuo: & festiuitatem consummationis, ad exitum anni in collectione laborum tuorum, quæ colliguntur ex agro tuo. Tribus temporibus in anno apparebit omne masculinum in conspectu domini Dei tui.] Igitur æquissimum esse, festa Deo celebari ab ijs, qui se viriliter gerunt, non ab ijs, qui resupino & segni sunt animo, & ad carnis ac mundi cupiditates dissoluto, demonstrauit, cum dixit, Tribus temporibus per annum apparebit omne masculinum in conspectu domini Dei tui: nam superna diuinaque inspectione dignus est masculinus sexus eo modo, quo superius diximus. Ceterum opportune sanxit, vt festa celebrarentur: oportebat enim profecto, qui ad rectæ institutionis initia succederent, & iugū iam Dei subirent, iis aperte significari, B fore omnino, vt illa secundum Legem viuendi ratio, quam tenerent, in voluptates atque iucunditates nimirum spirituales desineret. Quapropter, cum Legem pronunciasset, perniciosasque res apte reprobasset, approbassetque vicissim vtiles; cumque conuersationis eius ac vitæ, quæ sibi grata esset, viam proposuisset, fore tandem vt eorum labor finem iucundissimum haberet, vt intelligeremus curauit. Ergo primum quidem festum in mensem nouum cadit; secundum vero atque continuo vicinum est illud messis primitiarum; tertium & extremum in exitu anni comportatis iam fructibus, mense anni septimo. An vero non ita traditum est in sacris litteris? PALLAD. Ita prorsus. CYRILL. Igitur necesse est, quæ sunt cuiusque temporis propria in medium afferre, & quomodo quibusve de caussis celebrari oporteat, quoad licuerit, perspicere. Iussit enim eo tempore benignissimus ille Deus filios Israel ex C Aegyptiorum terris excedere, & illius non ferendæ seruitutis iugum abiicere, atque ad promissionis terram transire: diuinis autē decretis obsistebat Pharao, & aduersus ineffabilem illam gloriam insanam vocem emisit; Nescio, inquiēs, Dominum, nec se dimissurum Israelitas frequenter asseuerauit. Itaque frequentibus plagis, ac sibi inuicem succedentibus afflictus est: sed, cum esset adhuc contumax, & durissimam aduersus Deum pertinaciam retineret, ille in Aegyptiorum primogenita demisit Exterminatorem; & is, penes quem omnium potestas erat, decreuit, vt vna in nocte morerentur. Prouidit autem, ne Iudæorum tribus hoc malo perstringerentur, sed essent ab interimentis manu atque ira quam longissime remotæ. Id vero non alia ratione licebat assequi cuiquā, nisi per Christum, qui est vita, & vitæ auctor, vtpote cum ex eo, qui suapte natura vita est, editus sit, nimirum ex Patre. Lex igitur hoc eius mysterium præ-

Exod. 12. figurauit: itaque inquit, [Locutus est autem Dominus ad Moysen, & Aaron D in Aegypto dicens, Mensis hic vobis initium mensium primus erit vobis in mēsibus anni. Loquere ad vniuersam congregationem filiorum Israel dicens, Decima die mensis huius accipiat vnusquisque ouem per domos; quod si pauci fuerint, qui in domo sunt, ita vt non satis sint ad ouem, assumatur secum vicinum proximum suum secundum numerum animarum, quem quisque sibi satis esse numerabit in ouem; pecus perfectum, masculum, anniculum erit vobis, ab agnis & ab hædis accipietis, & erit vobis seruatum vsque ad quartumdecimum diem mensis huius; & immolabunt illud omnis multitudo filiorum Israel ad vesperam, & sument de sanguine, & ponent super duos postes & super limen in domibus, in quibus manducabunt illa: & manducabunt carnes nocte

A nocte hac assas igni,& azyma cum amaris edent:non comedetis ab eis crudum, neque coctum aqua, sed assa tantum igni: caput cum pedibus & intestinis non relinquetis de ipso in mane, & os non conteretis ab eo: quæ vero reliqua fuerint de ipso in mane, igni comburetis. Sic comedetis illud; renes vestri accincti, & calcei vestri in pedibus vestris,& baculi vestri in manibus vestris,& comedetis ea festinanter: Pascha est Domino: & transibo per terram Aegypti nocte hac, & percutiam omne primogenitum in terra Aegypti, ab homine vsque ad pecus, & in omnibus Dijs Aegyptiorum faciam vindictam: ego Dominus, & erit sanguis vester in signo in domibus vestris, in quibus vos estis ibi,& videbo sanguinem,& protegam vos, & non erit in vobis plaga vt conteramini, cum percutiam in terra Aegypti: & erit dies hic vobis memoriale, & festum agetis in eo Domino, in omnes progenies vestras, legitimum æternum celebrabitis illum: septem dies comedetis azyma; a primo vero die auferetis fermentum ex domibus vestris: omnis quicunque comederit fermentum, exterminabitur anima

B illa ex Israel; a die primo vsque ad diem septimum: & dies primus vocabitur sanctus, & dies septimus vocatus sanctus erit vobis: omne opus seruile non facietis in eis, nisi quæcunque fient omni animæ, hæc solum fient a vobis.] Visne igitur, vt, subtiliter, & strictim singula percurrendo, quæ congruere videbuntur dicamus? Dabimus enim sapientibus occasionem, & nota faciemus iustis: (sicut scriptum est) illi vero a se ipsis nonnulla adiicient,& longe meliores fient. PALLAD. Sane quidem velim. CYRILL. Ergo anni initio ac primo mense Christi mysterium effulget: noui quippe sæculi nobis instar fuit tempus illud, quo Saluator noster aduenit, quod omnia in melius commutet, & in nouitatem creaturæ veterascentem, ac senescentem, & interitui proximum statum optime transferat: nam, quæ in Christo sunt, ea noua creatura sunt & vetera transierunt, ecce facta sunt omnia noua. Nos quoque non adhuc mosaice viuimus, sed potius ad euangelicam conuersationem translati sumus,

Prouer. 9.

2. Cor. 5.

C cum Christus per Spiritum nos renouauerit. PALLAD. Recte dicis. CYRILL. Singuli autem ouem accipiunt, atque conuiuiæ per tribus in domum vnam congregantur. Et nos namque cum velut diuisi simus, quod ex natura singuli subsistimus, in vnitatem spiritualem in Christo conuenimus: anima namque nobis iam vna est,& cor vnum. Ouis præterea immolatur, aut certe ex capris: atque ouis quidem propter singularem mansuetudinem & innocentiam ac fecunditatem, vt ouis enim ad victimam ductus est, & vt agnus coram tondente se mutus. Agnus vero, quia propter nos est immolatus, & pro peccatis nostris traditus, vt Scripturæ testantur. Haedus porro victima pro peccatis est ex Legis decreto. Perfectum etiam & masculum pecus est; ac perfecti quidem appellatio aut ab omni macula debilitateque alienum significat, firmumque & valens; (immaculatus est enim Christus, & ab omni vitio remotus)

Esai 53.

D aut reuera perfectum; nam perfectissimus est ille Emmanuel, ex se atque ex natura id habens, qua Deus est. Masculi vero nomen omnium esse eum ducem significat; masculus enim semper longe principem locum tenet, vt femina vbique secundo loco numeratur. Et accipitur ouis a decimo die mensis, immolatur autem ad vesperam quartodecimo; neque enim nouum est Christi mysterium, neque tunc primum agnitum, cum Iudæis illum etiam ludibrio habere visum est; sed cognitio passione fuit antiquior, cum longe ante sancti homines prædicarent, & Lex voce propemodum testaretur, eiusque mysterium sancta scriptura nobis præfiguraret: habebamus igitur apud nos interim prænotione agnum, nondum quidem immolatum, non ignari tamen illum esse ad vesperam immolandum; extremis quippe sæculi temporibus, & sub ipsum pæne iam

præterlabentis temporis occasum Christi mors est perpetrata. Immolatur A
autem ab omni multitudine: mortuus est enim pro omnibus; vt sciant, qui pro
sua salute agnum afferunt, se emptos esse pretio, nec suos esse, sed vnum pro om
2.Cor.5. nibus mortuum, vt, qui viuunt, iam non sibi viuant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est & resurrexit. Nam, quia pro nostris delictis est traditus, propter nos mortuus esse dicitur. Hanc quoque ob caussam nos sumus, qui illum immolamus; nam propter quos mortuus est, ij consequenter propemodum passionis eius perspicue sunt effectores, etsi illa per alios perpetrata sit. Porro salutem vnctis tribuere illam sanguinis aspersionem, statim ostendit, cum dixit sanguine perungenda esse ostia domorum, postes inquam portarum & limina: illud enim Christi mysterium obstruit quodammodo morti aditum, & imperuium efficit. Ergo nos ipsi quoque pretioso illo sanguine peruncti, mortis victores erimus, & interitum contemnemus, nulloque Exterminatoris illius metu tangemur: ille quippe vitæ sanguis, idest, Christi, nos liberat. Eadem porro nocte esse inquit agni carnes absumendas; vnum enim reuera fuit salutaris illius passionis B
tempus; &, cum semel mortuus sit, non amplius moritur, vt scriptum est, mors
Rom.6. illi vltra non dominabitur: quod enim mortuus est peccato mortuus est semel, quod autem viuit, viuit Deo. Assæ vero carnes & cum panibus azymis, & amaris herbis eduntur: atque assatio quidem imaginem quandam præfert, illum
Heb.2. Emmanuel per passionem esse consummatum: Oportebat enim profecto, inquit ille, ducem illum salutis nostræ per passiones consummare. Quod autem cũ azymis, & amaris herbis comeditur; id vero per ænigma designat, nos ipsos etiam, quibuscunque ad participandum Christus proponitur, a spirituali fermento, idest, a malitia & dolo alienos esse debere, proque eius amore, ærumnas & acerbos labores libentissime perpeti; illum sequentes, qui pro nobis mortis
Matth.10. iter aggressus est: nam ad eam rem nos hortatur, cum ait, [Non est discipulus super magistrum, neque seruus super dominum suum: si me persecuti sunt, & vos persequentur; si patrem familias Beelzebub vocauerunt, multo magis domesticos eius.] Prohibet præterea Lex, ne crudum edant, aut elixum aqua; C
quamuis, etiamsi id minime dixisset Lex, nemo sit, opinor, qui cruda carne vescatur: ergo figurate indicat, Christi mysterium neque reiiciendum esse, quasi propter mendaciorum magnitudinem; neque aqua diluendum, ac dissoluendum: nam egregii Gentilium poetæ atque scriptores, &, quod ad sermonis attinet vim, sapientes, cum Deorum suorum orgia atque mysteria describunt, impudentissime mentiuntur, & quasi crudas, & respuendas mentibus hominum fabulas & multum aquæ in se continentes apponunt; nam & adulteria, & muliercularum amores, & adolescentum corruptelæ, obscenarumque partium amputatio, quinetiam virginum in stirpes transformatio, & eiusmodi aliæ præterea turpes deformesque fabellæ ab illis excogitatæ sunt: at vero, quæ sunt in Christo, omnia vera sunt, & eiusmodi vt libenter admittantur, & animo ad vescendum sint accomodata, neque fungosi aliquid aquosive habent, sed earum D
rerum intelligendi studiosos potius ad honestatem ducũt, quam ad voluptates & carnis cupiditates relaxant: quod profecto gentiliũ frigidæ & aniles fabulæ faciunt. Intelligisne igitur plane, quod dico? PALLAD. Maxime vero. CYRILL. Quod autem qui Christi particeps per sanctæ eius carnis atque sanguinis communionem sit factus, eum oporteat illius quoque mentem ac sensum habere, & per intimas eius res gestas ire, diligenter, quæ in illo sunt, inuestigantem, statim ostendit, cum dixit, caput cũ pedibus & intestinis esse manducanda. Quid enim? nonne dicebamus caput quidem habere mentis figuram, pedes item vbique operum ac factorum iter significare, intima denique & abdita, victi-

A dita, victimarum intestinis indicari? PALLAD. Videbatur quidem hæc ita intelligenda esse; & recte sane. Sed tamen illud explices velim, quænam sit Christi mens, quodve iter, quæ etiam eius abdita & occulta? CYRILL. Mens quidem Christi est, ea sola sapere, quæ ad Dei Patrisve gloriam spectant, idque velle perficere, quod patri placuerit; [Descendi enim, inquit, de cælo non vt faciam voluntatem meam, sed voluntatem eius, qui misit me.] Hoc cum & sentire & perficere beati illi discipuli conarentur, disertis verbis dicebant, [Nos autem mentem Christi habemus:] atque etiam docebant, vt in orationibus diceremus, [Pater noster, qui es in cælis, sanctificetur nomen tuum, adueniat regnum tuum, fiat voluntas tua sicut in cælo & in terra.] Vides eos, quod Christo conformes atq; consentientes essent, eandē se mentē habere, perspicue asseuerare? Hoc, mea quidē sententia, est caput agni manducare. Iter vero Christi est, quod ille mortem fortiter perferre non refugit, vt, sicut Paulus ait, peccatores saluos faceret: ad eam rē nos etiā paratissimos esse cōuenit, & ipsam quoque in corpore vitā pro fratribus alacriter impendere. Itaque ait e sanctis discipulis quidā, [Christo igitur passo pro nobis carne, & vos pro ipso eadē cogitatione armamini.] Paulus autē increpat quosdā his verbis, [Quid fletis, confringentes cor meū? Ego enim non solum ligari, sed etiam mori paratus sum pro nomine domini nostri Iesu Christi.] Ipse idem Christus, cū sua vestigia sequi cæteros iuberet, [Qui nō accipit, inquit, crucem suam quotidie, & sequitur post me, non est me dignus.] Alia quoque ratione sancta est Christi ambulatio & via, qua nempe quaquauersum, & per omnes virtutes tenditur. Intestina denique intelliges illud in eo abditum occultumque Verbum: nam, cum secundum naturam Deus esset, & ex Deo editus ille Vnigenitus, factus est caro, & habitauit in nobis: cumque imago esset ac similitudo parentis, se ipsum ad exinanitionem vsque & ad formā serui deiecit. Non ea igitur sola, quæ in Emmanuele sunt humana, & extrinsecus aspectabilia, in nostros animos admittemus; sed

Ioan. 6.
1. Cor. 2
1. Tim. 1.
1. Petr. 4.
Act. 21.
Matth. 10.

B

C ipsis etiam intestinis, idest, mysterijs eius occultis nostrum animum implendo, alimentum spirituale optimum habebimus. Eadem vero nocte absumendum esse agnum, inquit, nullis omnino reliquiis in diluculum reseruatis; sed os conteri non permittit: e quibus prius illud designat, in futuro sæculo homines sibi per fidem sanctificationemque dicatos altera quadā ratione fore vt sanctificet Christus atq; benedicat; neque rursus sua carne pascat, & sanguine viuificet; quod hoc tempore facit; sed, tamquam morte iam destructa, dissolutoque in totum interitu atque corruptione, spirituali quodam sanctificandi modo ille, qui sanctificat, vtatur: ergo diluculum, seu mane non aliud quippiam significat, vt opinor, nisi futurum sæculum. Quod vero sequitur, nimirum os non conterendum esse, ad Christi nos intelligentiam reuocat, & sequi suadet diuinorum prædicatorum voces: nam ille diuinus Euangelista vaticiniū hoc de Christo

D corporaliter accepit; [Non confregerunt, inquit, milites eius crura, vt impleretur, quod scriptum est, Et os non comminuetis ex eo.] Vescuntur autem agno præcinctis lumbis, calceatisque pedibus, & baculos habentes in manibus, &, vt semel dicam, iter facientium habitu: idque admodum recte; accincti namque quodammodo ad spiritualem transitum, & velut excedere ex huius mundi distractionibus properantes, & ad optima quæque transire parati, sanctæ pureque Christi participes erimus: non enim in rebus temporalibus immorari consuescimus, sed strenue ad res illas fixas immotasque currimus, & a carnalibus impuritatibus discedētes, ad spirituale elegantiam demigramus, memoria repetētes dixisse Christū, [Surgite, eamus hinc:] hac de caussa, qui agnū in Christi figuram manducant, habitum præseferunt, iter facientibus accōmodatum.

Ioan. 19.
Ioan. 14.

datum. Ceterum festinanter comedere oportet; est enim Pascha Domini, idest, A
transitus, siue vt græce dicitur, διαβατήρια: nam, cum tempus adsit, quo nos a
mundanis vitijs oportet ad ea facienda transire, quæ Deo placent, in eam rem
non omni studio, ac celeritate incumbere, sed cunctari quodammodo & refu-
gere, veteribus adhuc vitiis inhærescentes; qui fieri potest, vt non sit periculo-
1.Cor.9. sissimum? Itaque beatus Paulus, [Currite, inquit, vt comprehendatis.] Pergen-
dum est nobis igitur, vt Christi per fidem participes simus, omni cunctatione
calcata, nullaque mora interposita, sed omni studio adhibito: ita enim a pec-
catis ad iustificationem, a morte ad vitam transibimus; ac, turpitudine seruitu-
tis abstersa, gloriosam adoptionis gratiam consequemur. PALLAD. Re-
ctissime dixisti. CYRILL. His omnibus diligentissime obseruatis, & ad
exitum, vt Legislator decreuerat, perductis, transiturum se profitetur, Aegy-
ptumque totam fere circuiturũ, perditurumque primogenita, & in Diis Aegy
ptiorum vindictam facturũ, idest, ab omni sublimi homine & elato, & qui pro-
pter gloriæ amplitudinem inter adoranda numina apud eos propemodum cen- B
seretur, se illius adeo peruicacis superbæque voluntatis, incredibilisque contu-
maciæ supplicia sumpturum; protecturum tamen filios Israel pollicetur, si li-
mina sanguine tinxissent: quod etiam signum appellauit, quo nempe dignosce-
retur illos ad se pertinere, sibique coniunctos esse; Videbo enim, inquit, signum,
& protegam vos: nam, cum Deus infert iram, & indignationem in omnem su-
Esai. 2. blimem, & excelsum, vt prophetæ verbis vtar, & morte mulctat intemperan-
tem & scelestum, & qui pietatem, quæ ipsi debetur, nunquam non contempsit,
ii soli effugiunt, & pœnæ sunt expertes, qui præclaro sigillo consignati, Chri-
Ioan.6. stique sanguine sunt aspersi: audisti enim dicentem, [Amen amen dico vobis,
qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternã,
& in iudicium non venit; sed transit de morte ad vitam: qui autem non credit,
non videbit vitam, sed ira Dei manebit super eum.] Quicunque sanctificati su
mus, iidem vitæ æternæ participes, & Dei, ac Patris amici, atque familiares, & C
mortis victores sumus, ex eo, quod Christi participes, mystico nimirum parti-
cipandi modo facti sumus, & sancto illius sanguine peruncti. Enitendum vero
ipsis esse inquit, vt perpetuo legem hac de re sancitam seruent: nunquam enim
cessabimus a festis in Christo celebrãdis, fermentumque e nostris finibus, idest,
ab omnibus terris, in quibus nos motari cõtinget, abiiciemus: oportebit enim,
qui per fidem ad iustificationem, quæ per Christum fit, vocati sunt, eos festum
spiritualiter celebrantes, non in fermento malitiæ & nequitiæ id facere, sed po
tius expurgando vetus fermentum, in melius transformari, & in nouam con-
spersionem cõmutatos videri, simul cum vniuerso genere, totaque domo, iisque
omnibus, qui per vniuersam illam regionem degunt: quibus verbis significatur
sanctam illam eorum, qui fidem receperint, multitudinem copiosam esse & in-
numerabilem. Primum etiam eius hebdomadis diem sanctum vocandum esse D
dixit, septimum item vocatum sanctum: quibus verbis illud, vt ergo arbitror,
Lex indicat, primum illud tempus hominum vitæ sanctum fuisse in Adam pri-
mo generis nostri parente, cum ille mandata nondum violasset, neque diuina
præcepta contempsisset: sanctum vero item, ac multo præstantius illud extre-
mum, idest, illud in Christo, qui est secundus Adam, quique genus nostrum in-
terea vitiatum in nouitatem vitæ in spiritu reformat. Mandat etiam septimo
die sabbatizari oportere, & ab omni opere cessare: decet enim, & quidem iure
optimo, qui per fidem ingressi sunt in requiem Christi, eos iam ab omni carna-
li opere, & a studiis, quæ in terra collocãtur, & a vano circuitu abstinere; eaque
potius summo studio perficere, quæ ad vitam immortalem ferunt, & quæ nos
venerandos

A venerandos efficiunt: vt enim beatus Paulus ſcribit, Qui ingreſſus eſt in requiẽ *Heb.3.*
ſuam, (in requiem Chriſti nimirum) etiam ipſe requieuit ab operibus ſuis, ſicut a ſuis Deus. PALLAD. Ita eſt. CYRILL. Atqne ad hunc modũ diuino oraculo ſancitum eſt: Sed, cum filijs Iſrael Moyſes, quod iuſſum fuerat, expouere t, inquit, [Abeuntes accipite vobis ipſis ouem per cognationes veſtras, & immolate Paſcha: accipietis etiam faſciculum hyſſopi, & intingentes in ſanguine, qui eſt ad oſtium, ponite ſuper limen, & ſuper ambos poſtes de ſanguine, qui eſt prope oſtium: vos vero non egrediemini vnuſquiſqne ex oſtio domus ſuæ vſque mane: & pertranſibit Dominus ad percutiendos Aegytios, & videbit ſanguinem in limine, & in vtroqne poſte, & pertranſibit Dominus ad oſtium, & non permittet Exterminatorem ingredi in domos veſtras, vt percutiat.] Quod igitur per domos familiarum, id eſt, per cognationes accipiebatur agnus, oſtendit, vt opinor, ſpiritualis neceſſitudinis in fide, & concordia coniunctionem: non enim cum ijs, qui falſas opiniones habent, feſtum celebrabimus, *Exod. 12.*
B neque cum ijs, qui alia quædam præterquam quod rectum verumque ſit, ſapere ſoliti ſint, in communionem ſanctæ atque viuificantis hoſtiæ veniemus; ſed cũ ijs tantum, qui idem nobiſcum ſapiunt, & vnitate ſpiritus ac fidei ſocietate fratres noſtri ſunt. Coniungitur autem ſapienti conſilio hyſſopus cum agni ſanguine: quæ ſit autem eius rei ratio, breuiter dicam. Hyſſopum, Palladi, herbam eſſe dicũt, eamque medici admirantur, vt quæ propter naturalis caloris inſitam vim ad ſordes, quæ ſunt in viſceribus, conſumendas, & concretos humores probe extenuandos, facultatem haud mediocrem habeat. Coniunctus eſt igitur, quod modo dixi, cum hyſſopo ſanguis: quæ figura oblique ſignificat, pretioſum Chriſti ſanguinem non ab interitu modo nos, verum etiam ab omni intus recondita impuritate vindicare, neque ſinere vt languore & negligentia frigeamus, ſed potius ſpiritu feruentes efficere. Quam vero commodum & vtile
C ſit ijs, qui ſemel Chriſti participatione dignati ſunt, vitam, quæ in ſanctitate ducitur, firmam, & ſtabilem retinere, Lex iterum ſignificat, cum eos, qui agnũ comediſſent, intra oſtia collocat; ne, ſi domibus prodierint, vna cum Aegyptijs exterminentur: neque enim ambigere fas eſt, quiſquis de numero ſanctificatorum fuerit, cui velut domicilium quoddam ſit ipſa virtus, eum, ſi a ſanctificatione excedat, vna cum aliis periturum, iiſdemque ſubiiciendum pœnis, quæ ex intemperanti inſanabilique viuendi genere laborantibus æquum eſt irrogari: ideoqne diuinus cantor, [Ne perdas, inquit, cum impiis animam meam, & cum viris ſangninum vitam meam, in quorum manibus iniquitates.] Vide igitur quemadmodum dicat, Non egrediemini oſtium domus veſtræ vſque mane: ſacræ enim litteræ præſens tempus nocti comparant, futurumque ſæculum ſignificant diem eſſe, qui expectetur. Itaque beatus Paulus, cum præſens ſæculum videret iam ad finem appellere, futurumque ſæculum vicinum iam, ac, *Pſal. 25.*
D prope dixerim, in ianuis eſſe, clamabat dicens, [Nox præceſſit, dies autem appropinquauit: abiiciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis, vt in die honeſte ambulemus.] Ergo illa verba, Vſque mane, ſignificant vſque dũ vniuerſa hæc vita traducitur, id eſt, donec futurum tempus appareat. Quomodo autem etiam hoc a nobis fieri poſſit? nimirum in vniuſcuiuſque hominis vitæ exitu propemodum ſuccedit ſæculum illud futurum: ſiquidem verum eſt, qui mortem ſubiit, eum iuſtificatum eſſe a peccato; concluſit enim ſuper ipſum Dominus, vt ſcriptum eſt, & ad Chriſti tribunal reſeruatur; & qua conditione fuerit, cum morte oppreſſus eſt, eadem etiam adſtabit. PALLAD. Intelligo quod dicis; atque optime admodum ſe habet expoſitio. CYRILL. Atque hoc quidem modo priſcis illis hominibus Chriſti myſterium adumbratũ *Rom. 13.* *Rom. 6.* *Iob. 3*

erat,

erat, cũ eo tempore agnus immolaretur, quo vere ipse quoque Emmanuel pro A
1. Cor. 5. vniuersorum vita necem perpessus est. Itaque beatus Paulus scribit, [Pascha nostrum pro nobis immolatus est Christus.] Sed tamen diuino responso declaratum est, etiam secundo mense hæc sacra facienda, & festi ritum esse celebrandum, si quo forte necessario impedimento exclusi fuerimus, atque detenti, quo minus mense primo Legis præceptum exequi possemus. Visne igitur, vt ipsum diuinum responsum proponamus, & quæ consentanea esse videntur, dicamus? PALLAD. Maxime vero. CYRILL. Scriptum est igitur in Nu
Num 9. meris, [Et locutus est Dominus ad Moysen in monte Sina anno secundo, postquam egressi sunt de terra Aegypti, in mense primo dicens, Dic, & faciant filii Israel Pascha tempore suo, quarto decimo die mensis primi ad vesperam facietis illud, suo tempore iuxta legem eius, & iuxta iudicium eius facies illud. Et locutus est Moyses filiis Israel, vt facerent Pascha incipiente anno, quartadecima die mensis in deserto Sina: sicut constituerat Dominus Moysi, sic fecerunt filii Israel. Et venerunt viri, qui erant immũdi super anima hominis, & nõ B
poterant facere Pascha in die illo, & accesserunt coram Moyse & Aaron in die illo, & dixerunt viri illi ad eos, Nos sumus immundi super anima hominis; ne igitur fraudemur, quo minus offeramus donum Domini tempore suo in medio filiorum Israel. Et dixit ad eos Moyses, State hic, & audiam quid mandet Dominus de vobis. Et locutus est Dominus ad Moysen dicens, Loquere filiis Israel dicens, Homo, quicunque fuerit immundus super anima hominis, vel in via longe, vel in vobis vel in generationibus vestris, faciet Pascha Domino mense secundo, quartodecimo die ad vesperam facient illud, cum azymis & amaris herbis comedent illud nocte, non relinquent de illo in mane, & os eius non comminuent; iuxta legem Pascha, facient illud: & homo, quisquis mundus fuerit, & in via longinqua non est, & distulerit Pascha facere, exterminabitur anima illa de populo suo, quia donum non obtulit tempore suo; peccatum suum accipiet homo ille: si autẽ accesserit ad vos proselytus in terra vestra, & fecerit Pa- C
scha Domino; iuxta legem Pascha, & iuxta constitutionem eius, sic faciet illud: lex vna erit vobis & proselyto & indigenæ terræ.] PALLAD. Equidem, qui nam sint immundi in anima hominis, quique hanc caussam afferãt, cur Pascha seruare non possint, aueo plane cognoscere. CYRILL. Magna quidem valde est historiæ huius ratio: commemorabo enim quod Deus ad Moysen illum sacrorum interpretem aperte dixit, [Loquere filiis Israel, & emittant a castris omnem leprosum, & omnem seminifluum, & omnem immundũ in anima.] Ac de his rebus satis iam supra disseruimus. Illud tamen opportune pro præsenti loco dicam, Immundum in hominis anima sacræ litteræ vocant eum, qui in mortuo inquinatus sit; prohibitum est enim etiã inanime corpus contingere, & qui propinquum aliquem atque cognatum lugerẽt, eos Lex illa vetus impuritatis accusat: itaque e castris eiiciebantur. Per hæc autem Lex figurabat profa- D
num fore, & spiritualis impuritatis plenum, quisquis alterius mortalitatem in moribus nimirum ac vitæ genere sitam participauerit: mortui namque sunt moribus ii, de quibus a Christo dictum est, [Sine mortuos sepelire mortuos
Matth. 8. suos.] Ergo extra diuina atria pellitur, & a primogenitorum Ecclesia, & sanctorum grege reiicitur, quisquis cum iis, qui mortalia & sapere, & facere consueuerunt, societatem iniit, aut ad eos propius accessit, vt eadem scilicet sapere, & facere velit. Ac Legis quidem ænigma eiusmodi est. Si autem veriorem intelligentiam quæramus, & nobis, qui spirituales sumus, conuenientissimam, immundos in anima hominis, & eam ob caussam mense secundo festũ agentes, & ex Paschæ lege in Christi figuram immolantes victimam, non alios esse cen-

A esse censebimus, quàm Iudæos, Christi cæde contaminatos, & impuritatis crimine damnatos, quod ipsum Emmanuel contumeliis affecerint: hi namque ab eiusmodi nostro festo penitus exciderunt: defuerunt etiam, & non occurrerunt ad tempus, quo ille omnium vitæ auctor per passiones est consummatus: misericordia tamen illius, qui omnes saluare vult, consequentibus temporibus tamquam secundo mense ipsi quoque participes Christi fient, & vna cum sanctis, qui in tempore vocati sunt, ex Gentibus inquam, festum agent. Animaduertere enim vt illi quidē in Aegypto statim atque idololatriæ sordes absterserunt, agnum immolant mense primo, ac primum in credendo locum occupant, vnctique sanguine Domini, contemnent Exterminatorē, & mortis atque interitus victores erunt: hi vero tamquam anno, mensaque secundo vix accedunt, & immunditiam suam confitentur, & se in anima hominis impuros esse perspicue affirmant, & orant vt benedictionem eis consequi liceat; secundo autem loco & post primos festum diem agunt: [Cum enim plenitudo Gentium Rom. 11.
B intrauerit, inquit, tunc omnis Israel saluus fiet:] Prædixit etiam de ipsis propheta, [Et post hæc reuertentur filij Israel, & exquirent dominum Deum suum, & Osee. 3.
Dauid regem ipsorum, & obstupescent in Domino, & in bonis eius in extremis diebus:] exquiretur enim extremis temporibus a residuis ex Israel ille ex semine Dauid secundum carnem Christus. PALLAD. Vera dicis: in spe namque positus est Israel. CYRILL. Ceterum haud esse fine culpa, immo vero periculosum in primis, festa in Christo non agere, declarauit statim, cum dixit, eum, qui neque immundus esset super anima hominis, neque in via longinqua, & nullo necessario impedimento distineretur, summo afficiendū esse supplicio, si, quæ Lege sancita sunt, facere noluerit: atque impurus quidem in anima hominis intelligi a nobis potest, vt modo dicebamus, ille Domini occisor Iudæus: in via autem longinqua quodammodo, & longe a Hierusalem, id est, a sancta nostri Saluatoris Ecclesia, ille est, [qui dicit ligno, Deus meus es tu, & qui dicit Hiere. 2.
C lapidi; Tu genuisti me;] atq. etiam qui deserto creatore, creaturam adorat, aut alio quouis errore tenetur: verum est enim virum quemque probum, & qui sinceram de Deo opinionem habeat, prope Deum esse, recte intelligi; ac vicissim ab eo recedere, & remotum esse, longeque disiunctum, quisquis non ita se habeat. Ergo, si neque impuri super anima hominis, vt Iudæi, neque in via longinqua sumus, vt Gentiles & hæretici, celeriter sine vlla cunctatione sacrificiū offeramus, & festa Domini veneremur: eodemque ritu proselytus vna nobiscū festum celebrabit, & gaudentibus congratulabitur; nam qui pro tempore fidei, quæ est in Christo, ornamenta susceperint, eos incruenti illius sacrificij socios facimus, & ad sanctæ mensæ participationem vocamus. Illud etiam opportune mihi adijciendum videtur, in Ecclesiis obtinuisse consuetudinem, ex hac, vt opinor lege profectam, vt, si quartusdecimus lunæ dies extra primum mensem
D ceciderit, alter mensis, ac proximus sufficiatur, diesque in eo constitutus quæratur, ne ex iusto ritu festi tempus excedat. Hæc autem obseruatio ita se habet, vt olim lege præceptum erat. PALLAD. Recte sane a te dictum est: sed illud mihi exponas velim, vtrum non cuiuis fortasse, etiamsi in via longinqua fuerit quam longissime remotus ab Hierusalem, permiserit Lex, vt sine culpa celebrare Pascha possit? CYRILL. Minime vero cuiuis, in sancta namque ciuitate modo iussit immolare, in qua etiam vetus illud templum Salomon extruxit: sic autem allocutus est filios Israel Moyses in Deuteronomio dicens, [Obserua mensem nouorum, & facies Pascha domino Deo tuo in mense no- Deut. 16.
uorum, quia egressus es noctu de Aegypto, & immolabis Pascha domino Deo tuo, oues & boues, in loco quem elegerit dominus Deus tuus, vt inuocetur

nomen

nomen eius ibi: non edes cum eo fermentũ: septem dies edes cũ eo azyma, panẽ A
afflictionis; quia cum festinatione existi ex Aegypto nocte; vt recordemini diei
exitus vestri de terra Aegypti omnibus diebus vestris: nõ apparebit in te fermẽ
tum in omnibus terminis tuis septẽ dies: & nõ pernoctabit de carnibus, quæ im-
molaueritis vespere die primo, in mane: nõ poteris immolare Pascha in vlla ciui
tatũ tuarũ, quas dominus Deus tuus dat tibi, nisi in loco, quẽ elegerit dominus
Deus tuus, vt inuocetur nomen eius ibi: facies Pascha vesperi ad occasum solis
tẽpore, quo existi de Aegypto, & coques, & assabis & comedes in loco, quẽ ele
gerit dominus Deus tuus:] quamplurimis enim vrbibus atque oppidis Iudæo-
rum regio plena erat, sed in sola sancta ciuitate, & sacra facere, & legem de Pa
scha seruare præcepit Deus: in quo illud, opinor, legis littera nobis adumbrat,
non esse fas, neque permissum cuiquam, vt Christi mysterium, quomodo libi-
tum fuerit, aut quocunque loco celebret; locus enim solus est illi congruens &
sane aptus, sancta ciuitas, idest, Ecclesia, in qua & legitimus est sacerdos, & san
Malach. 1 ctificatis manibus sacra consummantur, & thymiama omniũ præpotenti Deo, B
& hostia munda iuxta Prophetæ illius vocem offertur. Igitur legem hac de re
constitutã negligunt, recta omnia peruertentes hæretici; nam neque in sancta
ciuitate agnum immolant, neque per eorum manus, qui per Spiritum ad sacer
Hebr. 5. dotium electi sunt; sed, vt beatus Paulus scribit, sibi ipsi rapiunt honorem; & in
omni loco offerunt: nam taurorum instar superborum & insolentium in id so-
lum, quod sibi visum fuerit, nullo habito discrimine, pergunt: sed illi quidem,
dum effrenatum impetum, & ad superbiam pronum nimium sequuntur, acerbas
harum cogitationum iudici pœnas dabunt. Nos vero ad viam tritam atque re-
ctam reuertamur, illudque e lege proposita examinemus: audisti enim illam
perspicue dicentem, Obseruate mensem nouorum, & facies Pascha domino
Deo tuo, oues, & boues. Atqui dicet aliquis, quid tandem caussæ est, quod,
cum legem de Pascha ferret ijs, qui in Aegypto erant, vnum tantummodo im-
molare iussit agnum, nec vnquam de ouibus aut bobus fecisse mentionem in- C
ueniemus? an vero ab eo, quod rectum sit, aberrasse Moysen dicendum est? mi-
nime: nam in Numeris ad agnum boues quoque & oues adiici præcepit Deus
Num. 28. his verbis, [Et in mense primo quarto decimo die mensis Pascha Domino, &
quintodecimo mensis huius festum: septem dies azyma comedetis, & dies pri-
mus vocatus sanctus erit vobis: omne opus seruile non facietis; & offeretis ho
locausta, oblationem Domino, vitulos ex bobus duos, arietem vnum, septem
agnos anniculos, immaculati erunt vobis, & sacrificium eorum simila consper-
sa oleo, tres decimas vitulo vni, & duas decimas arieti vni facietis, & singulas
singulis agnis, & hircum ex capris vnum pro peccato, vt propitietur pro vobis;
præter holocaustum perpetuum matutinum, quod est holocaustum iuge; hæc &
iuxta hæc facietis singulis diebus, per septem dies donum oblationum in odo-
rem suauitatis Domino: super holocaustum perpetuum facies libamentũ ipsius: D
& dies septimus vocatus sanctus erit vobis, omne opus seruile non facietis in
eo.] Ac mense quidem primo, & eius mensis quartodecimo die Pascha ex Le-
ge agendum esse, iam superius diximus. Quid etiam significare velit, azymo-
rum esus, & otium sabbati, & præterea quod primus ac septimus dies appel-
lati sint vocati sancti, superiori disputatione, manifeste demonstratum est. Ita-
que, ne in his diutius immoremur, ad sacrificiorum ritus reuertamur. Duo
sunt igitur vituli ad holocaustum & sacrificium, vnus aries, agni præterea nu-
mero septem, omnes immaculati & anniculi, & super eos sacrificium simila
oleo conspersa, non tamen eadem mensura: tres enim decimæ in singulos vitu-
los, duæ in arietem, singulæ in agnos singulos; deinde simul affertur hircus ex
capris

A capris pro peccato: Et hæc omnia, inquit, ſunt præter holocauſta perpetua. Vide itaque, Palladi, illius Emmanuel mortẽ fructus multos afferre, vt ab ipſo eſt perſpicue vereque dictum,[Amen amen dico vobis, niſi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit, ipſum ſolum manet; ſi autem mortuum fuerit, multum fructum affert.] Immolatur enim agnus in Chriſti figuram menſe quidem primo ex Legis præſcripto, die vero quartodecimo: adiiciuntur autẽ vituli & aries & agni ad ſacrificium & holocauſta, qui eorum, vt ego arbitror, multitudinem, qui per fidem ad ſanctificationem vocati ſunt, & ſpiritualis magnitudinis menſuram tamquam in figura ſignificarent: niſi enim Chriſtus pro nobis mortuus eſſet, nunquam nos in odorem ſuauitatis a Deo & Patre accepti eſſemus: poſtea vero quam conſummatus eſt per paſſiones, e veſtigio nos illum ſequimur, ac ſacrum Deo & patri donum & hoſtiam vere ſpiritualem nos ipſos offerimus. Duo ſunt igitur vituli, duo quippe populi, Iſrael inquam, & ex gentibus: vnus aries; nam in Chriſto iungimur,[qui fecit vtraque vnum, & mediũ parietem maceriæ ſoluit, & Legem mandatorum in decretis euacuauit, vt duos condat in vnum nouum hominem, faciens pacem,] vt ſcriptum eſt. Septem vero agni erant; nam omnes in Chriſto vnum facti, grex quidam copioſus efficimur, & ſub vnius paſtorum principis manum ſuccedimus, & ex duobus gregibus in vnum iam collecti ſumus, puraque & immaculata vitæ ratione inſignes in hoc mundo degimus, propter eum, qui pro nobis inter iniquos numeratus fuit, & pro omnium peccatis necem ſuſtinuit: qui etiam in hirco ſignificatur. Vitulum autem & arietem & agnos commemorando, Lex ſanctorum hominũ Deo gratiſſime conuerſationis tres formas indicauit, ſupremam inquã, & mediam & infimam atque ſubmiſſiorem: corporea namq. horum animalium magnitudine illa ſpiritualis habitudinis magnitudo figurabatur. Quid enim? non etiam Scriptura dixit, terram fertiliſſimã illam triplici diſcrimine fructus euangelicæ conuerſationis edere? P A L L A D. Certe: alia namque fecit, inquit, centum, alia ſexaginta, alia triginta. C Y R I L L. Apte igitur diximus virtutis diſcrimen diuerſamque viuendi rationem magnitudine ſacrificiorum, & mole corporea recte deſcribi: illud enim vitæ genus ſummum atque præſtantiſſimum per vitulum; quod medio modo ſe habet, atq. illo perfecto inferius eſt, per arietem, qui minor; illud poſtremum per infimum & minorem adhuc agnum ſignificatur: eſt enim agnus ariete minor, vt proculdubio aries vitulo. Itaque pro cuiuſque pecudis magnitudine, ſimilæ, quæ vitæ figuram gerit, mẽſura confertur: tres namq. vitulo decimæ dantur, duæ arieti, vna agno: oleo tamen omnes perfundendas eſſe dicit; nam cuiuſque menſuræ proportione præmia a Deo collata omnino reſpondebunt, & vitæ illius glorioſæ atque beatæ multiplex erit differentia: nonnullis enim iure congruit illa ſuprema, alijs inferior illa quidẽ, non tamen gloriæ, & honoris expers; nõnullis deniq. ſubmiſſior adhuc & humilior; [Stella enim a ſtella differt in claritate.] Quinetiam in ipſis quoque angelis ſanctis multas eſſe ac varias gloriæ menſuras cẽſeo; ſed quacũque menſura fuerit, tamen hilaritatẽ habet illa ſanctorũ vita, Deique donis eam lætari atque cumulari neceſſe eſt: velim namque aduertas, oleum non modo in illas tres decimas, ſed etiam in illas duas, in illam denique vnam infundi. Iuge autem ſacrificiũ & holocauſta agnũ illum vocat, qui mane, & ſub veſperam immolabatur in tabernaculo: ex quo rurſus intelligere licet magnam eſſe in ſancto tabernaculo ſuauitatẽ odoris, perpetuamque reuera ſuaueolẽtiam Eccleſiarũ, & qui intra illas ſunt ſanctorũ: adolent enim illum Emmanuel, & Chriſti myſteriũ conſummant, incruentumque Deo cultum exhibent: id enim eſt, vt mihi videtur, quod mane & ſub veſperam incenduntur agni; nam & initio & ad finẽ & in medio ſumitur.

Margin notes: Ioan. 12. — Ephes. 2. — Eſai. 53. — Luc. 8. — 1. Cor. 15. — section letters B, C, D

Igitur ab initio vsque ad finem ille suauis odor in Christo tamquam in agno in A
Ecclesijs perseuerat. PALLAD. Recte dictum est. CYRILL. Alterum
præterea Lex huic primo festum adnectit, atque ipsa propemodum tempora
Num.28. confert dicens in Numeris, [Et die nouorum cũ obtuleritis sacrificiũ Domino
nounm hebdomadarum, vocatus sanctus erit vobis: omne opus seruile non fa-
cietis: & offeretis holocausta in odorem snauitatis Domino, vitulos ex bobus
duos, arietem vnum, septem agnos anniculos immaculatos, sacrificium eorum,
simila conspersa oleo, tres decimæ vni vitulo, & duæ decimæ arieti vni; & septẽ
illis septẽ agnis, & hircum ex capris vnũ pro peccato, vt propitietur pro vobis,
præter holocaustum perpetuum, & sacrificium eorũ facietis mihi: immaculati
erunt vobis, & libamina eorum.] Mense enim primo iuxta Hebræorum leges,
agnns immolabatur, cõsequenti autem ac proximo nimirum colligere ex agris
fruges mos est, præcoqua legumina inquam, & fasciculum manipulorum, triti-
co iam demesso. Tempus ergo nouorum est, quo ex agris colligenda sunt, quæ
in illis sata fuerint. Vocata est autẽ hæc item festiuitas ac legitime celebranda B
labore atque opere intermisso; relaxari namque mos est in festis, & ab operosis
negotijs abstinere. Ex hoc item loco licet intelligere sanctos, qui Deo festum
agunt, minime decere peccatum committere, quod & turpe est, & laboris ple-
num; sed potius, animum relaxando quodammodo, & explendo, virtutis studiis
oblectari. Offeruntur autem in holocaustum & sacrificiũ vituli duo, aries vnus,
& agni septem, simila oleo perfusa, & hitcus e capris. Ac quorsum spectet Le-
gis ænigma, quia modo diximus, non videtur esse repetendum: illud tamen op-
portune dicemus, Saluatoris nostri resurrectionis mysterium nouorum tempo-
re designari: refloruit enim in Christo primum hominis natura, excussa iã cor-
ruptione & vetustate, quæ ex peccato veniebat, abiecta. Itaque in ea re valde
Esai 61. gloriabatur dicens, [Exultet anima mea in Domino, induit enim me vestimẽto
salutis, & tunica lætitiæ:] vestimentũ quippe salutis, & tunicam lætitiæ incor-
ruptionem illam supernam & e cælo, & quæ prorsus in Christo est, appellauit. C
Clariorẽ vero hãc de hac celebritate legẽ fecit, & quãplurimis verbis ænigma
Leuit. 23. declarauit dicens in Leuitico, [Loquere filiis Israel, & dices ad eos, Cũ ingressi
fuetitis terram, quam ego do vobis, & meteris messem eius, feretis manipulum
primitias messis vestræ ad sacerdotem, & offeret manipulum coram Domino,
acceptum vobis: perendino offeret eum sacerdos: & facietis in die, in quo obtu
leritis manipulum, ouem immaculatam anniculã in holocaustum Domino, &
sacrificiũ eius duas decimas similæ cõspersæ oleo, sacrificium Domino, odorem
suauitatis Domino, & libamen eius quartam partem hin vini, & panem: & to-
stas fruges nouas non comedetis vsque ad diem hanc, quousque obtuleritis vos
dona Deo vestro: legitimum sempiternum in progenies vestras in omni habi-
tatione vestra: & numerabitis vobis a postero die sabbatorũ, a die, quo obtule-
ritis manipulum impositionis, septem hebdomadas plenas numerabis, vsque ad D
alterũ diẽ vltimæ hebdomadæ numerabitis quinquaginta dies.] Festũ est enim
plane salutare illa mors Emmanuel pro nobis tolerata: debita namq. pro nobis
Esai. 53. persoluit. Verumque illud est, ipsum peccata nostra portare, & pro nobis dolere,
Colos. 2. & liuore eius nos sanatos esse; affixit enim suæ cruci, quod aduersum nos erat
chirographũ, & triumphauit in ipso de iis, qui olim in terra imperiũ tenuerant,
de principatibus & potestatibns inquam, & de spiritnalibus nequitiæ, & præ ce-
teris de Satana. Festum porro continuo proximum priore non inferius, illa est
e mortuis resurrectio, quæ deiicit interitum, præciditque peccatum, & de-
structa morte, ad vitam nos in sanctificatione & incorruptione ducendam
transfert: exuimus namque veterem hominẽ, & induimus nouum, id est, Chri
stum, illam

A stum, illam nempe in Christo conuersationem, ac vitam. Vide igitur, obsecro,
illas humanæ naturæ renouatæ primitias, id est, Christum tamquam in figu-
ra fasciculi, & tamquam primas ex agro fruges, & tamquam fructus primitiuos
oblationem Deo, ac Patri sacram offerri. Quid enim? nonne spicarum in-
star refloruimus in hoc mundo? PALLAD. Certe: ideoque de nobis ipse
ille Christus sanctis suis discipulis dicebat, [Nonne vos dicitis, quod adhuc *Ioan. 4.*
quatuor menses sunt, & messis venit? ecce dico vobis, leuate oculos vestros,
& videte regiones, quia albæ sunt iam ad messem: & qui metit, mercedem ac-
cipit, & qui colligit:] spicis enim, ac tritico nos comparat. CYRILL. Ergo
velut primitiæ quædam spicarum, ac tamquam nouæ fruges in manipuli specie
Christus intelligitur, ille primogenitus ex mortuis, illa nobis ad resurrectionē
via, ille qui omnia ad nouitatem commutat & transfert, & vetustatē pellit; [Ve
tera enim transierunt, inquit, ecce facta sunt omnia noua: &, Si quis in Christo, *2. Cor. 5.*
noua creatura,] vt Scripturæ dicunt. Offerebatur autem manipulus ille coram
B Domino, excitatus enim e mortuis ille Emmanuel; ille nouus humanæ natu-
ræ, & tamquam in incorruptione fructus, ascendit in cælum, vt appareat nunc *Heb. 9.*
pro nobis Dei Patrisque vultui, non vt seipsum in illius conspectum afferat, (nā
perpetuo simul cum illo est, neque vnquam a Patre abesse potest, vtpote cum
Deus sit) sed vt nos potius in seipso ad illius conspectum perducat, qui propter
illam in Adam transgressionem ac peccatum, quod in nobis dominabatur, lōge
ab eius facie, & in ira versabamur. In Christo itaque id assequimur, vt in faciē
conspectumque Dei veniamus: iam quippe tandē sua nos inspectione tamquā
sanctificatos dignatur. Vide autē vt & ex tēpus quoque resurrectioni congruēs,
idest, diem tertium præfigurauit: Perendino namque post primum, inquit, of-
feret manipulum sacerdos coram Domino: tertius autem dies a primo non po-
sterus est, sed perendinus: tertio autem reuixit Christus. PALLAD. Verum
est. CYRILL. Simul autem cum manipulo etiam ouis affertur immaculata,
C duæque decimæ similæ illi adijciuntur, permisto item oleo: nam, idem tamquā
manipulus quidam & primitiæ fructuum quodammodo figuratus, ac tamquam
de grege primitiæ accipitur: de grege autem viuente, velut in pinguedine gra-
tiæ & hilaritate spiritus. Hac de caussa simul cum oue similam quoque & oleū
ac vinum afferendum esse dixit: ac simila quidem vitæ signum est, vt sæpe iam
diximus, pinguedinis, oleum, lætitiæ vero vinum. Offertur etiam rursus tamquā
in pane & nouis frugibus tostis, quæ chidra apud græcos vocantur; chidra au-
tem legumina vocat, vt opinor, quod, dum teruntur, circa molas fundantur,
quibus conteruntur: per hoc quoque Christus significatur vt noua conspersio,
ad cuius similitudinem nos quoque formati sumus, iussumque nobis est, vt fe-
stos dies agamus, expurgato veteri fermento, vt nos quoque noua simus con- *1. Cor. 5.*
spersio, ad illius exemplum, qui omnem viam nouæ conuersationis innouauit,
D id est, Christi. PALLAD. Recte ais. CYRILL. Ad hæc præcipit a nouis
fructibus abstinere, neque ex illis aliquid in escam assumere, sed manipuli de-
dicationem expectare. Noua, inquit, non comedetis vsque ad hanc ipsam
diem, vsque dum offeratis dona Deo vestro. Nam tempus aptum ad vitæ huius
nouæ & incorruptæ consortium assequendum illud est solum, & merito qui-
dem, quo ille Emmanuel effulsit, nec ante eum quisquam omnino ad nos in no
uam vitam reformandos virium satis habuit; ipse autem primitiæ quodam-
modo, ac primus eorum omnium fuit, qui sunt ad incorruptionem creati, qua-
tenus homo apparuit, & in carne nobiscum fuit propter similitudinem, qua
nobis est iunctus. Intulit vero nobis continuo euidentem sanctæ Pentecostes
figuram, post oblationem manipuli septem enumerandas esse hebdomadas di-

cens: nam post resurrectionis nostri Saluatoris diem septē consequenter elapsis hebdomadibus, nos fideles festum diem agimus. P A L L A D. Perspicua satis sunt, quæ dicis. C Y R I L L. Porro Saluatoris nostri resurrectionis tempus, illos qui Spiritu sanctificati sunt, ac fide iustificati, eo perducere, vt iam nouæ illius ac sinceræ vitæ fructum offerre possint, clare ostendit, illico subiungens, A
Luc. 23. [Et offeretis hostiam nouā Domino ab habitatione vestra offeretis panes impositionē, duos; panes ex duabus decimis similæ erit panis vnus, fermentati coquentur ex primis frugibus Domino; & offeretis cum panibus septem agnos immaculatos anniculos, & vitulum vnum ex armentis, & arietes duos immaculatos; & erunt in holocaustum Domino, & sacrificia eorum & libamina eorum; sacrificium odor suauitatis Domino; & facient hircum vnum ex capris pro peccato, & duos agnos anniculos in sacrificium salutaris cum panibus primarum frugum, impositio coram Domino: & imponet ea sacerdos cūm duobus agnis: sancta erunt Domino: sacerdoti, qui offert ea, ipsi erunt: & vocabitis hunc diem vocatum: vocatus sanctus erit vobis: omne opus seruile non facietis in eo; legitimum sempiternum in progenies vestras in omni habitatione vestra.] Eius namque creaturæ, quæ ad nouitatem reformatur primitiæ, & velut præcipuæ quædam fruges est ille Emmanuel, isque inter nos velut primus panis est, ac noua conspersio, nos deinde ex eius similitudine via quadam ad eam rem assequendam arrepta, noua quodammodo ipsi quoque conspersio vocati sumus. Huius rei figura est euidens ille panis ex nouis frugibus oblatus; sed non vnus ille est, nam duos offerendos esse dicit: duo namque sunt populi, etsi Christi mediatoris opera in vnitatem coniuncti videantur: Sed fermentati coquentur, inquit: quid autem id ænigma velit, age dicamus, Legisque profunditatem quoad fieri potest, circumspiciamus. Num ergo fermentum in his verbis intelligere conuenit illud improbum, atque vitiosum? Sed qui fieri potest, vt non id stultissime dicatur? nam quomodo eos a vitij contagione immunes putabimus, qui ad euangelicæ conuersationis nouitatem translati sunt? aut quomodo id ad nouitatem pertinere potest? quomodo etiam noua cōspersio dicentur aliqui, si in illis permanent fermenti reliquiæ? neque ex omni parte sint impiæ sordidæque vitiositatis expertes? [Excogitandum est igitur alterum fermenti genus, ad propositæ contemplationis rationem aptum, quod in se nihil habet vituperatione dignum, sed potius apud diuinitus inspiratam scripturam mirum in modum commendatur. Fermento igitur Saluator vim illam eruditionis euāgelicæ præclaram atque vtilem comparat dicens, [Simile est regnum cælorum fermento, quod acceptum mulier abscondit in farinæ satis tribus, donec fermentatum est totum:] nam irrepens in animum atque in cor illa eruditionis euangelicæ viuificatrix efficacia, animam, & corpus, & spiritum quodammodo in suam qualitatem transfert. Tali igitur fermento non absurde suspicari possumus fermentatos esse populos, qui tamquam speciē panum oblati sunt. Vterque autem ex duabus decimis; quæ figura duplicem nobis eruditionem per ænigma describit. P A L L A D. Id vero quale est tandem? C Y R I L L. An vero non fateris, Palladi, duplici nos eruditione, legali inquā, & euangelica & sacros, & Deo acceptos fore? & hoc modo ad nouam illā egregiamque vitæ rationem pergere? P A L L A D. Ego vero fateor. C Y R I L L.
Matth. 13. Hoc idē ipse quoque Saluator declarauit, cū dixit, [Propterea dixi vobis, quia omnis scriba doctus in regno cælorum similis est homini diuiti, qui profert de thesauro suo noua & vetera:] nam qui animum habent eorum, quæ per Moysen sancita sunt, scientia præditum, & mandato illo veteri & tamquam in figuris dato refertum, deinde præter illud nouæ atque euangelicæ cognitionis opibus

Math. 13. (margin, beside "lam eruditionis euāgelicæ")

B C D (margin letters)

A opibus ditati sunt, duplici mea quidem sententia eruditione sunt exornati. PALLAD. Recte dicis. CYRILL. Sed non in solis panibus illorum, qui ad nouitatem vitæ formati sunt, cœtus designabatur, nam iubet preterea Lex, septem agnos offerre, cum vitulo vno, & arietibus duobus, adiecta sacrificijs proculdubio libatione, idest, infuso vino ex quarta parte hin, quod est sextariorum sex, si nostra lingua dicatur. Ergo illi septem agni figura erunt credentium gregis, qui ætate quidem in Christo est infantili (infantiæ namque nota est agnus) sed tamen robore ac fortitudine spirituali ad perfectionem, & ad mensuram ætatis plenitudinis Christi progreditur. PALLAD. Quo tandem modo? CYRILL. Cum agnos dixisset, ac deinde in medio vitulum interposuisset, subiungit arietes: atque agni quidem figura sunt gregis; roboris ac fortitudinis vitulus; (est enim hoc animal robustum) ætatis porro perfectæ arietes. Fideles igitur, dum se aduersus terrena omnia fortiter gerunt, ad perfectionem ascendunt, quæ in Christo intelligitur: perfecta enim ætate sunt B arietes, spiritualisque perfectionis mensuram optime præseferunt. Sunt autem arietes duo: duplex enim est in nobis Christiana perfectio, tũ quæ in opere, tum quæ in verbo spectatur; [Quicunque enim fecerit & docuerit, inquit, hic magnus vocabitur in regno cælorum.] Vinum vero victimis rursum infunditur; omnino enim sequi necesse est, vt, qui ad perfectionem, quæ in Christo intelligitur, ascendere student, ij hilaritate, & lætitia perfundantur; [Vinum, enim inquit, lætificat cor hominis.] Deinde hircus immolatur pro peccato; adducuntur insuper duo agni cum panibus ad sacrificium salutaris. Quid vero id indicat? nempe mortuus est Emmanuel pro peccatis nostris, qui in hirco designatur, sacramque & acceptam reddit nostram in nouitate vitam, eamque murationem, qua noua conspersio facti sumus, & illam vsque ad animam & corpus dedicationem atque consecrationem, quam sustinere consueuimus, cũ pro- C pemodum simul cum eo morimur, qui propter nos inter mortuos fuit, vt simul etiam cum illo viuamus. Eiusmodi quiddam etiam Paulus sapientissimus in epistola sua scribit dicens, [An ignoratis quoniam quicunque baptizati sumus in Christum Iesum, in mortem ipsius baptizati sumus; consepulti enim sumus cum ipso per baptismum in mortem ipsius; vt, quemadmodum surrexit Christus per gloriam Patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus.] Ergo occisus ipse quidem est pro peccatis nostris, sed nos etiam cum ipso consepulti sumus, non corporis mortem obeundo, sed mortificando membra, quæ sunt super terram, ac mundo non iam adhuc viuendo, sed Christo potius, & per Christum Patri. Considera igitur, dum hircus immolatur, simul etiam agnos mori, & panes adoleri: accepta est enim nostra consecratio, & in odorem suauitatis assumitur noua illa & euangelica viuendi ratio, Christi passionibus quodammodo conformata, & ad illius imitationem accedens; [si enim compatimur, & con- D regnabimus; si commorimur, etiam simul viuemus; si socii passionum sumus, gloriæ item participes erimus.] Eiusmodi autem sacrificium salutaris appelletur, inquit; & recte, salutem quippe tribuit iis Christus, pro quibus mortem sustinuit; nam qui illo, quo iam diximus modo, consepulti cum ipso sunt, & commortui, eos a peccato liberat, & mortis atque interitus victores efficit. PALLAD. Quam recondita sunt Scripturæ verba, & obscura Legis sententia! CYRILL. Aenigma nempe est, Palladi, ac veluti obscura subtilium tenuissimarumque sententiarum adumbratio. PALLAD. Recte ais. CYRILL. Igitur tempora Lex commemorat, quibus nos festum agere conuenit, Tribus, inquiens, temporibus per annum festa celebrate mihi. Visne igitur, quoniam de duobus satis est a nobis dictum, quodnam tertium sit, & qua

Matth. 5.
Psal. 103.
Rom. 5.
Rom. 8.

de caussa ageretur dicamus? audisti enim cuiusque caussam; alterū enim, quia A
salutem tribuit Christus, pro nostra omnium salute mortem perferendo; alterum vero quia, interitu deuicto, iterum reuixit, & ad nouum nos vitæ genus innouauit, opportune celebrabatur. Ac prioris quidem tempus erat ille in anni mensibus primus, & initio occurrens, alterius vero is, qui proxime primum cōsequitur, & illi est adiunctus, quo par erat segetibus falcem admoueri, & alia semina comportari: quamplurima namque in agris frugum genera nascuntur. Age ergo de hoc tertio quoque festi tempore, quæ congruere videbuntur, dicamus, diligenterque inuestigemus, quomodo, quibusve de caussis celebrandū sit, eiusque rei scientiam ex Lege quæramus, & ex ipsis sacris litteris assumamus: ita enim ad veritatis indagationem progredietur oratio. An tibi minus recte dicere atque considerare videor? PALLAD. Mihi vero rectissime.

Leuit. 23. CYRILL. Scriptum est igitur in Leuitico, [Et locutus est Dominus ad Moysen dicens, Loquere ad filios Israel dicens, Mense septimo, vna mensis erit vobis requies, memoriale sempiternum tubarum vocatus sanctus Domino: omne opus seruile non facietis; & offeretis holocaustum Domino.] Videtur itaque mihi septimus ille mensis tempus illud extremum, quod erit in consummatione, significare: nam septimo mense, quæ ex agro colliguntur, omnia non ad aream, Palladi, comportandi tempus est, sed in ipsis iam vnuscuiusque horreis recondi conuenit: atque abit iam fructuum ferendorum tempus, exoritur autem hiemis initium, attenuantur stirpes, & flores tabescunt. Age dum igitur ea, quæ ad tempus pertinent, ad nos ipsos transferamus, illudque dicamus; iam ad extremum labente hoc sæculo, imminenteque alio ac subeunte, quo peccatores puniendi sunt, quod suis quisque laboribus peperit, coaceruabit, si sapit, & in horrea cælestia comportabit, recordabiturque Christi dicentis, [Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, vbi ærugo & tinea demolitur, & vbi fures effodiunt & furantur: thesaurizate autē potius in cælis.] Ergo, quoniam resuscitato Christo, sanctorum doctorum verba nos extremi temporis admonent; vndique enim clamant, [Vltima hora est,] ad supernos illos thesauros iam, inquit, sua quisque comportet: Sed primo die, mensis ait, quo men se fructus reconduntur, erit vobis requies, memoriale tubarū: bona enim e suis quisque sudoribus parta recondit, & æternæ illius iucunditati atque requieti prospiciet atque consulet, memor eius, quod beatus Paulus ait, [Ipse Dominus in iussu, in voce archangeli, & in tuba Dei descendet de cælo;] [canet enim tuba, inquit, & mortui resurgēt incorrupti:] [omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt ferat vnusquisque, quæ per corpus, siue bonum siue malum.] Meminerimus itaque sacræ huius & terribilis tubæ, cum festum sanctorum est in primis insigne, vocatum sanctum, cum speratorum bonorum possessionem, & fortirer præclareque gestorum cumulatam retributionē accipiunt. Oportet ergo nos huiusmodi cogitationibus ad summam probitatem ascendendo, ab omni opere cessare, quod nullam prorsus vtilitatē afferre possit, sed maculas potius aspergere: hoc enim est, quod sapiens ille vir Paulus nobis dixit, [Tempus breue reliquum est, vt & qui habent vxores, tamquam non habentes sint, & qui vtuntur hoc mundo, tamquam non abutantur.] PALLAD. Ita videtur. CYRILL. Deinde inquit, [decimo die mensis huius septimi dies propitiationis vocatus sanctus erit vobis: humiliabitis animas vestras, & offeretis holocausta Domino: omne opus non facietis in die hoc; est enim dies propitiationis hic vobis ante dominum Deum vestrū: omnis enim anima, quæ non humiliabitur in hoc ipso die, exterminabitur de populo suo; & omnis anima, quæ fecerit opus in hoc ipso die, peribit anima illa de populo suo: omne

Marginal notes: *Leuit. 23.* (B); *Matth. 6* (beside "bit, si sapit"); *1. Ioan. 2* (C, beside "quoniam resuscitato"); *1. Cor. 15.* (beside "quisque sudoribus"); *2. Cor. 5.* (beside "tuba, inquit"); *1. Cor. 7.* (D, beside "culas potius"); *Leuit. 23.* (beside "tes sint").

opus

A opus ſeruile non facietis: legitimum ſempiternum in progenies veſtras in omnibus habitationibus veſtris: Sabbata ſabbatorum erunt vobis: & humiliabitis animas veſtras: a nono die menſis a veſpera vſque ad decimum diem menſis ad veſperam ſabbatizabitis ſabbata veſtra.] Humiliationem & ieiunium,& holocauſtorum oblationem, atque etiam ab omni opere ceſſationem fieri debere dixit: in quibus mortificationem quidem carnalium cupiditatum per ieiunium figurauit; per holocauſta vero illam oblationem, qua in odorem ſuauitatis non ex parte ſed in totum ac perfecte Deo dicamur; per otium vero, & omniũ prorſus operum ceſſationem nihil nobis e terrenis rebus perficiendum eleganter deſignauit: nam, qui iam ad exitum finemque temporum decurrerunt, & ſacri illius extremique temporis tubæ ſunt memores,& illum iudicem cogitãt, an non ſummopere hac de cauſſa curandum eis eſſe putabis, vt ſpiritualis fertilitatis opes in ſupernos theſauros exportent,& voluptates quidem extinguant, affectioneſque corporis vincant, virtutis autem atque probitatis genera velut B odorem ſuauitatis Deo adoleant, atque ab inanibus ſtudijs longiſſime remoti ſint atque ſeiuncti? Hæc autem ſunt; vt opinor, ea ſtudia, quæ in hoc mundo collocantur, & huius vitæ laborioſa diſtractio. PALLAD. Ego vero puto: cur enim aliter exiſtimem? CYRILL. Quid præterea? qui vitia expugnant, & mortificant membra ſua, quæ ſunt ſuper terram, libidinem, inquam, & concupiſcentiam malam, nonne in odorem ſuauitatis Deo offerentur,& holocauſtorum inſtar erunt, eamque oblationem in redemptionẽ propitiationẽq; ſuarum animarum adhibebunt? PALLAD. Sane quidem. CYRILL. Diem igitur ieiunij qui erat, eum propitiationis Legiſlator appellauit; &,recte ſane & legitime,cum is carnem,& carnis vitia mortificet, & virtutis officia tamquam in odorem ſuauitatis offerat. Quiſquis porro non ab omni mundano opere ceſſauerit,fore vt is in ſummis malis verſetur,euidenter oſtendit,cum dixit, exterminandum eſſe de populo ſuo, qui neque ieiunaret, neque holocau C ſtum offerret,& legem de ceſſatione conſtitutam violaret. Sabbata autem ſabbatorum eſſe diem, qui hoc ritu ageretur dicẽs,illud nobis oſtendit, eſſe etiam ceſſationum ceſſationem,ideſt,integram atque perfectam abiectionem operum nimirum eorum,quæ ad vitium atque peccatum pertinent:nam hoc ſæculo ceſſante, ac tempore propemodum ſeneſcente, quem nam in nobis iam locum habebit vanitatis ſtudiũ?quomodove non potius meliora ſapiemus;otium agentes Deo gratiſſimum, & a noſtris diſtractionibus omnino diſcedentes? PALLAD. Recte dicis. CYRILL. Præcipit deinde rurſum, [Et die, inquiens, *Leuit. 23.* quintodecimo ſeptimi menſis huius, cum conſummaueritis fruges terræ,feſtũ agite Deo ſeptem dies: die primo requies, & die octauo requies: & accipietis vobis die primo fructum ligni pulchrum, & ſpathulas palmarum, & ramos ligni denſos,& ſalices, & viticis ramos, & ex torrente, & lætabimini in conſpe D ctu domini Dei veſtri ſeptem dies per annum: legitimum ſempiternum in generationes veſtras: in menſe ſeptimo feſtum hoc agetis.] Ergo intelligis tandẽ coactis iam in horrea agrorum prouentibus, & vniuſcuiuſque fructibus collectis, proximum eſſe celeberrimum illum Scenopegiæ feſtum, habitationem illam paradiſi repræſentans, & hominem ad bonorum illorum, quibus initio fruebatur, participationem reuocans. Arbitramur enim Scenopegiam eſſe ſpiritualem ac veriorem, illam humanorum corporum compactionem,cum ab interitu,qui interuenerat,ad incorruptionem reuiuiſcunt. Requies porro primus dies eſt,atque etiam octauus; nam ante primam illam tranſgreſſionem, cũ peccatum ærumnis omnibus plenũ nondum in nos irruiſſet,neque dum grauiſſimũ atque moleſtiſſimum nobis iugum impoſuiſſet, laxam ac liberam & omni labore

bore vacuam in Paradiso viuendi rationem in Adam quasi in initio ac stirpe A
nostri generis tenebamus. Christus vero cum aduenisset, etiam illa intermedia nostra condicio, qua laboribus premebamur, ad pristinam illam, quæ initio fuerat, reuersa est octauo die, idest, post sabbatismum Legis, seu post legalis temporis plenitudinem; &, illo molesto & immundo peccati iugo a nostris animis
Matth. 5. excusso, ab omni labore conquieuimus; Christo nos per fidem ad hoc vocante, ac dicente, [Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis; & ego requiē vobis tribuam.] Ergo requies est ille primus hebdomadæ dies, primum illud
Colos. 2. quod initio fuit, tempus hominis repræsentans: requies item octauus, quo Christus reuixit, affixitque suæ cruci, quod aduersum nos erat chirographum, & vnus pro omnibus est mortuus, vt nos a morte & a peccatis eximeret, & a pœna atque laboribus liberaret, vt pristinam illam requiem per ipsum recuperaremus. Primo die, inquit, sument fructum ligni pulchrum, & spathulas palmarum, & alios ramos: ex quo in promptu est intelligere, cum ipsa res gesta quodammodo clamet, Deum in Christo nobis illas Paradisi delicias red- B
dere, quamuis interim primæ illius transgressionis culpa inde delapsi simus: ex-
Luc. 23. pulsi quippe in Adam sumus, sed per Christum restituti: audisti enim illum latroni simul pendenti dicentem, [Amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradiso:] auertit enim Christus versatilem illam rhomphæam: itaque patefactus est deinceps credentibus aditus, cum ille omnia ad pristinum statum reformauerit; & in eum statum, quo olim fuerant, reuocauerit. Rami porro ex arboribus
Rom. 11. semper virentibus, perpetuam illam gratiam, & spem incorruptam præseferūt; [sine pænitentia enim est Dei gratia atque vocatio,] sicut scriptum est: & per-
Esai. 35. petua plane est illa sanctorum oblectatio. Cui rei testimonium suum adiungit sapiens ille Esaias, cum inquit, [Lætitia sempiterna super caput eorum; laus & lætitia suscipiet eos: fugit dolor & mæror & gemitus.] His autem legibus de huiusmodi festo sancitis, illud adiunctum est, ex torrente lætandum esse: inquit enim, extremo hebdomadæ die, id est, octauo hauriendam esse aquam ex C
torrente, atque ita credentes lætari oportere: ac torrens quidem spiritualis at-
Esai. 66. que cælestis Christus est, qui superis illis fluentis se colentium animos irrigat. Itaque dicebat per prophetarum vocem, [Ecce declino super eos, vt fluuius pa
Psal. 35. cis, & vt torrens inundans, gloriam gentium.] Clamauit etiam beatus Dauid ad illum omnium Deum ac patrem, [Quemadmodum multiplicasti misericordiam tuam, Deus; filij autem hominum sub vmbra alarum tuarum sperabunt, inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos:] conuenit enim, & quidem iure optimo, conuersationi illi, quæ in paradiso erit, abunde Christum participare, & larga subministratione spiritus oblectari. PALLAD. Conuenit sane; nam optime sentis. CYRILL. Vide autem Hierosolymis tantum festum hoc agi, quo necesse erat omnes ab omni Iudæa confluere. Hoc autem signo declarabatur, omnes quicunque præclaram lau- D
dabilemque vitam duxerint, in supernam illam ciuitatem, illam inquam cælestem Hierusalem, colligendos esse, vt ibi cum Christo simul sint, & simul festū agant; qui autem adhuc increduli sunt, ac resurrectionis gratiam non admittūt, sed potius adeo venerandum excelsumque mysterium repudiarunt, ij suo inte-
Zach. 14. ritu pœnas luent, ijsque omnino summa miseria imminet: ibunt enim in supplicium. Eiusque rei testis erit locuples Zacharias propheta dicens, [Et erit, quicunque non ascenderint ex omnibus tribubus terræ in Hierusalem, vt adorent Regem dominum omnipotentem, & hi illis addentur: quod si tribus Aegypti non ascenderit, neque exierit illuc, & in his erit ruina, qua percutiet Dominus omnes Gentes, quisquis non ascenderit ad celebrandum festum Scenopegiæ.

A pegiæ.] Ergo Scenopegiæ exoptatissimum festum esse existimandum est, illam omnium corporum resurrectionem, quorum primitiæ Christus fuit: primogenitus enim ex mortuis appellatur, & reuera est. PALLAD. Rectissime existimas. CYRILL. Illud tamen scias velim. PALLAD. Quid tandem istud est? CYRILL. Nam in his Legis eloquijs, quæ modo a nobis allata sunt, commemoratum est quidem iuge sacrificium, & neomenia, & sacra, quæ sabbatis fiebant, ieiunium quoque, præterea exoptatum Scenopegiæ festum: adiunxit autem Lex vbique, & in ijs singulis, quæ dicta sunt, illud, Offeretis holocausta Domino: ac quænam a nobis offerenda sunt sacrificiorum genera, neomeniæ conuenientia, ac sabbatis, ieiunio quoque ac Scenopegiæ, vel quodnam sit iuge sacrificium, tacuit quidem in Leuitico Legislator; sed hæc latius explicauit, & maxima subtilitate verborum posuit in numeris. Visne igitur, vt singula per partes distinguendo, de ijs quoad fieri poterit, disseramus? PALLAD. Equidem maxime velim. CYRILL. Sic itaque scriptum est; Coloss.1.

B {Et locutus est Dominus ad Moysen dicens, Præcipe filijs Israel, & loqueris ad eos dicens, Dona mea, munera mea, hostias meas in odorē suauitatis obseruabitis, vt offeratis mihi in festiuitatibus meis: & dices ad eos, Hæ sūt hostiæ, quas offeretis Domino, agnos anniculos immaculatos duos per singulos dies in holocaustū iugiter: agnum vnum facies mane, & agnum alterum facies ad vesperam: & facies decimam partem ephi similam in sacrificium conspersam oleo in tertia parte hin: holocaustum continuationis, sacrificium quod factum est in monte Sina in odorem suauitatis Domino: & libamen ei quartam partem hin agno vni: in sancto libabis libamen sicera Domino; & agnum alterum facies ad vesperam: iuxta sacrificium eius, & iuxta libamen eius facies in odorem suauitatis Domino.] Intelligis ergo diuinam legem in his verbis asseuerare sacrificiorum oblationem festis diebus maxime conuenire: æquissimum enim esse prorsus censeo, vt in illis Deo suauitatem odoris adoleamus, & Christianæ cō- Num.28.

C uersationis mores tamquam thymiamatis loco adhibeamus, ac nos ipsos Deo velut odoratissimum holocaustum, offeramus iuxta illud, vt opinor, quod doctissime dictum est, {Exhibete corpora vestra, hostiam viuentem, sanctam, placentem Deo, rationabile obsequium vestrum.} Continuationis autem sacrificium fieri debere, inquit, vno agno mane immolato, altero vesperi, incensa simul cum illis etiam simila, oleo etiam & vino insuper adiectis: omni enim tempore & iugiter, & ab initio vsque in finem in sancto tabernaculo, idest, in Ecclesia, per omne virtutis genus odorē suauitatis in Christo adolemus: nā quod manē & vespere incenduntur agni, figura est rursum eius, qui propter nos ac pro nobis Patri in odorem suauitatis ascendit, secumque quodammodo vitam in se credentium simul attollit; cui & hilaritas inest, tamquam de spe firma gloriæ ac regni, & lætitia, quæ de æternis illis oblectationibus percipitur: eius- Rom.12.

D modi autem vitæ signum est simila oleo conspersa, vinoque perfusa. Hoc vero sacrificium est hostia salutaris, quemadmodum illa, quæ a Moyse in monte Sina perfecta est. Scriptum est autem in Exodo, cum rerum omnium faciendarum leges ab illo omnium præpotente Deo constitutas exposuisset, {Cum euigilasset, inquit, mane Moyses, ædificauit altare sub monte, & duodecim lapides iuxta duodecim tribus Israel; & misit adolescentes filiorum Israel, & obtulerunt holocausta, & immolauerunt hostiam salutaris Deo vitulos.} Nihil autē differt ad rationem sacrificij, siue agni immolentur, siue vituli sacrificentur: in vtrisque enim seruatur innocentiæ forma: quam rem maxime Christi personæ tribuere licet, qui per Hieremiæ vocem inquit, {Ego vero vt agnus innocens, qui ducitur vt immoletur, non cognoui.} Quod si quis velit alia quoque ratione matu- Exod.24. Hiere.11.

ne matutinum veſpertinumque ſacrificium in tabernaculo factum intelligi, ni- A
mirum propter humanæ naturæ tempus, ac dicat in eo tempore, quod Adæ
tranſgreſſionem præceſſit, odorem ſuauitatis fuiſſe, & huic tempori ſimile fa-
ctum eſſe illud alterum extremum tempus, quod in Chriſto agitur, & in ea vi-
ta, quæ ſecundum Chriſtum intelligitur, is non aberrabit à propoſito, & ſapien-
ter exiſtimabit: ita enim vere ea res ſe habet. PALLAD. Aſſentior.

Num. 28. CYRILL. Sabbati porro ſacrificia definit, dicens continuo, [Et die ſabba-
torum offeretis duos agnos anniculos immaculatos, & duas decimas ſimilæ cō-
ſperſæ oleo in ſacrificium & libationem: holocauſtum ſabbatorum in ſabbatis
ſupra holocauſtum iuge, & eius libamentum:] cuius ſacrificii ritus non diuer-
ſus eſt ab eo, quem paulo ante diximus, ſed iiſdem veſtigiis incedit, adeo vt ni-
hil inter ea differat. Sed illud, Palladi, animaduertas velim; nam iuge quidem
ſacrificium perpetuo ſacrificatur, & quotidie ex Legis decreto perficitur: at ve-
ro illud alterum ſabbatorum non quotidie, ſed in ipſis fit ſabbatis. Ne igitur
negligentiores eſſent ad ſacrificia ſabbatorum offerenda, quod illud quotidia- B
num ac iuge ſacrificium ſatis eſſe putarent, neceſſario adiunxit, [Hoc eſt ho-
locauſtum ſabbatorum in ſabbatis, ſupra holocauſtum perpetuum & libamen
eius.] PALLAD. Ergo præter illam iugem victimam, etiam illa altera
ſabbatorum ex lege ſacrificatur? CYRILL. Ita eſt: ac de ea re nefas eſt du
bitare. Nam ipſi quoque ſabbarizantes in Chriſto, & in eius requiem ingreſ-
ſi, ſpiritualem odorem ſuauitatis Deo velut duplo maiorem offerimus. Siqui-
dem verum eſt fuiſſe quidem ſuaui odore illam priſcorum hominum de Legis

Rom. 7. iuſtitia gloriam, ſpiritualis enim eſt lex, & [mandatum ſanctum & iuſtum & bo-
num,] vt beatus Paulus ait: ſed excellentior eſt tamen illa in Chriſto conuer-
ſatio: & ſabbatiſmus in ſpiritu longe ſuauiorem odorem redolet, quam iuſti-

Num. 28. tia Legis. PALLAD. Recte ais. CYRILL. His adiicit, [Et in Neo-
meniis offeretis holocauſta Domino, vitulos ex bobus duos, & arietem vnum:
agnos anniculos ſeptem immaculatos: tres decimas ſimilæ conſperſæ oleo vi- C
tulo vni, & duas decimas ſimilæ conſperſæ oleo arieti vni, ſacrificium odorem
ſuauitatis hoſtiam Domino. Libamen eorum dimidium hin vini erit vitulo
vni: & quarta pars hin erit agno vni. Holocauſtū de menſe in menſem, in men-
ſes anni. Et hircum de capris vnum pro peccaro, Domino, ſupra holocauſtum
perpetuum fiet, & libamen eius.] Perpetuum ſacrificium, & ſempiternum eſt
illud quoque, quod fit in Neomeniis, cum vnoquoque menſe fieret vltra illud
quotidianum, quod eſt iuge. Sed in illis tamen non item ſimplex eſt ratio. Eui-
dens enim eſt ænigma. Neomenia igitur ſpiritualis ac verior iure intelligitur
nouum hoc in Chriſto ſæculum, illo quod ſecundum legem erat, iam exacto.
Aliter quoque figuram habere Neomenia poteſt illius ſæculi poſt hoc præſens
futuri, iam iamque aduentantis, quod tamen a Chriſti reſurrectione cepit ini-
tium, per quam ad nouitatem tranſiuimus, cum tamquam pignoris loco Spi- D
ritum gratiæ, firmamque ſpem vitæ immortalis conſecuti ſumus, in beatitu-
dine ac ſanctificatione reformati, priſtinum illum ſtatum tamquam reuoca-
to curſu repetentes, & futuro ſæculo conformati. Quæ nam igitur apta eſt
hoſtia Neomeniis, illis inquam, quæ in Chriſto ſunt ac ſpiritualibus, & vitæ
illi quæ futuro ſæculo ſimilis eſt? Deo ſcilicet mori, neque adhuc viuere pec-
catis implicatos, ſed a terrena conuerſatione prorſus diſcedere, vt ſimul cum
Chriſto viuamus. Ita etiam beatus Paulus ad eos qui ſanctificati erant in ſpi-
ritu, & in Chriſto iuſtificati, & futuri ſæculi virtutes didicerant, ſcribit, dicens,

Coloſſ. 2. 3. [Si mortui eſtis in Chriſto, quid tamquam viuentes in mundo decernitis?] &
iterum, [mortui enim eſtis, & vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo.

Cum

A Cum Christus apparuerit vita vestra, tunc & vos cum ipso apparebitis in gloria.] Vide igitur qui se laudabiliter gerunt, eos diuersa spiritualis habitudinis magnitudine mori Deo consecratos, virtutisq. præmia statim consequi. Vituli namque duo immolantur, & vnus insuper aries & septem agni vitium non habentes. Et nobis per hæc omnia Sanctorum cœtus describitur, qui virtute quidem insignis est tamquam in vitulis, & inferiorem secundumque locum tenet tamquam in ariete, postremum denique & humiliorem in agnis. Duo sunt autem vituli, nam duo populi. Vnus vero est interiectus aries; propterea quod illi duo in Christo ad vnitatem iuncti sunt. Septem postremo agni: nam Sanctorum populus plenitudine perfecta est. Duo autem esse & item vnum vnione spirituali, multitudinem illam perfectissimam conuenienter intelligimus: Copiosus enim valde est grex credentium, & simplicitate, quæ est in Christo, & infantia, quæ secundum eundem est, præditus. Vide autem tres quidem similæ decimas vni vitulo tribui, & olei ac vini dimidium hin, idest sextarios sex:
B Arieti autem duas decimas similæ, liquidorum vero quæ infundebantur, tertiã partem hin. In singulos denique agnos singulæ decimæ similæ adolebantur: quarta vero pars hin libamen erat, idest vinum & oleum. Aequa namque ratione pro cuiusque laboribus & virtute illa vitæ eius quæ in gloria atque beatitudine ducitur, ac pinguedinis quæ a Deo datur, & lætitiæ spiritualis mensura ab iusto iudice tribuetur. Nonne enim vitæ figuram tenere similam, sæpe iam diximus, pinguedinis vero oleum, lætitiæ denique spiritualis vinum? PALLAD. Maxime. CYRILL. Hircus præterea his sacrificijs adijcitur pro peccato immolandus in Christi figuram. Nam per salutarem Christi passionem acceptum est nostrum sacrificium, Deoque placens. Idque, vt opinor, est quod ipse Saluator sanctis Apostolis ait, [Sine me nihil potestis facere] Ergo necessario nostris sacrificiis in odorem suauitatis oblatis, illa Christi oblatio adiungitur, quæ se nostris oblationibus quodãmodo misceat, easque
C Patri simul offerat. Neque enim aliter nisi per Christum solum esse accepti possumus. PALLAD. Optime dicis. CYRILL. Atque hæc quidem sabbatis & Neomeniis erant sacrificia. [In mense autem septimo inquit, vna mensis vocata sancta erit vobis. Omne opus seruile non facietis. Dies significationis erit vobis: & facietis holocausta in odorem suauitatis Domino. Vitulum vnum ex bobus, & hircum vnum: agnos anniculos immaculatos septẽ.] Et tres quidem decimæ similæ in vitulum: duæ rursum in arietem, & singulæ in agnos singulos, iis quæ infundebantur proportione consequentibus, oleo inquam, & vino. Nam ex dimidio hin hæbraici, & ex tertia eiusdem parte, & ex quarta hi liquores adhibebantur. Quomodo autem eius festi vis intelligenda sit, declarauit dicens, [dies significationis erit vobis.] Nam extremam illam tubam angeli voce personantem significat, ad quam omnes mortui resurgent, & excitabuntur qui in monumentis sunt, vt iam superius diximus. *Num. 29.*
D Iussit etiam vt decimo eiusdem mensis die, in quem ieiunium cadit, quo carnalium concupiscentiarum extinctio & a terrenis vitiis alienatio describitur, idẽ sacrificium eodẽ quo primo die ritu perficeretur: ac quæ sit eorũ quæ fiebãt vis ac significatio, ad subtilioris intelligentiæ rationẽ accommodata, satis iam explicauimus. PALLAD. Memini. CYRILL. Decernit item quænam a nobis facienda sint propria Scenopegiæ sacrificia, & ait [Et quintodecimo die mensis septimi vocatus sanctus erit vobis: Omne opus seruile non facietis: Et celebrabitis illum festum Domino septem dies: & offeretis holocausta Domino hostiam in odorem suauitatis: die primo vitulos ex bobus tresdecim: arietes duos, agnos anniculos quatuordecim: immaculata erunt. Sacrificia eorũ,

simila

ſimila conſperſa oleo: tres decimæ vitulo vni in illis tredecim vitulis: & duæ A
decimæ arieti vni in illos duos arietes: & decimas ſingulas agno vni in qua-
tuordecim agnos: & hircum ex capris vnum pro peccato præter holocauſtum
perpetuum ſacrificia eorum & libamina eorum.] Deinde per ſingulos dies
vno dempto vitulo, ſacrificia eodem ritu, eademque menſura fiebant. Duo
namque arietes, & quatuordecim agni, & hircus vnus immolabantur: itaque
ſecundo die vituli offerebantur duodecim: vndecim tertio: quarto decem: quin-
to nouem: ſexto octo: ſeptimo ſeptem. Intelligis igitur per ſingulos dies nu-
merum modo vitulorum imminui. Sed eundem numerum tum arietum tum
etiam agnorum ſimilæ quoque ac libamentorum ſeruari. PALLAD. Quid
tandem ea res ſignificat? & quamob cauſam vituli quidem erant initio trede-
cim, pauciores deinde vno per dies ſingulos dempto: ſed arietes contra ſemper
duo, & agni quatuordecim, hirco ſacrificiis adiuncto? CYRILL. Haud fa-
cile, Palladi, horum præceptorum ſenſus perſpici poteſt: obſcuruſque re vera B
hic locus eſt: Enitar tamen quoad potero, quod in mentem venit, exponere.
Sed tu corrigas velim, ſi minus recto curſu ad locũ contendero. PALLAD.
Equidem hoc animo ero. CYRILL. Videtur itaque diuinum hoc reſpon-
ſum tum Iſraelitarum inſtitutionẽ ſub Legis magiſterio, tum eorum vocatio-
nem, qui ſunt per fidem ad ſanctificationem perducti, deſcribere. Significat
autem, vt opinor, ſacrificii figura, duo fuiſſe tempora, quibus Iudæorum gre-
ges fuiſſe ad Dei cognitionem atque ad legalem conuerſationem inſtitutos
intelligi poſſit. Quænam porro ſunt ea tempora, niſi illa prorſus, primnm quo
adhuc Moyſes erat & Ioſue & Iudices; deinde quo prophetæ vſque ad Ioan-
nem baptiſtam, qui iuxta Saluatoris vocem legatione ac miniſterio propheti-
co præſtantior erat? Sed in his duobus temporibus indicat ſacra ſcriptura fuiſſe
nonnullos, qui vitæ ſemitam tenerent lege laudatam, non eadem menſura ta-
men nec robore magnitudineque ſpirituali per totum ſimili: alii namque ma- C
gnitudine ſumma erant, cuius figuram vitulus habet: alii viciſſim media qua-
dam præditi, cuius ſignum eſſe aries poteſt: tertii præter hos paulo adhuc mi-
nore & inferiore menſura, vt profecto in agnis videre licet, ſi corporis magni-
tudinem conſideremus. Quid enim? nonne aries vitulo minor eſt, & agnus
ariete magnitudine corporis inferior? PALLAD. Fateor. Cur enim ne-
gem? CYRILL. Ergo animalia, quæ commemorata ſunt, vniuſcuiuſque
magnitudinis, quæ nempe in virtute ſpectatur, figura; & quidem perſpicua
ſunt. Sed quoniam quicquid præſtat & excellit, id minore numero eſt, quam
ſecundum & tertium, quippe cum rarum ſit, hac de cauſa tredecim vituli, duo
vero arietes, ac denique quatuordecim agni ſunt. Ac quoniam duos eſſe arie-
tes dicimus, numerus victimarum duplo maior eſt: nam pro ſeptem agnis qua-
tuordecim ſunt vituli, duo tamen arietes. Quid enim? Nonne par eſt multos
fuiſſe admirandos ſanctoſque viros, qui ſecundum iuſtitiam, quæ in lege eſt, ſi- D
ne querela ſe eſſe gloriari poſſent, vt profecto de Zacharia & Eliſabeth diui-
Luc. 1. nus Euangeliſta ſcripſit, [Erant iuſti ambo ante Deum, incedentes in omnibus
mandatis & iuſtificationibus Domini ſine querela.] PALLAD. Fateor:
Namque Iudæorum matrem Deus accuſauit dicens, [Quomodo facta es me-
retrix ciuitas fidelis Sion, plena iudicii, in qua iuſtitia pernoctauit in ea?] CY-
RILL. Erat ergo iuſtitia ſecundum legem, ex qua par eſt probatiſſimos in
Dei obſequio fuiſſe, quamuis lex non omnino ad ſanctificationem conſumma-
ret. PALLAD. Recte ais. CYRILL. Ergo vt Iſraelis vocationem
tamquam in ſummis, mediis & infimis ſignificarent, vituli & arietes &
agni denique Deo immolabantur; ac vitulorum numerus erat in dies paucior,

A vtpote cum electi illi deficerent in dies, & conſequentia ſemper tempora præſtantium probatiſſimorumque virorum inopia laborarent, ad ipſum vſque ſeptimum tempus,id eſt aduentum Saluatoris noſtri,quo tandem ſabbatiſmus ille in ſpiritu,& operum ceſſatio ad peccatum pertinentium extitit. Nam in Chriſto iuſtificati ſumus,cum præſens ſæculum iam ad extremum properaret.Eiuſq. rei figura rurſum eſt, quod in extremo totius hebdomadæ loco ſabbatum eſt collocatum. Ea propter ſapienti ratione veterum quidem ſacrificiorum oblationem vſque ad ſabbatum perducit, in eoque ſiſtit: Nimirum vocationem illam legis,illique conſentaneum ſacrificandi ritum, & e contrario ritum alium, qui in Chriſto perficitur,infert dicens, [Et die octauo exodium erit vobis: omne opus ſeruile non facietis in eo: & offeretis holocauſtum hoſtiam in odorem ſuauitatis Domino, vitulum vnum, arietem vnum, agnos anniculos ſeptem immaculatos: ſacrificia eorum & libamina eorũ vitulo & arieti & agnis, iuxta numerum eorum, & iuxta iudicium eorum,& hircum de capris vnum pro pec- *Num.29.*

B cato, præter holocauſtum ſempiternum. Sacrificia eorum & libamenta eorum. Hæc facietis Domino in feſtis veſtris præter vota veſtra, & ſpontanea veſtra, & holocauſta veſtra, & ſacrificia veſtra, & libamina veſtra,& ſalutaria veſtra. Audis legem aperte dicentem, [Exodium eſt.] Nam ille in vmbris cultus & illa in figura inſtitutio octauo die exceſſit, quo die reuixit Chriſtus. & circunciſionis in ſpiritu tempus aduenit. Excluſa eſt enim vetus illa vocatorum turba, quod infidelitatis crimine laboraret: & e regione quodammodo exortus eſt nouus populus, qui ſpirituali robore inſignis eſſet: id enim eſt vitulus, & perfecte probatus, vt qui iam plena ſit ætate, id enim ſignificat aries, & illius in Chriſto infantiæ atque innocentiæ eximia pulchritudine præditus, id quod agno deſignatur, ſi etiam numero perfectiſſimo ſpectetur. Nam quod ait ſeptem agnos eſſe, id prorſus ſignificat. Sequitur etiam hircus quoque: nam in Chriſto per fidem commendatur & probatur vna cum eo in odorem ſuauita-

C tis ad Deum aſcendens,vt ſæpe iam diximus. PALLAD. Ita ſe res habet. CYRILL. Ceterum in Chriſto nos ſabbatum acturos eſſe ad requiem peruenientes, cum a mundanis ſtudiis ceſſauerimus, neque terrenas curas adhuc patiemur, ſed potius in Domino, ſicut ſcriptum eſt, delectabimur, poſſeſſionemque apud eum egregiam habebimus, declarat cum in Leuitico Moyſi rerum ſacrarum doctori, dicit, [Loquere filiis Iſrael,& dices ad eos,ſi ingreſſi fueritis in terram,quam ego do vobis,requieſcere facietis terram,quam ego do vobis ſabbata Domino: ſex annis ſeres agrum tuum, & ſex annis putabis vitem tuam,& colliges fructum eius: anno autem ſeptimo ſabbata; requies erit terræ veſtræ, ſabbata Domino: agrum tuum non ſeres, & vitem tuam non putabis; & quæ ſponte naſcuntur in agro tuo,non demetes: & vuam ſanctificationis tuæ non vindemiabis; annus requietionis erit terræ, & erunt ſabbata terræ, *Leuit.25.*

D cibus tibi & ſeruo tuo & mercenario tuo & inquilino, qui applicatus eſt ad te: & iumentis tuis, & beſtiis quæ ſunt in terra tua,erit omne quod naſcetur ex eo in eſcam:& numerabis tibi ſeptem requietiones annorum,ſeptẽ annos ſepties; & erunt tibi ſeptem hebdomades annorum,quadraginta nouem anni:& annunciabitis voce tubæ in omni terra veſtra; & menſe ſeptimo, decimo die menſis, die propitiationis, annunciabitis tuba in omni terra veſtra: & ſanctificabitis annum, quinquageſimum annum: & clamabitis remiſſionem in terra omnibus habitantibus in ea. Annus remiſſionis ſignificatio hæc erit vobis,& reuertetur vnuſquiſq. in poſſeſſionem ſuam, & vnuſquiſq. in familiam ſuam reuertetur.] Intelligis igitur permittere quidem legem, vt aretur ac feratur, & vineæ excolantur ante annum ſeptimum. Septimo autem,vt earum rerum cura leuemur,

Hh præcipere:

præcipere: relaxamur enim, cum in Christo sabbatum agimus, & a terrenis rebus curam abducimus, & a vanis distractionibus prorsus recedimus. [Septem hebdomadas annorũ,] idest per sæcula sæculorum: bonisque perfruemur paratis & in promptu positis, nimirum ijs quæ a Deo dabuntur, bonisque spiritualibus oblectabimur, ac festum agemus. Nam extremum illud tempus remissionis erit omnibus nobis, qui vbique terrarum sumus, cum vnusquisque ad suam possessionem, idest ad conuenientem sibi sortem a Deoque sibi tributam reuertetur. Vt enim varia sunt Sanctorum vitæ genera, sic item præmiorum erunt, cum pro vniuscuiusq; gestorum ratione Deus retributionem admetietur. Meminit etiam tubæ, quæ hæc commoda nunciat. Nam nostri sabbatismi, eius nimirum qui in Christo celebratur, remissionis quoque & possessionum redditionis tempus, illa est e mortuis resurrectio per tubæ significationem & vocem angeli suo tempore futura, in qua præclarus ille Sanctorum cœtus audiet Christum dicentem, [Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi.] Quod vtinam assequi nobis contingat gratia & benignitate domini & Dei, & Saluatoris nostri Iesu Christi, per quem, & cum quo, Deo & Patri gloria cum Sancto Spiritu, nunc & semper, & in sæcula sæculorum. Amen.

Matth. 25 (margin)

A / B (margin letters)

FINIS LIBRI DECIMISEPTIMI.



LOCA SCRIPTVRÆ A CYRILLO IN HOC opere citata, in quibus erat dignum aliquid quod adnotaretur.



LIBRO PRIMO.

Fol. 14. B. Vanitas enim est reuera huius vitæ distentio.) distentionis vocabulo vsus sum vt Scripturæ vocem retinerem, quæ ex antiqua LXX. interpretum editione in Ecclesiaste legitur capite primo, [Hanc distentionem pessimam dedit Deus filiis hominum, &c.] græce LXX. & Theodotion περισπασμὸν transtulerunt, Symmachus ἀσχολίαν, occupationem. eadem voce vsus sum fol. 20. C.

Eodem fol. D. Et comederunt antequam irent cubitum.) Hęc verba [antequam irent cubitum] ab imperito librario puto adiecta fuisse, non à Cyrillo posita. nam & ineptum sensum faciunt, & manifeste ad sequentia pertinent, vt & in Hebraicis libris est, & in vulgata editione, & dudum in Græcis veteris testamenti libris nos ipsi correximus, atque distinximus, ἔπιον αὐτοὶ καὶ ἔφαγον, deinde ex alio principio, πρὸ τοῦ κοιμηθῆναι δὲ, &c. nolui tamen quicquam immutare, vt fidem interpretis seruarem.

Fol. 16. D. Dei fortes à terra vehementer eleuati sunt.) Hunc locum psalmi 46. sic transtuli, quia sic illum Cyrillus legit, & distinguit, & interpretatur. ceterum quod, Dei fortes, dixit, id omnes græci, non modo Cyrilli, sed etiam veteris testamenti codd. habent: sed hi distinctione variant: nam aliqui sic distinguunt, οἱ κραταιοὶ τῆς γῆς, fortes terræ, vt sit, Dei fortes terræ: aliqui sic, τοῦ θεοῦ οἱ κραταιοί. deinde, τῆς γῆς σφόδρα ἐπήρθησαν. Dei fortes, a terra vehementer eleuati sunt. hanc distinctionem sequitur B. Cyrillus, vt apparet non modo ex hoc loco, sed etiam ex aliis nonnullis. priorem illam retinuit Psalterij Latinus interpres, quam non modo non improbo, sed etiam magis probo. nam & cum Hebræo magis congruit, & eam ceteri interpretes tenuerunt. Sed si illam hoc loco posuissem, totam Auctoris sententiam perturbassem, atque obscurassem, quod interpres eiusdem Auctoris in Euangelium B. Ioannis, lib. 11. cap. 29. fecit, vbi Cyrillus eodem modo verba Psalmi distinguit & interpretatur.

Ibidem. Sed cum attulisset ad eos Baruch Ieremiæ verba) Et nuper concilium Tridentinum & fere omnes Patres tum Latini tum Græci Canonicum librum fatētur, quod si qui illum pro Ieremia citant, & illi adscribunt, vt Athanasius in Synopsi, & Augustinus libro contra Faustum 12. cap. 43. & de Ciuitate Dei libro 18. cap. 33. & B. Ambrosius cum alibi tum libro primo de fide cap. 2. & de Pœnitentia primo, cap. 8. & B. Ioannes Constantinopolit. in psal. 147. hoc ideo dixerunt, quia a Ieremia dictatum, a Baruch exceptum putarunt, vt manifeste apparet in his Cyrilli verbis, qui verba Ieremiæ a Baruch allata dicit. Latina etiam Ecclesia sic censuit, cum in Sabbati sancti solemni officio lectiones de quatuor maioribus Prophetis legendas publice sanxit, & pro Ieremiæ libro e prophetia Baruch lectionem posuit. Audi Israel mandata vitę, &c.

LIBRO SECUNDO.

Fol. 35. A. Et vbi ego sum, illic & minister meus sit.) ἐκεῖ καὶ ὁ διάκονος ὁ ἐμὸς ἔστω. sic legit Cyrillus. non enim prædicentis, sed iubentis verba esse intellexit, vt apparet. Sic in libris Cyrilli græcis scriptum inueni. neque tamen alteram lectionem improbandam puto, quæ & in impressis omnibus græcis noui testamenti libris, & in editione latina inuenitur, illic & minister meus erit. Sed etiam hanc Cyrilli lectionem probauerunt Latini Patres, cum illam publice in Ecclesiis decantandam censuerint, vt apparet in Breuiario Romano, in Communi vnius martyris antiphona ad Laudes quarta eam Cyrillus in aliis quoque libris hoc modo citat, vt in Commentariis in Ioannem libro 4. cap. 28.

Fol. 39. A. Omnis gloria filiæ regis Esebon.) Mirum quomodo Cyrillus sic legat, quomodo etiam legitur in Vaticano Testamenti veteris codice. itaque non temere id factum puto, sed eum interpretem, qui Hesbon hebræam vocem reliquit, puto sic in aliquo Hebræo codice legisse, quod alij codd. & fere omnes hoc tempore habent misbetsoth. neque vero illi codd. qui legunt ἐξ ἴσως ὧν ecogitationibus, vt B. Hieronymus in aliquibus se legisse testatur, aliud in Hebræo legisse interpretem demonstrant, quam Hesebon. ea enim Hebræa vox ἐσεβων reue-

ra significat. ceterum quod ait Cyrillus significare ἴνωθεν, id non Hesebon significat, sed vox, quæ præcessit, penima.

LIBRO TERTIO.

Fol. 50. A. Dei fortes, a terra vehementer eleuati sunt.] iam de hoc loco psal. 74. dictum est in ijs, quæ in primo libro animaduertenda duximus.

Ibidem D. Extende manum tuam ad mare, & sicca illud.] Græci codd. Cyrilli habebant ξήρανον αὐτήν, sicca illud, vt transtulimus. Sed Biblia Græca omnia ῥῆξον αὐτήν, scinde seu perrumpe illud.

Fol. 57. A Et auxit Salomon altare postea, quia exiguum erat prius.] Hec verba neque in Hebræo, neq. in editione Latina sunt. habent ea tamen LXX. sed quiddam simile habetur tertio Regum cap. 8. prope finem. vnde puto LXX. sumpsisse, aut ex vetusta traditione adiecisse.

Fol. 58. D. Quoniam debet in spe arans arare, & triturans in spe participandi.] Multa loca sunt in antiquorum Græcorum Patrum libris de scripturis prolata, quæ cum editione Latina Testamenti noui conueniant magis quam cum iis Græcis, quæ circumferuntur. velut hic locus est. cum enim vulgati codd. Græci habeant, ὅτι ἐπ' ἐλπίδι ὀφείλει ὁ ἀροτριῶν ἀροτριᾶν, καὶ ὁ ἀλοῶν τῆς ἐλπίδος αὐτοῦ μετέχειν, quoniam in spe debet arans arare, & triturans spei suæ particeps esse, Cyrillus cum Latina editione congruentius, ὅτι ὀφείλει ἐπ' ἐλπίδι ὁ ἀροτριῶν ἀροτριᾶν, καὶ ὁ ἀλοῶν ἐπ' ἐλπίδι τοῦ μετέχειν, & qui arat in spe participandi, seu fructus percipiendi. sic quarto etiam lib. citat, fol. 77. ex quo apparet quam temere à nonnullis Latina editio reprehendatur, quæ e Græcis libris præstantissimis, & emendatissimis in Latinam linguam translata est. eandem lectionem sequitur B. Augustinus in Ioannem tractatu 10.

Fol. 60. A. Et vos implete mensuram patrum vestrorum.] Sic habet Latina vulgata editio Testamenti noui. ceterum nonnulli Cyrilli codd. Græci habebant, impleuistis, πληρώσατε. noluit autem quicquam de consueta latina lectione mutare, cum essent etiam qui haberent, ἐπληρώσατε; quamuis altera lectio ad Cyrilli sententiam commodissima sit.

LIBRO QUARTO.

Fol. 64. C. Ad hæc omnia sumentes scutum fidei.] Locus hic qui est in epist. ad Ephesios c. 6. duobus modis a Patribus legitur, vno modo, ἐν πᾶσι in omnibus, quomodo transtulit vulgatus interpres, & legitur in Græco Vaticano Testamenti noui codice, quomodo etiam legit Methodius martyr apud Epiphanium, & Nanzanzenus in oratione præsente Gregorio Nysseno. Altera lectio est quam sequitur Cyrillus, & vulgati Græci codd. ἐπὶ πᾶσι, quæ lectio eam sententiam potest habere post omnia arma, quæ sumenda dixi, sumite tamquam nouissimam armaturam scutum fidei.

Fol. 70. C. Si quinque modo ibi essent [illegible] hominea.] Græce est, εἰ πέντε ἦσαν εἶεν ἐν αὐτῇ ὄντες καὶ ἀγαθοί. Paulo aliter accepit atq. in Genesi cap. 18. positum sit. non enim si quinque fuerint viri iusti in Sodomis, ideo reliquis condonaturum se dixit Deus, sed si a quinquaginta quinque defuerint. Sed ad id quod efficere vult Cyrillus id parui refert. Satis enim habuit ex hoc loco illud probare propter iustorum merita, quamuis longe pauciorum peccatoribus licet multo pluribus pœnas condonari.

Fol. 75. B. Iam perfecti estis. sine nobis regnastis.] Sic legit hunc B. Pauli locum Cyrillus, ἤδη τετελειωμένοι ἐστέ. χωρὶς ἡμῶν ἐβασιλεύσατε. quod in ceteris Græcis est, ἤδη κεκορεσμένοι ἐστέ. Iam saturati estis.

Fol. 82. D. Benedicti nos a Domino.] ἡμεῖς proculdubio legit. eamq. lectionem adhuc multi impressi codd. habent, & Vat. cod. sed vulgata latina editio verius, Benedicti vos. vt etiam Hebræus codex habet, ac facile fuit in Græco ex ὑμεῖς facere ἡμεῖς, propter vocis similitudinem.

Fol. 83. B. Omnia possum in eo qui me confortat Christo.] Et in 5. lib. huius operis ad hũc modũ citat, fol. 87. C. vt impressi codd. Test. noui Græci habẽt. Latina editio non habet, Christo.

LIBRO QUINTO.

Fol. 93. C. Omnes traham ad me ipsum.] Sic Cyrillus legit, hoc loco, & libro 10. bis, & 11. & Ignatius in epistola ad Smyrnenses. Latinus interpres, Omnia.

Fol. 109. B. Vos ex patre vestro diabolo estis.] Vocem, vestro, editio Vulgata non habet: ne Græcus quidem Vaticanus Testamenti noui codex. Sed quia erat in Græco Cyrilli codice, illam posui, præsertim, quia & alij Græci Patres sic legunt, vt Clemens Alexandrinus Stromatũ lib. 5

Fol.

Fol. 120.D. Multo passeribus meliores estis vos.] Expressi quomodo Græcus Cyrilli codex habebat, πολλοῦ στρουθίων διαφέρετε ὑμεῖς. alteram lectionem minime improbo, multis passeribus, &c. quæ in plerisque Græcis inuenitur, πολλῶν στρουθίων, &c.

Fol. 125.C. Quod autem his abundantius est, a Diabolo est.] Cyrilli liber sic habebat, τὸ δὲ περισσὸν τούτων, ἐκ τοῦ διαβόλου ἐστίν. At libri fere omnes Græci habent in B. Matthæi Euangelio, ἐκ τοῦ πονηροῦ ἐστιν, aut igitur sic legit vt posuimus, aut τὸν πονηρὸν Diabolum intellexit.

LIBRO SEPTIMO.

Fol. 139.D. Munus quod ex me tibi proderit.] Vt Cyrilli expositio cum B. Matthæi loco citato conueniret, necesse fuit vt verbum, est, eximeremus, & cum in Latino sit, Munus quodcunque est ex me, tibi proderit, fecimus, Munus, quodcunque ex me tibi proderit. Vt autem Cyrilli expositio clarior fiat, animaduertendum est in Græco sic legi, δῶρον, ὃ ἐὰν ἐξ ἐμοῦ ὠφεληθῇς. Vbi illud intelligendum est, nomen δῶρον munus, cum sine articulo sit, prædicati locum, quamuis ordine prius collocatum sit, tenere, deinde quæ sequuntur, ὃ ἐὰν ἐξ ἐμοῦ ὠφεληθῇς, quodcunque ex me tibi proderit, vice subiecti esse. itaque si quis velit propositionem totam & enunciatum simplici ordine proferre, sic dicet, Quodcunque ex me tibi proderit, id totum est munus, hoc est, quodcunque ex meis rebus in tuam vtilitatem sumpseris, id munus ac Deo consecratum est: itaq. de sacris rebus fraudas, & Sacrilegium committis, si quid inde in tuos vsus acceperis. Eodem quoque modo hunc locum exponit B. Ambrosius lib. 8. in Euangelium B. Lucæ, Cum, inquit, petat aliquid ad sumptum egens pater aut mater a filio, quia legem timens, excusationem non dandi requirit, dicere solet, munus est, quod ex me tibi proderit: vt dicatam Deo pecuniam pater religiosus accipere formidet. Eodem quoque modo Cyrillus hunc locum exponit libro huius operis sextodecimo.

Fol. 142.C. Spiritus sanctus nondum erat, quia Iesus nondum erat glorificatus.] Hoc eodem modo citatur hic locus lib. 9. huius operis, Latina editio habet, Spiritus nondũ erat datus, &c. quam etiam lectionẽ libenter amplector ac veneror. Sed volui transferre, quod Cyrillus habebat in Græco. neque vero alium sensum debet aut potest habere hæc lectio, quam habeat editio Latina. non enim de Spiritus sancti persona aut essentia intelligi potest, alioqui quomodo nondum ante Christi glorificationem Spiritus sanctus erat, qui, teste Gabriele, in illius incarnatione in Virgine superuenerat? Sed verba pro loci ratione intelligenda sunt. dixerat Dominus, de ventre credentium in se fore vt flumina aquæ viuæ profluerent. declarauit Euangelista mox quid illæ aquæ, quidve profluentia flumina essent, Hoc autem, inquit, de Spiritu dixit, quem accepturi erant credentes in eum. Si igitur flumina de ventre profluentia, linguarum prædicationisq. donum accipitur, non Spiritus sancti essentia, (neque enim de hominum cordibus Spiritus sanctus flueret, absit,) & Spiritus vocantur eiusmodi fluminum de corde fluentium redundantia, quæ nondum erat, quia nondum Iesus erat glorificatus. cum igitur Spiritus nondum esse dicitur, eiusmodi linguarum donum nondum esse, recte intelligitur. neque vero solus est in hac lectione Cyrillus, nam sic ante illum legit Dionysius Alexandrinus in Epistola contra Paulum Samosatenum, & B. Ioannes Chrysostomus Hom. in Euangelium S. Ioan. 50. vbi tamen ait subaudiendum esse, datus, quem sequitur Theophylactus & Euthymius. Latinã editionem citat Ambrosius libro de Dominicæ incarnationis Sacramento, cap. 6. eamq. confirmat Vaticanus noui Testamenti Codex antiquissimus, in quo sic legitur, οὔπω γὰρ ἦν πνεῦμα ἅγιον δεδομένον ὅτι Ἰησοῦς οὔπω ἐδοξάσθη. Confirmat etiam Augustinus pluribus locis, libro de Trinitate quarto, cap. 20. Tractatu in Euangelium B. Ioannis 52. & 63. libro octoginta trium quæstionum, q. 62.

Fol. 167.B. Similis est homini diuiti.] Editio Latina habet, homini Patrifamilias. Græci omnes, quos videre potui habent, ἀνθρώπῳ οἰκοδεσπότῃ, quod cum Latina editione conuenit. crederem Cyrillum non tam verba tenuisse, quam sensum, nisi viderem etiam libro huius operis decimo septimo fol. 352. eandem lectionem secutum esse, & in Euang. B. Ioannis lib. 3. cap. 34. & lib. 9. cap. 23. vbi tamen interpres posuit paterfamilias, cum tamen e consequentibus verbis agnoscatur Cyrillum scripsisse, diuitem. quod idem fecit lib. 10. cap. 19. hoc eo accuratius adnotandum putaui, vt ex eodem charactere formaq. testimoniorum sacræ Scripturæ idem auctor horum librorum deprehenderetur.

LIBRO NONO.

Fol. 180.A. Corpus autem aptasti mihi.] Nunc in editione vulgata Latina legitur, Aures

autem perfecisti mihi. quod sit ne a B. Hieronymo ex recentiori Hebræo emendatum nescio. præsertim cum in Epistola ad Suniam & Fretellam nihil de hoc loco dixerit. non autem puto illas feminas cum in rebus multo minoris momenti adeo diligentes fuerint, hunc locum neglecturas fuisse, si illum in Psalterio à B. Hieronymo emendato aliter legissent, quam esset in LXX. præsertim cum illum ab Apostolo sic citatum viderent, vt illi verterant. Igitur ad hunc modum & Apostolus, vt dixi, citat, & omnes libri Græci habent, & Patres omnes tam Latini, (de vetustioribus loquor) quam Græci vtuntur. quod autem nunc habet Vulgata editio, ex aliorum recentiorum interpretum translatione manauit, qui transtulerunt, ὦτια δὲ κατηρτίσω μοι. Ceterũ ne quis Hebræos libros cũ legerit, putet male à LXX. versum esse σῶμα δὲ κατηρτίσω μοι, hoc est, corpus autem aptasti mihi, cum in Hebræo sit אזן כרית לי is admonendus est LXX. non sic legisse, sed non multum dissimilibus litteris alia verba in suis Hebraicis codd. habuisse in hunc modum, עצם כננת לי Latinis litteris similitudinem indicabo vt potero, qui transtulerunt, Aures perfecisti seu fodisti mihi, hi in Hebræo legerunt, ozen caritha li. LXX. vero legerunt, ezzem conantha li. Hæc dixi ne temere LXX. reprehendendos quispiam putet, vbi ab Hebraico dissentire viderit.

Fol. 181. A. Super omnem qui dicitur Deus, aut quod colitur.] Græci codd. nunc habent ἐπὶ πάντα λεγόμενον θεόν. Sic etiam legit Cyrillus. Latinus vero Testamenti noui interpres legisse videtur, ἐπὶ πᾶν τὸ λεγόμενον θεόν. ceterum locus vnde sumpsit hanc sententiam Apostolus in Daniele est, cap. 11. vbi LXX. καὶ μεγαλυνθήσεται ἐπὶ πάντα θεόν. Sed lectionem Latinæ editionis confirmat Irenæus libro tertio, capite 6.

LIBRO DECIMO.

Fol. 192. A. Ita namque nos alloquebatur Paulus dicens, Et vos tamquam lapides viui superædificamini, &c.] Locus proculdubio est ex Epistola B. Petri prima cap. 2. Cur igitur Paulo tribuit quod Petrus scripsit? neque id semel, sed iterum libro. 16. Qui prior hunc librum Lugduni impressit meo iniussu temere ad marginem verba quædam apposuit, vt totam fere illam editionem his maculis aspersit, *Lapsus est*, inquit, *memoria beatus hic Pater.* hac tam turpi adnotatione, & aliis etiam impudenter & insolenter appositis permotus sum, vt denuo hunc librũ imprimendum curarem. Ego vero nunquam adduci potero, vt credam errore lapsum & B. hunc patrem Paulo tribuisse Petri voces. Sed nisi melius quippiam occurrerit, illud dici potest, cum ille aut eius notarius ταχυγράφος P. notam solam scripsisset, antiquarium, qui notas latius scribebat parum intelligentem pro Petro, Paulum posuisse. itaque si quis error fuit non Cyrilli, sed antiquarij fuit. quomodo namque tam turpiter labi Cyrillus potuit, cum pluribus locis primam Petri Epistolam sub nomine Petri citet? malui autem interpretis fidem religiose præstare, quam ex meo ingenio quod in Græcis codicibus repereram, immutare.

Fol. 205. D. Iustificationes carnis vsque ad tempus correctionis impositæ.] Sic habebat Cyrilli codex, δικαιώματα σαρκὸς μέχρι καιροῦ διορθώσεως ἐπικείμενα.

Fol. 203. A. Venit princeps mundi huius, & in me nihil inueniet.] Varie citatus hic locus apud Patres inuenitur. nam aliqui, in me nihil inueniet, vt Cyrillus hoc loco, & Basilius in Homilia, Quod Deus non sit auctor malorum, & Ambrosius libro de bono mortis cap. 5. & Augustinus libro de Trinitate 13. cap. 14 & in Ps. 68. & libro de Natura & gratia cap. 24. & lib. 2. de Nuptiis & Concupiscentia cap. 5. Alij præsenti tempore, nihil inuenit, vt Athanasius libro de incarnatione Christi, & Epiphanius libro 2. aduersus hæresim Manichæi, Ioannes Chrysostomus in Commentariis in Ioannem, & in Matthæum Homilia 16. Hieronymus in Ieremiæ cap. 4. & in psalmum 50. & 58. Sed editio Vulgata legit, in me non habet quicquam. Ea confirmatur multis Græcis Testamenti noui codd. & nonnunquam a patribus ita profertur. nam sic legit Basilius in psal. 7. καὶ ἐν ἐμοὶ ἕξει οὐδέν. & Augustinus quæstione in Deuteronomium 55.

Fol. 208. B. Rursus indigetis eo qui vos doceat.] Heb. 5. Græci fere omnes Testamenti noui codd. cum editione Vulgata faciunt, τοῦ διδάσκειν ὑμᾶς, vt vos doceamini. Cyrillus habet, τοῦ διδάσκοντος ὑμᾶς, docente vos.

LIBRO VNDECIMO.

Fol. 222. A. Et honor regis iudicium diligere.] Psal. 98. Singularis est in hac lectione Cyrillus. neque enim adhuc apud alium aliquem sic legi. Omnes enim & codd. veteris Testamenti, quos

ti, quos videre potui, & Auctores legunt, Καὶ ἰημὶ βασιλεῖ κυρίου ἀγαπᾶ. hic addit litterulam ν, & legit, ἀγαπᾶν.

LIBRO DUODECIMO.

Fol. 245. C. Sed attendunt Spiritibus erroris.] 1. Timoth. 4. Cyrillus conuenit cum editione vulgata, non enim legit πνεύμασι πλάνοις Spiritibus seductoribus, sed πνεύμασι πλάνης. spiritibus erroris. Tertullianus tamen lectionem Græcam peruulgatam sequitur, libro de ieiunio, & auctor libri de Trinitate. Epiphanius vtramque citat libro contra Hæreses 2. aduersus Cataphrygas.

Fol. 253. A. Deo mundoq. diuisa.] Ad verba respicit quæ posita sunt in 1. ad Corinth. cap. 7. illud autem animaduertendum est ex hoc loco intelligi Cyrillum verba illa sic distinxisse, vt in editione vulgata Latina distinguuntur. Qui autem cum vxore est, solicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat vxori, & diuisus est. hanc distinctionem hic idem auctor seruat libro 6. & Eusebius libro de Demonstratione Euangelica primo, & Ambrosius fere vbique, vt libro de Viduis cap. 1. Sed in libello ad Virginem lapsam, aliter distinguitur quam soleat Ambrosius, ex quo vereor ne sit alterius auctoris, cum ipsa quoque elocutio longe diuersa sit. seruat etiam Epiphanius aduersus Hæreses lib. 2. contra Ieracitas. Alteram distinctionem, probant Augustinus libro de bono coniugali cap. 10. Et diuisa est mulier & virgo, seu innupta & virgo. hoc est, differunt inter se. & libro de sancta Virginitate cap. 21 & ante Augustinum Tertullianus libro de Virginibus velandis, & Hieronymus in Epistola ad Eustochium de custodia virginitatis.

LIBRO TERTIODECIMO.

Fol. 272. C. Fructus laborum tuorum comedes.] In psalmo 127. est, labores manuū tuarum quia manducabis. qui ordo & in Græcis exemplaribus, & in Hebræis est. Verum in hoc loco Cyrilli inuersum ordinem legi non modo in exemplari Illustris. Cardinalis Sirleti, verum etiam in Vaticano. Καρποὺς τῶν πόνων σου φάγεσαι. factum ne id sit Auctoris consilio an errore librarij, qui Καρποὺς fructus tantummodo significare putaret, non etiam manus, non habeo dicere. illud certe constat, veriorem esse in hoc loco Latinam editionem.

LIBRO QUARTODECIMO.

Fol. 290. B. Hoc mare magnum, & spatiosum.] Quod in Latina editione est, & spatiosum manibus, χερσὶ non posuerunt LXX. Sed additum est de Theodotionis interpretatione, vt testatur B. Hieronymus in Epistola ad Suniam & Fretellam. itaque nec Cyrillus legit neque Augustinus. & in antiquo illo Vaticano codice, cum in veraciore scriptura non esset, recentiore manu sub asterisco positum est. certe nunquam LXX. Ἀρύχωρος χερσὶ interpretati sunt, sed vbique vnica dictione contenti fuerunt, εὐρύχωρος.

Fol. 293. D. Si quis frater nominatus vel fornicator aut auarus.] Videtur hoc loco Cyrillus expositionem afferre, quæ cum interpretatione latina maxime congruat, ea sic habet, Si quis frater nominatur inter vos, est fornicator, aut auarus, aut idolis seruiens, &c. itaque legit in Græco sic, ἐάν τις ἀδελφὸς ὀνομαζόμενος, ᾖ πόρνος ἢ πλεονέκτης, &c. non ᾖ πόρνος. sed quod inueni in Græco codice mutare nolui. Altera expositio placuit Augustino, vt verbum, nominatus, cohæreat cum sequentibus, ad hunc modum, Si quis in aliquo horum vitiorum nominatus, hoc est notus famosusq. fuerit. Augustinus libro de fide & operibus, cap. 2.


Fol. 297. D. Ferrum pertransijt anima eius.] Omnes fere Latini interpretes habent, ferrum pertransijt animã eius. & sic legit Augustinus. Sed Vat. codex & Græci omnes codd. Testamenti veteris habent nominandi casu. & Ambrosius epistola septima, & libro de interpellatione Dauid, cap. 8. & certe hæc lectio magis cum Hebræa conuenit.

LIBRO SEXTODECIMO.

Fol. 322. C. Scribit enim Paulus de Christo, Qui peccata nostra pertulit, &c.] Ex Petri Epistola prima locus est. & antiquarij seu Καλλιγράφοι error fuit, qui notam Π a notario positam, Paulum significare putauit. Idem error est fol. 530.

Fol. 324. C. Diuisos autem esse eos, qui matrimonio iuncti sunt, &c.] Vide lib. XII. quæ adnotata sunt ad fol. 253.

LOCA E PROFANIS AVCTORIBVS SVMPTA quibus vtitur in hoc opere Cyrillus.



LIBRO PRIMO.

Fol.28.B. Sic enim est à Græco quodam Poeta ὠλεσίκαρπος dicta.] Homerus Odiss.κ.

Μακραί τε αἴγειροι καὶ ἰτέαι ὠλεσίκαρποι.

Populi & excelsæ, Salices & frugibus orbæ.

LIBRO SECVNDO.

Fol. 40.C. Nam per illud iurare solitos esse, &c.] Puto Cyrillum ad Achillis verba respexisse, quæ sunt apud Homerum Iliadis Α.

Ναὶ μὰ τόδε σκῆπτρον τὸ μὲν οὔποτε φύλλα καὶ ὄζους φύσει, &c.

Iuro tibi per ego hoc sceptrum, quod fronde virebit Nunquam nec ramo.

LIBRO SEXTO.

Fol.107.C. Aurea vt est apud Græcos poetas pro æreis permutauerunt.] Homerus Iliad. Ζ.

Ὃς πρὸς Τυδείδην Διομήδεα τεύχε' ἄμειβεν,

Χρύσεα χαλκείων, ἑκατόμβοι' ἐννεαβοίων

Arma amens cum Tydide mutauit ahenis

Aurea.

Fol.108.A. Nam Græcorum Sapientibus sol, &c.] Homerus Iliad.Γ.

Ἠέλιός τ' ὃς πάντ' ἐφορᾷς καὶ πάντ' ἐπακούεις.

Sol qui cuncta vides, qui cuncta agnoscis & audis.

Ibid. D. Quamuis dextrorsum ferantur aut sinistrorsum.] Ex verbis Hectoris ad Polydamantem accepit, quæ sunt Iliad. Μ.

Τύνη δ' οἰωνοῖσι τανυπτερύγεσσι κελεύεις

Πείθεσθαι, τῶν οὔτι μετατρέπομαι οὐδ' ἀλεγίζω

Εἴτ' ἐπὶ δεξί' ἴωσι πρὸς ἠῶ τ' ἠέλιόν τε,

Εἴτ' ἀριστερὰ τοίγε ποτὶ ζόφον ἠερόεντα,

Tu vero me pennigeris parere volucribus æquum

Censes, quas ego nil moror huc illucve volantes,

Siue illæ ad dextram, solisq. feruntur ad ortus,

Seu magis ad læuam, densæ regna humida noctis.

Fol.124.A. Arguta cornix.] Hesiodus in Operibus.

Μή τοι ἐφεζομένη κρώζῃ λακέρυζα κορώνη.

Ne tectis arguta sedens cornicula stridat.

Præpes accipiter.] Iliadis Ν.

Αὐτὸς δ' ὥς τ' ἴρηξ ὠκύπτερος ὦρτο πέτεσθαι

Præpes vt accipiter se tollit in aera pennis.

LIBRO SEXTODECIMO.

Fol.332.B. Ille vicissim fluuio alicui.] Iliad.Ψ. Achilles narratur Sperchæo fluuio comam sacrasse. & Plutarchus in Theseo, moris huius mentionem facit.

VARIÆ LECTIONES E DIVERSIS exemplaribus collectæ.

LIBRO PRIMO.

Fol. 3. D. Sed ſimpliciori prius ac minus venuſto colore illas adumbrant.] Codex quidam ſic habebat, ἐν ᾧ πρότερον καὶ ἀκαλλεστέρῳ χρώματι σκιαγραφοῦντες. codex vero Vaticanus probatiſſimus, ἐν εἴδει ᾧ πρότερον καὶ ἀκαλλεστέρῳ χρώματι σκιαγρ..

Fol. 4. A. Atque illas e cera figuras æs abſumpſerit.] Codex Illuſtr. Sirleti, καλύπτοντος. Vat. cod. quem probauimus καταλέκοντος.

Ibidem. B. Atque vt ita dicam, ipſa ſenſuum veritas.] Sic habebat Codex vnde tranſtulimus, poſtea cum habuiſſem Codicis Vaticani copiam, in eo hanc lectionem reperi, τὸ τῶν νοημάτων πρόσωπον ἀληθές. ipſa ſenſuum vera facies. cum in priore codice deeſſet nomen, πρόσωπον.

Fol. 5. C. Et quonammodo hæc & a nobis & in nobis fiant.] Codex Illuſtr. Sirleti, παρ' ὑμῶν καὶ ἐν ὑμῖν. nihil hæc inter ſe differre videbantur. Codex Vat. παρ' ἡμῶν καὶ ἐν ἡμῖν. quem ſecuti ſumus.

Ibid. D. Quorum animus ad libertatem erigitur.] Quidam Codex habebat, πρὸς τὸ λεῖθρον. Sed male. Vat. C. recte, πρὸς τὸ ἐλεύθερον.

Fol. 6. D. Ab omni penitus bono extorrem fieri.] Codex Illuſtr. Sirleti, παντὸς ἀπόπλουν ἀγαθοῦ. Vaticanus, ἀπόγνωσιν. prior commodior viſa eſt lectio.

Fol. 10. B. Et ornamentis quæ habebat ſpoliari contigerit.] Codes Illuſtr. Sirleti, ἐπῆσθαι, Vat. Codex, τηπᾶσθαι, legendum puto τητᾶσθαι priuari, ſpoliari.

Fol. 11. B. Non mediocrem ſimul cum iis, quæ diximus, vtilitatem continet.] οὐ μετρίαν τοῖς ἀρτίως ἡμῖν εἰρημένοις συνεισφέρον τὴν αἴδησιν. torſerat me hæc lectio Codicis Illuſtr. Sirleti, tandem extremum verbum in V. C. vidi eſſe τὴν ὄνησιν. quod verum eſt.

Fol. 18. C. Ad extremum iam ſtuporem peruenerit.] Codex Illuſtriſs. Sirleti ἐκπεπληχότος. Cod. Vat. καταπεπληχότος.

Fol. 20. C. Inanium moleſtorumq; ſtudiorum.] ἀνιαρῶν erat in Cod. Sirl. hoc expreſſum eſt in tranſlatione. at in Cod. Vat. ἀνιέρων, profanorum.

Fol. 21. D. Ex Aegyptiorum moribus probabilitatem habet.] ὡς ἐν ἔθεσι τῶν αἰγυπτίων. Hoc habet Vat. Cod.. non probaui quod erat in Cod. Sirl. ὡς ἐν αἰσθήσει τῶν αἰγυπτίων. ex Aegyptiorum ſenſu.

Fol. 23. B. Quo facto id propemodum palam dicere videbatur.] Cod. S. διὰ τούτων δυνατὸς. melius habere iudicaui V. Cod. διὰ τούτων βοῶν.

LIBRO SECUNDO.

Fol. 46. C. Eſt enim calculus naturæ illius firmiſſimæ nota.] quoddam exemplar habebat, ἀρρήτου, naturæ illius ineffabilis: alterum habebat, ἀρρήκτου. quam lectionem, quia probabilior mihi videbatur, in verſione ſecutus ſum.

Ibidem. D. In quo res ipſa geſta figurate nobis ſubclamare videtur.] τοῦ πράγματος, habebat manuſcriptus liber vnus: alter vero, τοῦ γράμματος. priorem lectionem retinui.

Ibidem. Aaron numero trinitatis excellat, ergo Moyſe antiquior.]. hæc verba deſunt in aliquibus exemplaribus. ſed omnino legenda ſunt; habet manuſcriptus Codex Vaticanus, habet etiam Codex Illuſtriſs. Sirleti.

LIBRO TERTIO.

Fol. 48. B. Animum ad deſciſcendum facilem, & ad metum nimium proclinem.] Vaticanus Codex potior viſus eſt, qui legit, δειλίαν; quod cum iis quæ inferius tractantur, magis congruere videtur. Alius Codex habebat, δουλείαν, ad ſeruitutem.

Fol. 49. A. Necnon ſupra terrã eminet.] Exemplar ſcriptũ habebat, ἀνέχον τὴν γῆν ὕψει. poſtea alteram lectionem eſſe Vaticani Codicis deprehendi, ἀνέχων τῆς γῆς ὕψει, à terra ſurſum emi-

ſum eminens. quæ verior proculdubio eſt, & cum verbis Pſalmi congruentior. ſic namque Pſalmus habet quadrageſimus ſextus, ὅτι τοῦ θεοῦ οἱ κραταιοὶ τῆς γῆς σφόδρα ἐπήρθησαν. poteſt enim hic ſenſus conuenire cum his Pſalmi verbis, a terra eleuati ſunt. at terram ipſam eleuatam eſſe in ſublime verba Pſalmi ſignificare non poſſunt, vt legenti apparet. Quin etiam ſic accipit hæc Pſalmi verba idem auctor libro primo, quamuis ea diſtinctio non admodum aliis probetur, & malunt, τῆς γῆς, ad nomen κραταιοὶ pertinere, vt ſit, κραταιοὶ τῆς γῆς. fortes terræ, vt Latina verſio Pſalmorum habet, quam ad verbum ſequens ἐπήρθησαν, vt B. hic auctor accepit, a terra eleuati ſunt.

Fol. 50. D. Operæpretium autem exiſtimo rurſus ſubtiliorem horum verborum ſenſum inſpicere.] V.C. habet τὴν τῶν νοημάτων ἀκρίβειαν. aliud exemplar, τὴν τῶν νοημάτων καρδίαν. Vaticani lectionem exprimere malui.

Fol. 51. A. Deo præeunte.] Vaticanus Codex, προβαδίζοντος. alius MS. προβιβάζοντος.

Fol. 57. B. Senſum in pauca conferens, & ad interiorem intelligentiam transferens.] περιστρέφων habet Codex quidam MS. at V.C. περιτρέπων.

Fol. 60. A. Phariſæis autem qui effrenate illum offendiſſent.] ἀχάλινος ἐκπλήττοντας V.C. habet, ἀχάλινος ἐκπλήττοντας: illud retinui, quia cum Cyrilli dictione magis congrueret.

Ibidem. Mulier quæ menſuram impleret.] Sic habet V. C. πληροῦσα. alia exemplaria habent, τηροῦσα. quod non probo,

LIBRO QUARTO.

Fol. 64. B. Nihil morati victoriam hoſti concedunt.] Vat. Cod. ἀμελλητί. alter Codex, ἀμελητί.

Fol. 65. D. Eum in tentationum pericula coniicit.] V.C. πειρασμῶν περιστάσεσι. alter Cod. περισπασμῶν περιστάσεσιν. diſtractionum moleſtias.

Fol. 66. A. Cum viris fortibus bellum gerit occulte Satanas.] occulte. V.C. habet ἀοράτως inuiſibiliter. alter Codex. ἀφανῶς, apte.

Fol. 69. B. Qui haud imbecilla eſſet corporis ætate.] V.C. ἀγεννῆ. alter Codex, ἀσθενῆ.

Fol. 70. D. Ac quamprimum eſſent perituri.] ἀπολούμενοι. at V. C. habet πολεμούμενοι.

Fol. 71. D. Et ad pugnandum aptiſſimi.] V. C. μαχιμωτάτων, alter Codex δοκιμωτάτων. probatiſſimi.

Fol. 77. C. Deinde denuo confirmat.] Duo Codd. habent ἐπιστηρίζει. Sed V.C. ἐπιστέλλει.

Ibidem D. At qui admodum ſtrenui ſunt.] V.C. νεανικοί. alter vero Codex νεανίσκοι. adoleſcentes.

Fol. 78. D. Et pretioſiora.] Vnus Codex MS. ἀξιολογώτερα. Vat. Cod. τελειότερα. perfectiora.

Fol. 79. B. Cui certe dictum eſt, & quidem a nobis ipſis, vnguentum exinanitum, &c.] Manuſcriptus Codex, quo vſus ſum, habebat καὶ πρός γε ἡμῶν. malui ſequi Vaticanum Codicem, in quo legi πρός γε ἡμῶν.

Fol. 80. B. Quamuis ea fortaſſe tamquam maiore menſura cumulatioreq. diſtribui intelligenda ſit. vnus Codex εἰ καὶ τοῦτο τυχόν. Vat. Cod. εἰ καὶ τοῦτο τυχόν. fortaſſe ὅ καί.

Ibidem. C. Cum quid cuique tribuere oporteat.] Codex quo vſus ſum habebat εἰς ἀναπλήρωσιν. Vat. Cod. εἰς ἀποπλήρωσιν. priorem lectionem magis probo.

Fol. 82. C. Ex idolorum cultu.] εἰδωλολατρείας. Sed Vat. Cod. ἰώλης λατρείας.

Ibidem. Egreſſus eſt enim, inquit, rex Sodomorum in occurſum Abraam.] Poſt hæc verba in aliis exemplaribus erat, & Melchiſedech rex Salem, Sacerdos Dei altiſſimi, ſed etiam, &c. quæ verba in V.C. non ſunt.

Fol. 83. A. Pro hominum qui perierant, ſalute.] Vat. Cod. habet σωτηρίας. alius Codex, ἐλευθερίας.

LIBRO QUINTO.

Fol. 84. A. Si mundanis diſtractionibus.] Alij Codd. non habebant, diſtractiones. Vat. Cod. vero habebat, περισπασμῶν.

Fol. 85. B. Quod ab omnibus tribuebatur.] Codex quo vtebar, τὸ ἀπονεμηθὲν ἑκάστῳ. melius Vat. Cod. ἐκ πάντων.

Ibidem. D. Parumper a re geſta, &c.] Vat. Cod. habet πράγματος. itaque reddidi rem geſtam. alius Codex, γράμματος. a littera.

Fol. 87.

Fol. 87. D. Neque conteramini.] μηδὲ θραύεσθε. Sic habebant alij Codd. & impressa Biblia. at Cyrilli Codex Vaticanus, μηδὲ ταράττεσθε. neque conturbemini.

Fol. 89. A. Vilissimam enim rem feceris.] in hoc retinui lectionem Vat. C. εὐτελὲς γὰρ λίαν. alij Codd. ὅσιος γὰρ λίαν.

Ibidem. C. Illo uni timori ac vanis sermonibus.] Codex Cardinalis Sirleti habebat τερθρείαις. at Vat. Cod. duo hæc nomina habebat, ἐκείνην δειλίαις καὶ ματαιολογίαις, quam expositionem puto τερθρειῶν.

Fol. 90. B. Carnis cupiditatem necessariis rebus prænertentem.] Vat. Cod. sic habebat, προηγουμένην τῶν ἀναγκαίων ποιούμενον. quod retinui.

Ibidem. C. Sapientiæ contubernio vti recenter inceperit.] Vat. Cod. ὁ σοφία συνοικεῖν ἀρξάμενος.

Fol. 91. A. Pœnis ac terrore.] Pœnis feci, quia sic erat in Vat. Cod. quamuis in Cardinalis Sirleti Codice esset πόνοις.

Fol. 93. B. Deus enim verbũ erat in incorruptibili templo.] Car. Sirleti Codex sic habebat, θεὸς γὰρ ἦν ὁ λόγος ἐν ἀφθάρτῳ ναῷ. quæ lectio mihi verior visa est, quam illa Codicis Vaticani, θεῖος γὰρ ἦν ὁ λόγος ἐν ἀφθαρσίᾳ καὶ ἰδίῳ ναῷ.

Fol. 96. A. Et rationis tibias claudicantes habet.] Vaticanus Codex habet ἰγνύαν. Non multum dissimile est quod legitur libro tertio Regum cap. 18. ἕως πότε ὑμεῖς χωλανεῖτε ἐπ' ἀμφοτέραις ταῖς ἰγνύαις; Sed Illustriss. Cardinalis Sirleti Codex habebat ἰσχύν. certe ἰσχίον, coxa dicitur.

Fol. 99. C. Et asperarum rerum tolerantiam vitent.] Illustriss. Sirleti Codex habebat παραιτούμενοι. in Codice Vaticano erat, παρωθούμενοι, repellentes.

Fol. 100. A. Pecorum alendorum & possessionum cura.] In Illustriss. Sirleti Codice erat, ἐπαύλεων. in Vat. C. κτήσεων. itaque reddidi possessiones.

Ibidem. B. Diuinamq; iram vt pertimescerent ac formidarent admonente.] Vaticanus Codex habebat, καὶ ὀργὴν θείαν ἐπισείοντος. at Illustriss. Sirleti liber, καὶ ὀργὴν θείαν ἀνασείοντος. quam lectionem retinui.

Ibidem. C. Vel simul zelum assumendo.] Vaticani Codicis lectionem expressi, συζηλοῦντες. nam Illustriss. Sirleti Codex habet, συζητοῦντες.

Fol. 101. A. Oportere ea omnia fortiter aggredi.] Illustriss. Sirleti Codicem secutus sum, in quo legitur, ὅτι χρὴ πρὸς πᾶν ὁτιοῦν ἀνδρίζεσθαι. Vaticanus Codex habet, ἀπαρτίζεσθαι, perfectum seu instructum esse.

LIBRO SEXTO.

Fol. 103. B. Qui mandato aditum præclusuri erant.] In Cod. Illustriss. Sirleti erat, ἀποκλείειν τοῦ πειθέσθαι μέλλοντας τὴν εἴσοδον. In Vat. Cod. ἀποξένουν.

Ibid. C. Compulit igitur eos ad timorem.] Vaticanum Codicem secutus sum, in quo erat, εἰς τὸ φοβεῖσθαι θεόν. quod transtuli, ad timorem. quamuis non male in Illustriss. Sirleti Codice legebatur, εἰς τὸ ἐρείδεσθαι θεῷ. ad firmitatem.

Fol. 104. C. Non memores eritis, neque audietur ex ore vestro.] οὐδὲ μὴ ἀκουσθῇ. Sic habet Vat. C. in Illustriss. Sirleti Cod. paulo aliter, μηδὲ ἀναμνησθῇ. neque commemoretur.

Ibid. C. Fidei sinceritatem.] Sic transtuli τὸ γνήσιον, quod habebat Codex illustriss. Sirleti. Vat. Cod. habebat. βέβαιον, firmitatem.

Fol. 105. B. Et malorum omnium cumulus est illius spiritualis benedictionis perceptio.] Illustriss. Sirleti Codex sic habebat, καὶ γὰρ οὐχ ἧττόν τι τῶν δεινῶν τὸ μὴ μεταλαχεῖν ἐστι τῆς εὐλογίας τῆς πνευματικῆς. Ego Vaticani Codicis lectionem transtuli, in quo erat, καὶ τί γὰρ οὐχὶ τῶν δεινῶν τὸ μεταλαχεῖν ἐστὶ τῆς εὐλογίας τῆς πνευματικῆς, quam congruentiorem atque meliorem putaui.

Fol. 106. B. Et ea quæ sunt, perire non patitur.] καὶ τὸ οὐκ εἶναι τὰ ὀνόματα ποιεῖ. in Vat. Cod. non τὰ ὀνόματα, sed τὰ ὄντα legitur, quod melius est.

Fol. 107. C. Versi sunt ad inutilem & vanum idolorum cultum.] Illustriss. Sirleti codex, εἰκαιολατρείαν. Vat. cod. εἰδωλολατρείαν. superius, fol. 82. Vat. cod. habebat εἰκαιολατρείαν.

Fol. 108. A. Nam Græcorum Sapientibus Sol, &c.] Homerum intelligit, qui Iliados tertio Agamemnem in fœdere Solem inuocantem facit. ἠέλιός θ' ὃς πάντ' ἐφορᾷς καὶ πάντ' ἐπακούεις.

Ibid. A. Idque diuinus Dauid nos docebit, dicens, &c.] I. S. μυσταγωγεῖ τῷ λόγῳ Vat. cod. μυσταγωγείτω λόγον, hoc melius putaui.

Ibid. B.

Ibidem. B. Fidem habeant.] I.S. πειθόμενοι. V.C. προσεχόμενοι.

Fol. 109. A. Vt res futuras manifeste sciat.] I.S. τὰ ἐμπόρια. V.C. τὰ ἐσόμενα.

Ibidem. B. Veritatem dispiciamus.] I.S. περιαρθροῦντας. V.C. περιαθροῦντας.

Ibidem. C. Et insuetam afferre veritatem.] I.S. Cod. ἀληθεστάτην. V.C. ἀσυνηθεστάτην.

Ibidem. D. Latenter gustum eripere.] I.S. Cod. παραιτουμένους. V.C. παραιρουμένους.

Fol. 112. C. Saul extabuerit.] I.S. Cod. ἐκλέλοιπε. V.C. ἐκλελίμπανεν. paulo inferius, vtitur verbo τέκεσθαι.

Ibidem. C. Ad eius offensam qui tacere instituerat, conuertitur.] Græca verba sunt τρέπεται πρὸς τὸ λυπεῖν τὸν σιωπᾶν ἠρημένον.

Fol. 114. C. Certo euentura sperantur.] ἀπλανῶς, reddidi certo. Sic namque legi in I.S. Cod. in V. cod. erat ἁπλῶς, & duo verba plus habebat, ἤγουν τῶν ἐσομένων ἁπλῶς.

Fol. 115. C. Sese deiiciunt.] I.S. Cod. καταβιβάζοντας. V.C. καταβιάζοντας.

Ibidem. D. Quin etiam esculenta, quæ voluerint sapienter vt ipsi putant improbant.] Vat. Cod. sic habebat, τῶν ἐδωδίμων ὧν ἂν ἕλοιντο κατὰ σφᾶς αὐτοὺς ἀσυνέτως, &c. Codex I.S. habebat, συνετῶς.

Fol. 116. B. Et peccati cognitio ad illa spectat.] Corruptus erat hic locus in I. S. Cod. καὶ ὅτι δὲ ἁμαρτίας λόγος εἰς ἐκεῖνα βλέπει. emendate legebatur in Vatic. Cod. καὶ ὁ τῆς ἁμαρτίας λόγος εἰς ἐκεῖνα βλέπει.

Fol. 117. B. In quo malorum cumulo iaceamus.] I.S.C. ἐν ἑσμῷ κακοῦ. V.C. καὶ ἑσμὸν κακοῦ.

Fol. 117. D. Et magistri ad se ventitantibus.] V.C διδάσκαλοι τοῖς ὁμιληταῖς. ad se ventitantibus reddidi, vt solet Cicero discipulos vocare. ceterum in Græco non est φοιτῶσι, vt ad marginem adscripsit impressor. Illustr. Sirl. Cod. διδασκάλων τοῖς νήψεσιν ὁμιληταῖς.

Fol. 118. C. Suæq. rectæ ac firmæ sententiæ hunc fructum percipiet, vt malis non implicetur.] Emendatior mihi visus est in hac parte V. C. qui habebat, γνώμης ἔχων ὀρθῶς καὶ ἀδιαστρόφου καρπὸν τὸ μὴ ἐναλῶναι κακοῖς. quam I. S. Cod. in quo erat. γνώμης ἔχων ὀρθῶς καὶ ἀδιαστρόφου σκοποῦ τὸ μὴ ἐναλῶναι κακοῖς.

Fol. 119. C. Illi supremæ & incorruptibili menti.] Illustr. Card. Sirl. Codex, θεῷ. Vaticanus vero νῷ.

Fol. 120. C. Quænam hæc est deliratio?] Sic habebat V.C. τίς ὁ λῆρος ὁ οὗτος.

Fol. 121. D. Non tamen experimento concedunt.] concedunt transtuli, quia V. C. habet χαρίζονται. Illustriss. S. codex habet, οὐχ' ὁρίζονται.

Fol. 123. B. Subtiliter.] V.C. ἰσχνῶς. Illustriss. S. ἰσχυρῶς.

Ibid. D. Prophetæ vim.] I.S. Cod. δύναμιν. V. C. δήλωσιν. significationem.

Fol. 124. B Atqui Dei vox.] I.S. Cod. ἠθῶν φωνή, morum vox. V.C. ἡ θεοῦ φωνή. Dei vox.

Fol. 127. B. Laboranti simul opem ferre.] V. Cod. συναλγεῖν. Sed in margine adnotatum erat, συναθλεῖν. quod transtuli.

LIBRO SEPTIMO.

Fol. 128. B. Per quæ ad præclaram virtutem peruenire quis possit.] I. S. Codex habebat, δι' ὧν ἂν γένοιτό τις, τῆς μὲν ἀρετῆς. ἐν κύκλῳ καλῷ. κύκλῳ, subdititiam vocem puto. Solet enim Cyrillus sic loqui, ἐν καλῷ εἶναι, vel γενέσθαι. Præterea V. C. sic habet, τῆς μὲν ἀρετῆς ἐν καλῷ, &c. vt solet etiam Cyrillus dicere, ἐν βεβαίῳ τῆς ἀρετῆς.

Fol. 130. A. Vt probe sit confirmatus.] Sic verti ex codice Vat. ἐν βεβαίῳ τῆς ἀρετῆς. nam corrupte legitur in Illustr. Card. S. cod. ἐν βίῳ, pro ἐν βεβαίῳ.

Fol. 133. B. Ad obedientiam adigit.] κατάγχει.

Fol. 134. A. A distentionibus.] Sic transtuli περισπασμὸν, vocē qua Salomon in Ecclesiaste sæpius vtitur, & B. Hieronymus in eodem lib. asserit distentionem a Latino interprete dictam fuisse.

Ibidem. Itaque beatus Paulus de iis, qui non adhuc crediderant, inquit.] I. S. codex habebat, οὕτω. Sed melius Vat. cod. οὗτοι. quod secuti sumus.

Fol. 139. A. Suadet, quod a quodam sapienter est dictum.] Mendum videtur esse in cod. I. S. vbi legitur, ὑπὸ θεοῦ, pro eo quod est ὑπό του. a quodam, vt est in cod. Vat.

Ibidem. B. Qoid vero in iis absurdi est?] Sic habet Card. Sirleti cod. τί τὸ ἄτοπον. quid obscuritatis inest.

Fol. 147. B. Quid violent.] καταπημαίνωσι. Sic Vat. cod. sed codex I. S. καταπημαίνωσι. adulterent.

LIBRO

151.A. Non absurde figurantur.] Vat. Cod. ἀπολυπούμενος. I.S. ὑπολειπόμενος.

154.A. Et biformes mores vitare.] I.S. cod. τρόπον, vnde transtuli mores. V.C. τόκον, bifor mem partum.

155.C. Vides igitur vt Lex, &c.] Hæc sententia sic est in Græco, ὁρᾷς τὸ ἄνιγμα, καὶ οἰονεὶ πως ἡμῖν ἐκ παραδείγματος ἐναργεστάτου πρὸς τὸ ἀδὺ διασείχοντα τὸν ἐπὶ τῷ δὲ λόγον.

156.B. Vinea enim ac segete, &c.] Et hanc sententiam ad hunc modum habet V.C. ἀμπελῶνος γὰρ ἤγουν λήϊου τυχὸν, καὶ ἀναμέρος ἑκάστου τῶν καθ' ἡμᾶς νοουμένων βελτίστων τιμιώτερον ἡ ψυχή.

158 B. Eo tendat quo expedit.] I. S. codex νευέτω πρὸς τὸ συμφέρον. V. C. εὖ ἴτω πρὸς τὸ συμφέρον.

Ibidem. B. Et qui diffidebat, vincat offensionis memoriam.] I.S. cod. καὶ ἴσω λύπης ἀμείνων ὁ διάφορος. in C. V. deerat extremum verbum, ὁ διάφορος.

159.B. Et ecce omnia prospere cedent vobis.] καὶ ἰδοὺ ἅπαντα εὔοδα ὑμῖν ἐστιν. Sic legit Cyrillus locum Lucæ xi. vbi Græci codices fere habent, καὶ ἰδοὺ πάντα καθαρὰ ὑμῖν ἐστιν. & Latini, Et ecce omnia munda sunt vobis.

Ibid.C. Et si oleas collegeris.] I.S.cod. ἐλαιολογήσῃς. V. C. ἐὰν τὰς ἐλαίας ἀλοήσῃς.

161.A. Ad benignitatis semitas inducit.] V.C. τρίβους. I.S. cod. τρόπους.

Ibid. Adeo etiam iis cedere.] emendate legebatur hæc sententia in V. C. κατακολουθεῖν τε οὕτω καὶ φέρειν τὰς ἐπ' αὐτοῖς δυσθυμίας, ὡς καὶ ὀργῆς ὁρᾶσθαι κρείττονας. in I.S. corrupte.

163.B. Quia nō est frater tuus. Oporter enim nos, &c.] & hęc sententia nō nisi in V.C. emendate legebatur, sic δεῖ γὰρ ἡμᾶς τοὺς κλίσει καλῶν παρὰ τὴν κλίσαντα θεὸν ἰέντας ἀπωλέστω, τοῖς τῆς ἀληθείας προσκλίνεσθαι λόγοις.

166 A. Quod vitare turpe est.] emendate V.cod. ὃ παραιτεῖσθαι ψόγος.

Ibidem.C. Est enim probitas, &c.] V. C. τὸ ἀγαθόν. I. S. τὸ ἀληθὲς, veritas.

Ibidem. C. Nam qui tædium.] I.S. corrupte legebat ἀδικίας, cum legendum sit ἀκηδίας, vt legit Vat.cod.

167.A. idest, intimum præcepti fructum] καρπὸν habet V.C. sed I.S. σκοπὸν, scopum.

LIBRO NONO.

170. A. Nam cum per virum sapientissimum, &c.] hunc locum sic habet Vat.cod. παραδεξαμένοις γὰρ ἡμῖν διὰ τοῦ πανσόφου μωϋσέως τῆς ἀληθείας τοὺς τύπους, καὶ αὐτὴ κατὰ καιροὺς ἐπέλαμψεν ἀλήθεια· τοῦτ' ἔστι χριστός.

176.C. Quam ex oleis. Surculi detracti sunt.] Non placet quod est in I.S.Cod. ἐξήρτηνται. vera lectio est quam habet V C. ἐξύρηνται.

178.A. Scriptum est de Beseleel, qui patre quidem erat Vria, sed de tribu Dan.] mirum quomodo de tribu Dan fuisse dicat Beseleel, quem Scriptura manifeste dicit fuisse de tribu Iuda. Socium vero eius Eliab de tribu Dan.

Ibidem. A. Sed illud culturæ legalis altare, &c.] Obscurior locus, quem sic reddidi ex I.S. codice, in quo legitur, τῆς δὲ κατὰ νόμον λατρείας τὸ θυσιαστήριον παροξυσμοῦ καὶ ἀντιλογίας, καὶ τοῦτον εἴπω λοιπὸν ἀντάρσεως τῆς καθ' ἱερέως τοῦ μεγάλου γεγενημένης νεωτερισμὸν ὑπόμνημα καὶ προσαγορευθὲν ἐν αὐτῇ κειμένῃ τῇ κατασκευῇ μυστικῶς καὶ οἰκονομικῶς σημαίνεται.

Ibidem. B. Caussaq. contradicendi est illis hoc altare, &c.] in Græco est, καὶ ἀντιλέγεται διὰ τοῦτο τὸ κατὰ νόμον θυσιαστήριον.

179. A Inde velum quoddam in quatuor columnis expansum.] corrupte legebatur in I.S. codice τύποις, cum sit legendum στύλοις, vt habet V.C.

Ibidem. C. Dei enim, qui natura Deus est, &c.] Græce sic leguntur hæc verba, θεοῦ γὰρ φύσει λόγος τε καὶ τόπος ὁ προσποδέσταλος τὸ πέρα τε καὶ ἄνω παντὸς γεννητοῦ.

180. C. Ita ad interioris tabernaculi bonorum, &c.] corrupte legebatur in codice Græco I. S. ἡμῖν τε οὕτω πρὸς αὔξησιν τῆς ἔσω σκηνῆς ἀγαθῶν ὅλης τῆς τῶν θείων χαρισμάτων διανομῆς. nam legendum puto ἰέναι, vt a me translatum est, pergimus.

LIBRO DECIMO.

200. A. Putat Beatus hic Pater aliud fuisse lucernam, aliud candelabrū: ac lucernam quidem in priore tabernaculo fuisse, candelabrum in interiore ac secundo tabernaculo. ideoq. colligere

videtur ex varia dictione Græca. Nam Exodi 25. præcipit Deus fieri λυχνίαν, candelabrum. cap. vero 27. iubet καίεσθαι λύχνον, accendi lucernam.

201. D. Vsque ad tempus correptionis impositæ.] legit B. Cyrillus beati Pauli locum ad Hebræos 9. sic, δικαιώματα σαρκὸς μέχρι καιροῦ διορθώσεως ἐπικείμενα. vt etiam Vat. Cod. noui testamenti legit.

215. C. Iam enim Scriptura, &c.] Mendosus erat hoc loco liber I.S. vt puto. Sic enim habebat, πεμπέτω γὰρ ὑμᾶς καὶ ἐξόπτων ἐνθὺς ἐννοιῶν ὁ λόγος. Recte habebat V. C. ἐμπεδοῖ γὰρ ὑμᾶς, &c.

LIBRO VNDECIMO.

218. B. Et Mosaicis mandatis mordicus adhærescunt.] Sic V.C. ἀπρὶξ ἐμμένει. at I.S. κατεζευγμένοι.

221. A. Sculpturæ.] I.S. στριγμαί. Sed V.C. melius, γλυφαί.

222. A. Et honor regis iudicium diligere.] Sic legit Cyrillus, κρίσιν ἀγαπᾷν. in psalm. 98. cum Codices omnes Psalmorum, quos videre potui habeant, κρίσιν ἀγαπᾷ.

Ibidem. C. Amethysus.] Communiter vocatur Amethystus. Sed codex quo vsus sum, habebat ἀμέθυσος. Etiam in hac parte fidelis esse volui, neque quicquam mutare: præsertim cum μέθυσος apud Græcos dicatur ebrius, & fieri potuerit vt ab hoc nomine compositũ sit ἀμέθυσος.

223. C. Vt est manifeste dictum.] non placuit quod erat in cod. I.S. σοφῶς, sapienter, & melius putaui σαφῶς, quod erat in V.C.

224. A. Eodem quoque modo malum granatum.] in I.S. cod. erat, τὸ χρῶμα τῆς ῥοᾶς. rectius censui τὸ χρῶμα τῆς ῥοᾶς, vt habebat V.C.

229. D. Et tamquam summo loco, &c.] V.C. καὶ ὡς ἐν μοίρᾳ τῇ λοίδῳ. corrupte habebat I. S.Cod. ὡς ἐν μοίρᾳ δηλώδει.

234. A. Vides hominem, &c.] Græca verba sic habebant in C.Vat. ὁρᾶς ὅτι τὸ ἀπόβλητον διὰ τὴν ἁμαρτίαν ὄν. καὶ ὁ θάνατος δοκῶν εἰς υἱοθεσίαν εὐλογούμενον ἐν χριστῷ διὰ μετοχῆς τοῦ πνεύματος. quæ verba mihi non videntur mendo vacare.

235. C. Ex animo abradens, &c.] etiam hic locus parum integer mihi videtur. Verba Græca V.C. sic habent, καθάπερ τινὰ τριχῶν ὀνύχων ἀποκείρων ἐκ τοῦ τῶν ἐμφύτων καὶ ἐν ἡμῖν σαρκικῶν κινημάτων τὴν ἀκαθαρσίαν.

236. B. Minime prorsus id quidem.] πολλοῦ γε καὶ δεῖ. Demosthenica loquendi forma.

LIBRO DVODECIMO.

238. B. Singulis per genera distributis.] Cod.I.S. ἀνὰ μέρος ὡς ἐν εἴδει διαλαμβάνοντες. V. Cod. ἀναλαμβάνοντες.

Ibidem. D. Exultat.] vterque Codex & V.& I.S. habebat, ἐπαγγέλλεται, profitetur. mihi mendum est visum, & veram lectionem putaui, ἐπαγάλλεται, exultat.

239. A. Historiæ rudiorem sensum prætermittamus.] Cod. I. S. τὸ τῆς ἱστορίας ὑπερτρέχοντες τραχύ. hoc extremum verbum legitur in V. C. παχύ. ideoq. verti, rudiorem sensum. Sed ne illa quidem I.S. codicis lectio displicet.

242. A. Spirituali debilitate laborarent.] mendum inesse in Codicib. tam I.S. quam Vaticano putaui: ille enim habet, ἐπήρειαν, hic, ἐμπειρίαν. veram lectionẽ puto, πηρείαν, debilitatẽ verti

244. C. Et idonei qui ad eam accedant.] V.c. καὶ πρός γε τοῦτο διάθεσιν ὅροις το. in hoc extremo verbo mendum inesse puto, ac legendum οἷοις. idonei.

245. D. Eiusmodi anima concito gradu ad statum priorem redeat.] V.C. δρομαῖον ποιεῖσθαι πρὸς τὸν ἐν ἀρχαῖς τὸ βάδισμα. legendum puto, πρὸς τὸ ἐν ἀρχαῖς, ad priorem statum.

246. C. Scribarum & Pharisæorum verbis acquieuit.] V.C. προσεῖθαι λόγοις. puto legendum, προσθέσθαι.

247. A. Erat igitur necesse, vt Deo consecraretur quod quispiam obtulisset.] & hic locus corruptus est in V.C. in quo sic legitur, ἦν οὖν ἀναγκαῖον καθιεροῦσθαι θεῷ τό, ὑπό του προσκομισθέντος, τὸν ἑκάστῳ πρέποντα νόμον. Puto autem ita emendate legi posse, τι ἀπὸ τοῦ προσκομισθέντος. vt sit, Erat igitur necesse, vt Deo consecraretur aliquid de eo quod quispiam obtulisset.

253. C. Subtilemq. animaduersionem, &c.] V. C. καὶ τὸ ἄγαν ἰσχνὸν εἰς ἀσφάλειαν ἱεροπρεπῆ.

254. A. Porrigitur autem in hæc lex in sempiternum.] corrupte in exemplari I.S. legebatur, ὀνόματος, cum legendum sit, ὀνόμος, vt est in V. C.

258. B.

258. B. Quæcunque tamquam dona oblata essent.] codex I.S. ὅσα πέφυκεν ἐν δωροφορίας τάξει προσενηνεγμένα. Vat.cod. ὅσα πάρεστι. ego puto legendum ὅσα περ ἐστίν.

LIBRO TERTIODECIMO.

272. C. Fructus laborum tuorum comedes.] Καρποὺς τῶν πόνων σου φάγεσαι. in psalmo 127. legitur, τοὺς πόνους τῶν καρπῶν σου φάγεσαι. non modo ordine inuerso legit hic Pater, verũ etiam καρποὺς alia significatione accepit, non pro palmis ac manibus, sed pro fructibus.

273. A. Atqui molestum & graue erat, qui sacrificare vellent, &c.] V.C. sic habet. Καὶ τί τὸ ἐνταῦθα σκληρὸν καὶ δυσέφικτον, τοὺς θύειν ἐθέλοντας ἀπαρχὴν ἐσθίου σίτου τε καὶ ἐλαίου καὶ οἴνου τοσαύτην δυνάσθαι διακομίσασθαι. Illa prima verba καὶ τί, legenda putaui, καίτοι ἐνταῦθα, vnde reddidi, Atqui.

274. B. Sed potius quod legislator decreuit, &c.] Locus hic emendate legebatur in V.cod. ad hunc modum. ἀποκομίζει δὲ μᾶλλον εἰς εὐθὺ τὸ τῷ νομοθέτῃ δοκοῦν ἀδεκάστως ἀφηγούμενον, καὶ δικαιοσύνης ὑπάρχων ἄριστος βραβευτής. Itaque sic Latine vertendum putaui, sed potius id quod Legislator decreuit, incorrupte interpretando, ad rectam viam perducit.

LIBRO QVARTODECIMO.

279. B. Esau nati.] Neque Ammonitæ fuerunt, neque ea gens ex Esau genus ducebat.

280 B. Et insidiosos mores in id transfert, &c.] Græca verba sic habent, καὶ τὸν τῆς ἐπιβουλῆς ἀναθεῖσα τρόπον πρὸς τὸ εὐφραίνειν εἶδος.

283. C. Qui ad temperantiæ laudes fortiter currunt.] fortiter dixi, quod in Græco legebatur γυνικῶς. vt puto, corrupte, pro γενναίως ...

285 A. Si crimine laborat quod coargui non potest.] ὅταν ἐλέγχων ἐρήμην ὑπομείνῃ γραφήν.

291. A. Κνώδαλα.] videtur etymon huius vocis indicare, Κνώδαλα, inquit, ὥσπερ ἕτερόν τι παρὰ τοῦτο εἶναι. eo quod aliud quiddam preter hoc sint. alij aliam rationem nominis afferunt: aut παρὰ τὸ κνώσσειν ἐν τῇ ἁλί, aut παρὰ τὸ κινεῖσθαι ἐν τῇ ἁλί. vel quod cubent in mari, vel quod in eo moueantur.

Ibidem. A. Lex igitur mundos ducit eos, &c.] Corrupte legebatur in I.S.codice καθορίζει. recte V C. καθαρίζει, mundat, seu mundos ducit ac iudicat.

293. B. Libentissime autem de nocte.] in cod. I.S. ἄκιστα. legebatur. Sed vt puto male, & ἥδιστα verum esse putaui, ideoq. verti, libentissime.

297. B Quicquam supra me eminet in domo hac.] optime legit Cyrillus textum LXX. Genes.cap. 39. καὶ οὐχ ὑπερέχει ἐν τῇ οἰκίᾳ ταύτῃ οὐδὲν ἐμοῦ. Alij male, καὶ οὐχ ὑπάρχει.

LIBRO QVINTODECIMO.

299. B. Ad ea vero quæ fidem perspicuam habent, &c.] τὸ δὲ οἷς ἂν ἕποιτο σαφὴς καὶ ἐναργὴς ἡ πίστις, &c.

300. B. Et quod vi iam exectum est.] sic legebatur in V. C. καὶ τὸ εἰς ἀνούχους ἀδυτίλειον ἀναγκαῖον ἔχει πάθος. forte melius legeretur, καὶ τὸ εἰς εὐνούχους ἤδη τελοῦν. & qui ex eunuchorum numero necessitate cogente vitiati sunt.

306 D Triste quiddam sit & expers odoris.] tam in V. C. quam in I.S. legebatur ἄκοσμον. sed vt puto, mendose, cum sit legendum ἄοσμον expers odoris.

307. A. Neque continuo obtulerint, eiusque rei negligentia ad culpam obliuionis peruenerit.] καὶ τὸ μὴ παραχρῆμα προσενεγκεῖν, καὶ τὸ ῥᾴθυμον ἐν τούτοις λήθης ἔγκλημα παθεῖν, διακαθαίρει πάλιν.

308. A. Igitur si offensis fratribus facto satisfecerimus, &c.] ἤ κοινῇ τοῖς λελυπημένοις τῶν ἀδελφῶν διὰ πραγμάτων ἀπολογούμενοι.

Ibidem. B. Eos quos læsimus reconciliando.] θεραπεύοντες τοὺς ἠδικημένους.

309. A. Gracilitas quædam vocis.] alludit ad ἰσχνοφωνίαν Moysi, vt sæpe.

317. A. Qui ex insito in natura motu tamquam ex fonte manat.] Καὶ πηγὴν ἔχουσα τὴν ἔμφυτον κίνησιν.

318. A. Sanctuarium non ingredietur.] ἁγιαστήριον habet V.C. & sic citat B. Augustinus. ceterum I.S.cod. habet θυσιαστήριον, non satis recte vt puto:

LIBRO SEXTODECIMO.

326.D. Minor est capra, quam ouis.] V.C. μείων γὰρ ἐκ προβάτου. male. codex I.S. μεῖον γὰρ αἶξ προβάτου.

332.D. Cyrillus. Si enim, &c.] In omnibus codd. quos videre potui, locus hic corruptus erat, & ἀναπλασθήσεται. verum quod citat ex Michæa, dilata viduitatem tuam, omnes Cyrilli codd. habent χηρείαν, viduitatem. neque illi solum, sed etiam C. V. bibliorum ille probatissimus. etsi Hieronymus legat ξυρείαν decaluationem, aut detonsionem.

335.B. Et tondebit qui vouit.] in Cyrilli cod. erat ἐγκαυχώμενος. Sed vera lectio LXX. quæ etiam est in probatissimo V.C. bibliorum, est ηὐγμένος, qui vouit.

337.C. Scis enim videlicet eorum salutem, &c.] Corrupte habebatur in V.C. δεικνύσι δὲ τῶν ἐν ἀγνείαις ἐπὶ τὴν σωτῆρα προφήτην ὥσπερ ἰδίαν ὀνομάζοντες τοῦ χυ. puto legendum τῶν ἐν ἀγνείαις ἔτι τὴν σωτηρίαν, προφήτην ὥσπερ ἰδίαν, &c.

338.B. Sin abnuerint illi, &c.] ἀποποιήσουσι δέ, καὶ τὸ φυλάξασθαι τῶν ἁμαρτιῶν ἀπονέμειν. sic habent exemplaria. verum puto legendum ἀπονέμει.

LIBRO DECIMOSEPTIMO.

346.C. Magna quidem valde est historiæ huius ratio.] πολὺς μὲν δὴ λίαν τῆς ἱστορίας ὁ λόγος.


349.A. E vestigio nos illum sequimur.] V. Cod. κατόπιν εἰμὲν αὐτοῦ ἱεροπρεπὲς ἀνάθημα θεῷ καὶ πατρί.

352.B. Illud improbum atque vitiosum.] C.V. & I.S. habebant καταψευδομένην puto emendari oportere καταψευγομένην improbum tran tuli. qui error etiam paulo inferius repetitur. sed ibi V. C. habet. καταφεύγοντα.

356 D. Ii suo interitu pœnas luent, &c.] ὄλεθρον μὲν δίκην. τὸ δὲ ἐν παντὶ γενέσθαι κακῷ, πάντη τε καὶ πάντως ἀποκείσεται.



INDEX



INDEX RERVM QVAE IN LIBRIS XVII. D. CYRILLI DE ADORATIONE IN SPIRITV ET VERITATE, CONTINENTVR.



A



B

C

cæcus


bilari-

virtu-



LOCA SACRAE SCRIPTVRAE IN HISCE DECEM ET SEPTEM LIBRIS

à B. Cyrillo explicata.



Ex Genesi.

De Exodo.

4 De

Ex Leuitico.

21. In

Ex lib. Numeri.

Ex Deuteronomio.

Ex Ioſue.

Ex lib. Regum.

Ex Iob.

Ex Pſalmis.

Ex lib. Prouerbiorum.

Ex lib. Ecclesiastæ.

Ex lib. Cantici Canticorum.

Ex lib. Sapientiæ.

Spiritus

Ex

Ex Amos.

Ex Michæa.

Ex Abacuc.

Ex Zaccharia.

Ex Malachia.

Ex Matthæo.

Ex Luca.

Ex

Loca sacræ Scripturæ explicata

Ex Amos.

Ex Michæa.

Ex Abacuc.

Ex Zaccharia.

Ex Malachia.

Ex Matthæo.

Ex Luca.

Ex Ioanne.

Ex Epiſtola ad Romanos.

Ex Epiſtola prima ad Corinthios.

r 1.Cor

Ex Epiſtola ſecunda ad Corinthios.

Ex Epiſtola ad Galatas.

Ex Epiſtola ad Epheſios.

Ex Epiſtola ad Philippenſes.

Ex Epiſtola ad Coloſſenſes.

Ex Epiſtola ad Theſſalonicenſes.

Ex Epiſtola prima ad Timotheum.

Ex Epiſtola ſecunda ad Timotheum.

Ex Epiſtola ad Hebræos.

cauit. 34. c
9 Si enim ſanguis Hircorum, & Taurorum, & cinis vitulæ aſperſus inquinatos ſanctificat, &c. 235. a
16 Impoſſibile eſt enim ſanguine Taurorum & hircorum auferri peccata. 218. b
15 Beneficentiæ, & communionis nolite obliuiſci, &c. 36. a

Ex Epiſtola Iacobi.

Iac.c.1. OMne datum optimum, & omne donũ perfectum deſurſum eſt deſcendens à patre luminum. 233. c
& Glorietur frater humilis in ſublimitate ſua, diues autem in humilitate ſua. 250. d
3 In multis delinquimus omnes. 250. a

Ex Epiſtola prima Ioannis.

1. Ioan. c. 2. OMne quod eſt in mundo, aut concupiſcentia carnis eſt, &c. 11. c
4 Fratres probate ſpiritus, ſi ex Deo ſunt; omnis ſpiritus qui non confitetur Ieſum Chriſtum, ex Deo non eſt. 229. b

Ex Apocalypſi.

Apoc. c. 6. VIdi animas ſub altare Dei, &c. 111. b.

F I N I S.

ERRATA SIC CORRIGENDA.

Primo ponitur numerus paginarum, deinde littera marginalis, tertio numerus linearum à principio vel à fine computandus, denium quomodo ſit legendum.

Pag. 20. C. lin. 20. lege, moleſtorumq;. 22 B. 18. pro, exercitibus lege, venientibus. 25. B. 4. [illegible] 2. D. 8. à fi. in marg. Exodi 21. 34. A 1. in marg. Ioa 11. 45. A. 6. dicione. ibid. B. 25. in marg. Rom. 8. 59. B. 27 in marg. Gen. 6 eadem lin. adoleſcentia. 67. A. 2 a caſtrametabitur. 73. A. 19 De potentibus enim, & ponendum ad marg. Sapientiæ 6. 85 B. 19. inferiori. 87. C. 15. à fi. confortat Chriſto. 88. A. 13. demigrabat. 91. A. 12. facilitatem. 94. A. 1. Quicunque. Ibid. C. 23. à fi & in ignauiam. 101. A. 1. dum oratio. 108. A. 4. in marg. Homer. Iliad. 110. A. 18. hoſtium. 115. A. 22. fabuloſe. 116. B. 22. imperatoris ei. 120. C. 24. à fi. in marg. Prou. 18. 126 A. 6. iuriſiurandi. 130. C. 4. a fi. damnantur. 130. B. 15. Satietatem. 134. C. 16. à fi. inclinauerunt. 137. [illegible] 9. inueniemus. 139. A. 12. ſane vero. 152. A. 3. quidem. Ibid. lin. 3 eam rem impone. 153. C. 14. a fi. in marg. Ioan. 21. 155. D. 4. a fi & vt ſe tea fratrum bene. 156. C. 22. a fi. permouemur, ſi quidem ea modice fiant, congerat, &c. 162. A. 10. cædendi ſint. 163. D. 7. a fi. iudicum. 164. A 6. miſericordia proſequantur. 167. B 9. a. fi. cõtemplationé. Ibid. C. 6. a fi. euangelica. 177 D 6. a fi. Moyſi tum. 188. B. 23. omnia. 193. B. 18. reges. 195. C. 20. auulia. 198. D. 3. a fi. Luc. 11. 202. C. 18. a fi. immaculatum. 213. C. 21. a fi. dextra. 216. B. 11. a fi. habere. 217. B. 10. a fi. viri ſint ad. 223. D. 6. a fi. viuificatus. 228 B. 19. deſcribitur, ille. 239. A. 13. firmus: nam. 240. B. 22. [illegible] 241. B. 20. in hunc. 248. A. 9. in marg. 1. Theſſ. 4. 249. C. 12. a fi. miſericordia permouebatur. 251. D. 5. a fi. expoſitio. Ibid. D. lin. 4. a fi. feruere. Item D. lin. vlt. ea ſuſcitare. 251. A. 18. imminuunt. 256. A. 5. hoſtiam. Ibid. C. lin. 15. a fi. glorificabis. 267 C. 2. a fi regnum. 280. A. 11. congregat. 281. C. 20 a fi. peperit. Ibid. C. lin. 19. a fi. Sichem. 290. D. 7. a fi infima. 291. B. 16. in marg. Prou. 13. 291. D. 1. a fi. Si quis frater nominatur. 296. C. 12. a fi. verbis. 305. B. 23. Patre. 324. D. 11. a fi de ſimila. 325. B. 14. a fi. celebranda. 334. D. 9. a fi. inueniar in ipſo non. 340. D. 7. a fi. aſſumat. 341. A. 2. & inteſtinis. non Ibid. C. lin. 22 a fi. coniux. 342 D. 9. a fi. intelligendarum. 345. A. 1. in marg. Hebr 4. 347. A. 8. Animaduerte. 353. C. 22. a fi in marg. Rom. 6. 355. D. 8. a fi. illud. 358. C. 21. a fi. eorum. 359. B. 24 a fi. Sacrificium, Deoq; Ibid. C. lin. 15. a fi. hebraici.